EXPLICATIO LITTERALIS,

EVANGELII

Secundum *Matthæum* & *Marcum*

Ex

Ipsis Scripturarum fontibus,

HEBRÆORUM RITIBUS & IDIOMATIS,

Veterum & recentiorum Monumentis

Operâ & Studio *Caroli Mariæ de Veil*,

S. T. D.

Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteri.

Scrutamini Scripturas.

Zephirinus Papa Epist. 1. ad Episcopos Siciliensis apud Grat. dist. 38.

Sicut stellæ Cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium & inhærentes firmamento S. Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

LONDINI,

Excudebat *Sam. Roycroft* LL. Orientalium Typographus Regius, & prostant Venales apud *Robertum Littlebury* sub Insigniibus Anglicè dictis Kings Arms in Vico vulgò vocato Little Britain. 1678.

BIBL. CANT. ACAD.

IMPRIMATUR,

Guil. Jane R. P. D.

Hen. Ep. *Lond.* à

Martii 29. 1678. Sacris Domest.

ILLUSTRISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

IN

CHRISTO PATRI ac DOMINO

D. HENRICO

DEI PROVIDENTIA

EPISCOPO *LONDINENSI*,

REGI

A CONSILIIS SANCTIORIBUS,

REGIIQUE SACELLI

DECANO,

PRISCA

COMPTONIANI

GENERIS CLARITATE

SPLENDIDO,

PIETATE ADVERSUS DEUM,

FIDELITATE IN REGEM,

CHARITATE IN OMNES

LONGE SPLENDIDIORI,

SEMEL TRADITÆ SANCTIS FIDEI

PRO-

PROPAGATORI,

FORTISSIMO SUPERSTITIONUM & HÆRESEΩN

OPPUGNATORI,

APOSTOLICI MINISTERII

FIDELISSIMO DISPENSATORI,

AMANTISSIMO PAUPERUM

PARENTI,

ECCLESIARUM EVANGELICARUM

QUANTUMVIS DISTANTIUM

FAUTORI PRÆSENTISSIMO,

A

PROFANA PAPISMI NOVITATE

AD

SANCTAM ET ANTIQUAM

RELIGIONIS CATHOLICÆ

PURITATEM

SYNCERE CONVERSORUM CERTISSIMO

PRÆSIDIO,

PATRONO SUO COLENDISSIMO,

Hoc qualecunque cùm ingenij & studij, tùm animi grati monumentum dicat, vovet, ac consecrat observantissimus in Christo filius, & omnium, qui vivunt, hominum multò maximè addictus, deditus, obstrictus,

C. M. de Veil.

PROOEMIUM.

EX anni sunt cum in Evangelia Matthæi & Marci *Commentarium edidi, qui subjectam verbis sententiam, eamque litteræ consentaneam aperte declararet. Ad hujus à me confectionem adhibitum & quod evolvendus iis, quæ Patres Ecclesiæ reliquerunt, monumentis animadverti, & quod observavi perlegendis & diligenter expendendis multis & variis scriptoribus tam antiquis, quam neotericis, & quod mihimet ipsi prudentiæ ac cognitionis impertivit Deus optimus. Erat appendicis loco quod novi fœderis intelligentiam præbet non contemnendam, comprehensi animo ritus Hebræorum & idiomata, in quibus ego natus, institutus, & educatus sum. Id*

temporis

temporis in Academia Andegavensi, cujus è Doctoribus sum unus, explicabam publicè Theologiam. Putaram igitur partes esse meas, ut in hoc commentario meo benè multas intexerem disputationes exquisitas ad divinam illam doctrinam & Christianæ religionis historiam pertinentes. In eodem hoc Ecclesiæ Romanæ superstitiones & errores, quibus tum tenebar, ubi ubi locus erat defendendi, defendi quàm poteram acerrimè. Quò major, cùm me tetrus istis è tenebris eripuisset summâ benignitate Deus, danda mihi fuit opera, ut typis excuderetur denuò meus ille Commentarius, in quo palàm oppugnarem, quos in eodem propugnaveram errores, simul & momenta rationum, quibus ad discutiendam animi mei caliginem usus est Deus, breviter hîc illîc exponerem. Porrò autem in hac editione mutavi permulta, quæ non veniunt in controversiam, ut bonam magnámque libri partem novam & in editione superiore invisam liceat verè dicere. Jam quoscunque produco scriptores, laudo illos syncerè quidem: verum enìm, quoniam nulla mihi res familiaris adhuc parta est, illos, quorum indigeo, libros omnes unde mihi comparem utique non habeo. Atqui nonnullos in collectanea mea Græcos scriptores ita retuleram, ut tamen ipsorum verba Græca non essent adscripta: hos igitur, cùm mihi

mihi copia librorum consulendorum non suppeteret, feci latinè loquentes. Sacræ verò Scripturæ testimonia pleraque omnia profero videlicet ex interpretatione vulgata, quæ mihi omnium est maximè familiaris: sed enim quid ea differat à textu primigenio Hebræo, item & Græco moneo diligenter cùm ad sacri textûs intelligentiam opus esse videatur. Ac de nostro quidem instituto satis dictum est.

Menda corrigenda.

Pag. 3. lin. 5. ante ult. fili *lege* filii. p. 4. l. 16. promiſſus *l.* promiſſus. p. 6. l. ult. inbuit *l.* inquit. p. 26. l. 13. eois *l.* eos. p. 34. l. 17. ecundum *l.* ſecundum. ibid. l. 19. dicunter *l.* dicuntur. p. 39. l. 2. miſſionem *l.* in remiſſionem. p. 42. l. 5. ita Tertullianus, *dele* ita. p. 44. l. 33. habat *l.* habet. p. 46. l. ult. ſerpen. *l.* ſerpens. p. 49. l. 23. depromatur *l.* depromitur. ibid. l. ult. incommunibile *l.* incommunicabile. p. 53. l. antepen. Andeam *l.* Andream. p. 54. l. 1. pate *l.* patet. ibid. l. penult. diſcederent *l.* diſcederet. p. 55. l. ult. fuerant *l.* fuerant. p. 62. l. 34. ver *l.* verè. p. 70. nunquam perſolvit *l.* eum nunquam perſoluturum. p. 191. rheubarbarum & rheubarbaro *l.* rhabarbarum & rhabarbaro.

Explicatio Litteralis

EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM.

MATTHÆUS *Evangelista factus ex Publicano Apostolus, eorum à Deo primus electus est, quos Christi Domini historiæ divino modo conscribendæ statuerat; Divino inquam, ut pote qui semper, tum verò præcipuè verbis & animo Spiritûs-sancti organa fuerint. Evangelium Hierosolymis, vel Neophytorum (ut author est divus* Hieronymus) *obsecratione, vel præcipuo quodam Apostolorum (ut* Epiphanius *arbitratur) jussu literis mandavit; non Græco quidem idiomate, sed Hebræo vel Syrio, ut testis est Eusebius, Patréque non pauci, quos inter addit Hieronymus Panthenum propagandæ fidei studio in Indias profectum Evangelium Matthæi Hebraicè scriptum ibi reperisse ad suam usque ætatem in Bibliotheca Cæsariensi diligenter observatum, quod secum Alexandriam reportavit. Hebræum illud exemplar periit, Græca versio supereſt, cujus author incertus est, eam licèt quidam è Sanctis Patribus, vel Sancto* Jacobo, *vel Sancto* Joanni *Apostolo ascribant.* Matthæus *(ut notat Augustinus libro primo de consensu Evangelistarum capite secundo) Incarnationem Domini secundùm stirpem Regiam, & pleraque secun-*

dum hominum præsentem vitam facta & dicta ejus recensenda suscepit; unde quemadmodum divo Joanne *(qui sæpe & Trinitatis & Christi Divinitatis mysteria pro usitata sua celsitate pertractat) paulò dimissior, sic etiam eò Christianis compluribus utilior est; ut pote qui ea Christi opera, consiliáque & præcepta præcipuo quodam consilio referre studuit, in quibus hominem, quem gerebat, ad nostræ imitationis temperavit exemplum.*

SAN-

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Sensus hujus tituli est idem ac si diceretur, liber à Matthæo conscriptus, qui continet bonum nuntium de redemtione generis humani per Christum facta.

CAPUT I. VERS. I.

L*iber generationis.* Id est, enarratio eorum omnium, quæ acciderunt Messiæ per Prophetas Judæis toties promisso. Est autem hic Hebraismus; generatio enim Hebræis, seu *toleda*, ut monet Aben-Esra. Gen. 37. v. 2. non tantùm nativitatem seu genealogiam, sed etiam eventus & casus denotat. Ita verbum ילד *Jalad* gignere, unde תולדה *toleda* generatio, sumi notat Prov. 27. v. 1. *Nescis quid pariet* ילד *dies*, id est, quid unius diei spatio accidet. Est itaque primus hic versus brevis epigraphe, seu inscriptio totius Evangelii secundum Matthæum: q. d. Vita Jesu Christi Fili David secundum carnem. Statuit enim Matthæus generationem humanam & quæ Christo Jesu cum hominibus conversanti acciderunt, enarrare.

Jesu. B. Irenæus libro 2. adversus hæreses c. 41. *Jesus nomen secundùm propriam linguam Hebræorum Literarum est du-*

arum & dimidiæ, ſicut periti eorum dicunt, ſignificans Dominum eum, qui fecit cælum & terram. Hæc dicit B. Irenæus, quia ישו, quomodo per apocopam à captivitate Babylonica Hebræis uſitatiſſimam ſcribitur Hebraicè nomen Salvatoris noſtri, ſecundùm figuram à Rabbinis nuncupatam *Notaricon* (quâ dictio una literis ſuis ſingulis ſingulas diverſas dictiones connotat) deſignat, ישוה שמים וארץ, id eſt, *Deus cæli & terræ.* *Jod* autem dicitur dimidia Littera ratione ſuæ parvitatis.

Chriſti. Id eſt, *uncti.* Hoc nomine ab Hebræis deſignari ſolet quaſi per antonomaſiam ille, qui per Prophetas promiſſus erat Redemtor Iſrael. Unde Joa. 1. v. 41. dicit Andreas Simoni: *Invenimus Meſſiam* (addit Evangeliſta) *quod eſt interpretatum Chriſtus.* Et mulier Samaritana ſic alloquitur Chriſtum Joa. 4. v. 25. *Scio quia Meſſias venit,* ſupple, jam jam. q. d. Prope eſt ut in Lege promiſſus veniat Meſſias, qui, ut ait ibidem Evangeliſta, dicitur, Græco ſcilicet vocabulo, Chriſtus, qui nempe propter unionem in ſe divinæ naturæ cum humana, Spiritu-ſancto unctus eſt præ omnibus participibus ſuis. Chriſtum à Paganis dictum fuiſſe Chreſtum, fidem facit inter cæteros Corn. Tacit.

Filii David. Hoc non eſt initium aut caput genealogiæ, quæ in præſenti capite inſtituitur, ſed attributum Domini, de cujus ſtirpe agitur. Nam *Filius David* nota eſt, quâ perpetuò tum utebantur Judæi ad Meſſiam ſignificandum, quem jam adveniſſe, eúmque eſſe Jeſum Chriſtum, cujus genealogiæ ſeries hîc texitur, indicandum aggreditur Matthæus. At que hinc eſt quod tam crebrò Meſſias noſter Jeſus Chriſtus dicitur in Novo Teſtamento *Filius David*, ut Matth. 9. v. 27. *Miſerere noſtri Fili David.* 12. v. 23. *Stupebant omnes turbæ & dicebant nunquid hic eſt Filius David?* 15. v. 22. *Miſerere mei Domine Fili David.* 22. v. 30. & 31. &c. Unde & illud ipſius Domini quærentis Matth. 22. *Si Filius David Chriſtus, quomodo ergo in Spiritu vocat eum Dominum?*

Filii Abraham. qui & γενεσιαρχης dicitur Antiquis. Initium Dominicæ vel ſtirpis vel familiæ ab eo duxit Matthæus, à quo ipſa fides originem initiúmque duxit; ab Abraham ſcilicet patre non multorum modo, ſed & maximo, ac maximorum: *Sanctorum enim major in fide, quam in generatione ſemen eſt,* ut eleganter loquitur Ambroſius. Cavebimus imprimis, ne poſt alios etiam ex Veteribus, qui naufragium non ſemel hîc fecerunt, genealogiam anxiè excutiamus, cur Lucas in ordine & in nominibus genealogiæ inſertis tantoperè à Matthæo diſcrepet; nos contenti ſumus illo

illo Ambrosij : *Fidei meæ finis Christus est, finis fidei meæ Dei Filius est. Non licet mihi scire generationis seriem, non licet tamen nescire generationis fidem.* Industriæ tamen eorum, qui hîc operam & nostro tempore & olim posuerunt, unice favemus, idem enim & Veteribus tentatum, inter quos Augustinus lib. 2. quæst. Evang. c. 5. *Aut, inquit, unus Evangelista patrem Joseph, à quo genitus est, nominavit, alter verò vel avum maternum, vel aliquem de majoribus cognatis posuit; aut unus erat huic Joseph naturalis pater, & alter eum adoptaverat; aut more Judæorum, cùm sine filijs unus decessisset, ejus uxorem propinquus accipiens, filium, quem genuit, propinquo mortuo deputavit.* Hanc ultimam causam veriorem existimat D. Th. 3. p. q. 31. a. 3. ad 2. utpote quæ apud Eusebium tradita est à Julio Africano, qui discrepantiam, quam in Salvatoris nostri genealogia à Matthæo Lucáque descripta nonnulli esse volunt, sustulisse dicitur. Sed quantùm sapio, quantùm capio, verè in his locum habet illud Leonis Ser. 9. De Nativitate Domini : *Nemo ad cognitionem veritatis magis proficiat, quàm qui intelligit in rebus divinis, etiam si multùm proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id, in quod tendit, pervenisse præsumit; non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.*

3. *Aram.* Hic vocatur. 1. Paralip. 2. v. 9. & 10. *Ram*, Sic etiam vocatur in textu Hebræo Ruth. 4. v. 19. more Hebræis familiari, quo abjiciunt passim in suis dictionibus *Aleph* in earum principio, vel medio occurrens.

De Thamar. Illas tantùm fœminas intexuit Matthæus Christi genealogiæ, de quibus, vel de quarum cum viris conjunctione peculiare aliquid sacra Scriptura prodidit.

5. *David Regem.* Emphaticè bis consequenter dicitur David *Rex*, cui ut dicitur Ecclesiastici 47. v. 13. *Dedit Deus Testamentum regni & sedem gloriæ in Israel*; ipsi enim dixit Nathan jussus à Deo : *Regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam & thronus tuus erit firmus jugiter.*

6. *Ex ea quæ fuit Uriæ.* Scilicet uxor. Hoc ita exprimitur, ne Salomon ex adulterio natus crederetur, vel propter adulterium Davidis & homicidium suspicaretur quis rescissam fuisse promissionem ipsi Davidi Regi factam.

8. *Joram genuit Oziam.* Excluſit Matthæus secundum sententiam B. Hil. Can. 1. à genealogia Domini tres Reges inter Joram & Oziam, qui & Azarias dicitur, intermedios, scilicet Ochosiam, Joam & Amasiam; quia Joram Rex generi se miscuerat impiissimæ Jesabelis, unde quanta benedictio facta est super Jehu, qui vindictam fecerat super do-

mum Achab & Jesabel, tanta fuit maledictio super domum Joram propter filiam iniqui Achab & Jesabel, ut usque ad quartam generationem eradantur filij ejus è catalogo Regum antecessorum Christi, sicut scriptum est Exod. 20. *Reddam peccata parentum in filios usque ad tertiam, & (i. e. vel) quartam generationem.* Consimili de causa Apoc. 7. in Signatorum catalogo tribus Dan prætermittitur, quia à cultu Dei ad idola jam olim defecerat, & se cum gentibus permiscuerat. Judic. 18. Non autem evertitur sententia Hilarij, quòd Ochosias non constituatur nepos Achabi, sed ex Amri Regis Israel ex ejus filia Athalia 4. Reg. 8. v. 26. Nam Athalia neptis Amri vocatur ipsius filia Hebraismo Scripturæ familiari, cùm reverà fuerit filia Achabi, qui erat filius Amri, ut quater dicitur, 3. Reg. 16. v. 28. 29. &. 30. Joram autem disertè dicitur 4. Reg. 8. v. 18. filiam Achabi habuisse pro conjuge, & v. 27. idem Joram filius Josaphat Rex Juda vocatur gener domûs Achab.

11. *Jechoniam.* Alio nomine dictum Joakim, seu Joacim & Eliacim ut videre est 4. Reg. 23. &c.

Fratres ejus. Nempe Joachaz & Matthaniam, & Johanan.

In transmigratione. Id est, sub, seu circa transmigrationem Babylonis; nam omnes filij Josiæ nati sunt & adulti ante transmigrationes tres, quæ indicantur 2. Paralip. 36. v. 6. 10. & 18.

12. *Post transmigrationem Babylonis.* Id est, postquam populus Israel transmigrasset in Babylonem, Jechonias qui & Joachin prædicti Jechoniæ seu Joakimi filius anno decimo nono ætatis in Babylonem abductus, in ipsa Babylonica captivitate genuit Salathiel. Ne autem hic Jechonias confunderetur cum patre suo Jechonia, videtur dixisse Matthæus *Josias genuit Jechoniam & fratres ejus,* scilicet Johanan, Matthaniam, qui & Sedecias vocatur, & Joachaz seu Sellum. Nam Joachin, qui vocatur Jechonias. 1. Paralip. 3. v. 16. Joakimi filius, Josiæ nepos, non habuisse legitur nisi unum fratrem nomine Sedeciam loco citato Paralip. ubi & dicitur de eo, quòd genuit Salathiel. De hoc Jechonia seu Joachin dicitur Jerem. 22. *Scribe virum istum sterilem: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultrà in Juda.* Huic prophetiæ Christi ex stirpe ejus generatio & sessio super solium David non est contraria; *Christus enim erat Deus,* ut ait B. Hieronymus ad locum citatum Jeremiæ, *neque ejus regnum erat de hoc mundo: Nec seculari honore regnavit,* ut loquitur Ambrosius. *Præterea,* inbuit Hieronymus, *in diebus Jechoniæ non successit ei Rex filius,*

sicut

ſicut ipſe ſucceſſerat patri, ſed multo poſt tempore de ſemine ipſius natus eſt Chriſtus, cui dedit Dominus Deus ſedem David patris ſui & regnabit ſuper domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Huic B. Hieronymi ſolutioni favet veritas Hebraica & textus Vulgatus apud Jeremiam.

Zorobabel. Hic etiam apud Eſdram & Aggæum dicitur Salathielis filius, & alius eſt à Zorobabele filio Phadaiæ fratris Salathielis, cujus mentio fit 1. Paralip. c. 3. v. 19. Seriem autem generationum à Zorobabele ad Joſeph virum Mariæ Matthæus non ex veteri Inſtrumento, ſed aliunde collegit; ſemper enim Judæi erant genealogiæ ſuæ curioſiſſimi. Vide 1. Eſd. 2.

16. *Joſeph virum Mariæ.* Supple, ſecundùm Legem Moſis. Etſi enim non prolis ſpe, ſed ut haberet cujus ſub tutela deliteſceret ſexûs injuriis obnoxia, nuptum iret Virgo Maria, cùm conſenſus in copulam carnalem repugnet propoſito perpetuæ virginitatis, quod ipſi haud improbabiliter adſcribunt plerique Veteres, exipſius verbis ad Gabrielem Luc. 1. v. 34. agnato tamen proximo nubere voluit ſanctiſſima virgo, ne videretur propoſiti ſui inſciis ἐπιλανθάνεσθαι prævaricata in legem filiabus heredibus præſcriptam Num. 36. v. 7. ſecundùm quam Tobiæ 6. v. 11. & 12. Angelus Tobiam juniorem inſtruit ipſi deberi uxorem filiam unigenitam Raguelis patrui ipſius, et Raguel ipſe Tobiæ ſenioris frater: *Credo*, inquit Tob. 7. *quoniam ideo fecit vos venire ad me Deus, ut iſta conjungeretur cognationi ſuæ ſecundùm Legem Moyſi.* Hæc cùm ita ſint, facile nobis ex genealogia Joſephi innoteſcit quomodo Filius Dei factus ſit miſericorditer filius hominis ex ſemine David ſecundùm carnem, cùm ut diximus & aperte aſſerit Theophilus, Joſephus jure propinquitatis fuerit maritus Virginis, adeoque cognatus ex eadem tribu atque familia David. Ut autem conſtaret Chriſtum non ſolùm Dei promiſſione aut donatione, ſed jure ſucceſſionis eſſe legitimum regni Davidici hæredem, Joſephi potiùs quàm Mariæ genealogia texitur, cùm fœminis nullum ſit jus ad regnum, quamdiu proles maſculæ ſuperſunt. Chriſtus itaque vera proles Joſephi, non quidem ex eo genita, vel ſolâ vulgi opinione, ſed ex propria uxore tanquam carne ſua & proprio fundo Spiritûs-ſancti virtute nata, jure gentium in paternam hæreditatem & jura Joſephi ſuccedebat. Vide Auguſtinum libro quinto in Julianum c. 9.

17. *Omnes itaque generationes.* Id eſt, omnes perſonæ generantes & genitæ ab Abraham uſque ad David incluſivè quatuordecim, à David excluſivè uſque ad Jechoniam ſeu Joakim incluſivè, qui natus eſt circa tempus tranſmigrationis Iſraelitarum in Babyloniam, perſonæ quatuordecim.

A transmigratione Babylonis. Id est, à Jechonia, seu Joachin patre Salathielis usque ad Christum inclusivè generationes, seu personæ quatuordecim. In textu Hebræo, quem in Italia nactus est Joannes Tilius Episcopus Briocensis superiori seculo, personæ sunt quindecim, quia ubi nos legimus: *Abiud autem genuit Eliacim*, ibi habetur: *Abiud genuit Abner, Abner genuit Eliacim.*

18. *Christi autem generatio sic erat.* Hæc verba sunt præfatio sequentium, quibus narratur quâ ratione Filius Dei factus sit filius hominis ex semine David secundùm carnem provectione carnis, non defectione Deitatis; quæ sic potentiam suam bonitatémque moderata est, ut & nostra susçipiendo proveheret, & sua communicando non perderet.

Cùm esset desponsata. Græcè μνηστευθείσης, id est, cùm esset promissa, seu cùm sponsalia contraxissent. Nam ante celebrationem solemnem nuptiarum fiebat desponsatio, quâ factâ, nondum erat sponsa sub custodia viri, sed patris sui, ut habetur Deuteron. 20. v. 7. & 22. v. 25. Sic vox *desponsata* accipitur à B. Hilario, B. Basil. Hom. De humana Chr. generatione. B. Epiph. Hær. 78, Orig. Hom. 1. in diver. Evang. &c.

Antequam convenirent. Scilicet, in eandem domum; nam in solemni nuptiarum celebratione sponsa & sponsus in unam domum conveniebant; traducebatur quippe sponsa è domo patris sui in domum viri, ut non modò ex Deuteron. 22. sed etiam ex Hebræorum hodiernis & antiquis ritibus certum est. Ita etiam exponunt hæc verba mox citati Autores.

Inventa est in utero habens de Spiritu-sancto. Id est, deprehensa est gravida sine ullius concubitu, sed operâ Spiritûs-sancti. Notat itaque Evangelista causam efficientem gravitatis, quam Joseph deprehendit in beata Virgine, ignorans unde esset illa graviditas, ut satis constat ex serie sequentium.

19. *Vir ejus.* Vir Mariæ virginis dicitur Joseph, licèt nondum nuptiæ essent celebratæ. Sic Deut. 22. v. 23. dicitur: *Si puellam virginem desponderit vir.* Vide ibidem textum LXX.

Justus. Id est, moderatus seu benignus et beneficus. Donatus ad illud Terentii in Andria, *Justa fuerit servitus, Justa*, inquit, *moderata.* Certè *justitia* sumitur pro beneficentia, Ps. 111. v. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi*, quem locum laudat Apostolus. 2. Cor. 9. v. 9. Vide infrà, Cap. 6. v. 1. quæ observavimus in hanc vocem, *justitiam.*

Traducere. Græcè παραδειγματίσαι, id est, *exemplare*, ut vertit

ertit beatus Auguſtinus Q. 7. ſeu, in exemplum ſtatuere; no ſenſu hæc vox Græca paſſim uſurpatur in verſione veeris Inſtrumenti, ut videre eſt Nahum 3. v. 6. Ezechiel 28. 17. &c. Extat autem lex Deut. 22. v. 23. de lapidanda irgine deſponſata, quæ concubuerit cum aliquo in civiate, cui legi beata Virgo fuiſſet ſubjecta, ſi à Joſepho prodita ſſet Judicibus, cùm ipſa maneret in civitate Nazareth; eam autem Joſeph miſericordiâ commotus noluit prodere, ſed occultè oluit ſponſalia dirimere ſine judicio publico, et non dictâ cauſâ; Unde Aug. Ep. 14. ad Macedonium, *Joſeph, cui mater Domini fuerat deſponſata, cùm eam comperiſſet eſſe prægnantem, ui ſe noverat non eſſe commixtum, et ob hoc nihil aliud quam adulteram credidiſſet, punìri tamen eam noluit. nec approbator flagitii fuit.*

20. *Joſeph fili David. Joſeph ſuſpicione tentatus mox ab Angelo ſanatus eſt, quia in eo non erat malevola ſuſpicio, quales Apoſtolus dicit malevolas ſuſpiciones naſci inter fratres. 1. Tim. 6. Malevolæ ſuſpiciones ſunt calumniantium, benevolæ ſuſpiciones ſunt gubernantium; licet de filio malè ſuſpicari, ſed de filio non licet calumniari: ſuſpicaris malum, ſed optas invenire bonum. Qui malevolè non ſuſpicatur, vinci cupit. Tunc enim benè lætatur, quando falſum inventum fuerit, quod malè ſuſpicabatur; ſic erat Joſeph circa conjugem ſuam, cui jam fide fuerat copulatus.* B. Auguſt, Serm. 2. inter undecim in Cartuſia majori repertos.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. q. d. Non eſt quod timeas ſolemniter celebrare nuptias cum Maria jam tibi deſponſata. *Scias*, inquit Balſamon ad Canonem 99. Synodi 6. in Trullo, *quòd à Lege Moſaica ſponſalia pro nuptijs reputabantur & ſponſa uxor nominabatur* ὅτι μνηστεία ὡς γάμος λογίζεται, καὶ ἡ μνηστὴ γαμετὴ καταγορεύεται. *Et vir qui eam ducebat, ut adulter puniebatur. Dicit enim lex antiqua: Et humiliavit uxorem proximi: ejus ſcilicet ſponſam devirginavit. Porro ſancta quoque Virgo & Dei Mater, itidem Joſeph uxor appellata eſt; dicit enim ſacrum Dei Evangelium: Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.* Idem videre eſt apud B. Cyrillum Jeroſolymitanum Catech. 12.

Quod enim in ea natum eſt. id eſt, *quod non ſecundùm communem modum carnis per intervalla paulatim formatum, ſed illicò perfectum eſt*, inquit Baſilius.

De Spiritu-ſancto eſt. Q. d. Non ex humano lapſu, ſed divino illapſu, non virili, quod non cognovit, ſemine, ſed Spiritûs-ſancti, quo impletur, opere concepit.

Vocabis nomen ejus Jeſum. Ablata eſt ſuſpicio, quia inventa eſt redemtio, inquit Auguſtinus, loco mox citato; Jeſus enim Græcis eſt Σωτὴρ quæ vox Latinè reddi non poteſt, ut ait Cicero Act. 4. in Verrem. Chriſtiani *Salvatorem* reddunt, quo vocabulo uſi

ſunt

sunt Lactantius, Ausonius, aliique sacri Scriptores.

22. *Ut adimpleretur. Vox ut*, non sumitur causaliter, sed consecutivè; incarnatio enim Verbi consecuta est ejusdem incarnationis prophetiam. Nihil autem refert utrum Evangelista dictum Propheticum historicè an typicè & allegoricè laudet, cùm & typis sacris sua constet veritas, et certum sit mentes Prophetarum fuisse divinitùs motas, ut eorum dicta sic sæpenumerò aliis eventibus responderent, ut tamen per Christum longè insignius præstarentur. *Scimus ut vocibus, ita et rebus prophetatum.* Tertul.

23. *Ecce Virgo.* Hic locus paulò aliter habetur apud Esaiam; unde observari potest, quòd Evangelistæ non verba, sed sensum prophetiarum citare soleant, ut etiam aliàs observabimus; quamvis multi existiment falsissimâ persuasione Apostolos in suis citationibus semper ad verbum usurpasse versionem Græcam Septuaginta interpretum, uti vocant, cùm manifestò constet id rarissimè à Matthæo & Joanne præstitum fuisse.

Vocabunt nomen ejus Emmanuel. Hebraismus; sensus enim est, vocare poterunt nomen ejus *Emmanuel.* Cùm enim Hebræi rebus ex suis proprietatibus vel adjunctis significantia nomina semper indere soleant, & hoc nomen *Emmanuel* duplicem, quà Christus constat, naturam simul quàm aptissimè insinuet, Christus certè vocari potest *Emmanuel,* id est, *Nobiscum-Deus.* Sic Esaiæ 62. de Ecclesia dicitur: *Vocaberis voluntas mea in ea & terra tua inhabitata*; sensus est, eris mihi gratissima, & numero fidelium frequentissima, ut meritò appellari possis, *Voluntas mea in ea; quæsita civitas & non derelicta.* Eodem Hebraismo dicitur Esaiæ 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, &c.* Id est, vocari poterit.

24. *Accepit Conjugem suam.* Id est, nuptias solemniter celebravit & Mariam è domo patris in suam traduxit; hinc Vulgatus interpres quod hîc dicitur Græcè παρέλαβε τὴν γυναῖκα Deuter. 22. v. 13. vertit, *duxit uxorem.* Nec valet contra hanc nostram explicationem objectio Maldonati, quâ dicit, si sensus noster germanus esset, Evangelistæ fuisse dicendum, *Accepit eam in Conjugem suam,* ut Hebraismo responderet expressio; nam loco citato Deuteronomij habetur in textu Hebræo *acceperis uxorem,* non *in uxorem*; & si hic locus non urgeat, quia in eo non fit mentio alicujus determinatæ personæ, quæ in Conjugem accipiatur, urget tamen locus Deuter. 24. v. 11. ubi habetur in textu Hebræo, *Et acceperis eam tibi in uxorem.* LXX. vertunt, *Et acceperis eam tibi uxorem.* Vulgat: *Voluerisque habere uxorem.* V. 13. Hebraicè, *Ipsa erit tibi*

tibi in uxorem. LXX. et Vulg, *Erit uxor tua.* Deuter. 20. v. 7. in Hebræo, LXX. et Vulg. habent, *Quis eſt homo qui deſponſit uxorem, & non accepit eam, vadat, &c.* Nemo autem miretur Evangeliſtam dicere de Joſepho ſolemniter nuptias celebrante & beatam Virginem à domo patris in ſuam traducente, quam ſibi jam pridem ſponſaverat, *Accepit conjugem ſuam,* cùm Jacob poſtulans ut ſibi in conjugem tradatur, quam ſibi ſeptennij ſervitute deſponſaverat, his ſocerum affatur verbis: *Da mihi uxorem meam.* Illud itaque ex Scripturis colligere poſſumus quòd ab antiquo inter Hebræos moris fuerit, primò ſponſalia contrahere cum ea, quam conjugem ducere cupiebant; & hanc actionem ſignificare ſolent per verbum אירש, *deſponſavit*; deinde interpoſito aliquo temporis ſpatio nuptias, quas per ſponſalia futuras pollicebantur, ſolemniter celebrare, quam actionem denotat verbum לקח, *accepit.* Poſt nuptiarum celebrationem propriiſſimè uxor dicebatur ſponſa, quæ poſt contracta ſponſalia ratione futuri conjugij minùs propriè uxor ſæpè & conjux appellari cœperat; ſicut & ſponſus vir dicebatur proprie nuptijs celebratis, qui tamen poſt ſponſalia ratione earumdem nuptiarum futurarum, vir, maritus, & conjux minùs propriè quandoque dicebatur. Tertia denique eſt actio, cujus paſſim meminit Scriptura tanquam immediatè ſequentis acceptionem conjugis, ſeu celebrationem nuptiarum, quam exprimere ſolet hujuſmodi circumlocutionibus: *Et ingreſſus eſt ad eam: Et cognovit eam.* Hanc tertiam actionem excludit Evangeliſta à conjugio Joſephi, dum dicit: *Et non cognoſcebat eam,* licèt in eodem conjugio duæ priores actiones, nempe deſponſatio & nuptiarum celebratio pro more interveniſſent.

25. *Et non cognoſcebat eam.* Nempe, quia ut ait B. Fulgent. Lib. de Incarnat. & Grat. Domini, *Joſephum virum non ad concubitum, corruptelámque carnis, ſed ad teſtimonium, cuſtodiámque ſacræ virginitatis, & caſtiſſimæ fœcunditatis Maria habuit.* Hinc eleganter B. Epiph. Joſephum vocat ἀνδρα ἀναυδρον, vir enim erat Mariæ, cùm interceſſiſſent inter eos veræ nuptiæ; ſed non erat vir Mariæ, in quantum nunquam ipſam cognovit.

Donec peperit, Licèt vox *donec* temporis alicujus terminum circumſcribere videatur, vere tamen infinitum præ ſe fert. Sic & à Domino verbum hoc memoratur: *Ecce,* inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Poſt hoc ſeculum dicere, non erat neceſſe, non enim cum ſanctis unquam Dominus eſſe deſinet, ſed promiſſio perpetuitatem indicat præſentium, neque auſert ſpem futurorum; ſic & nunc

nunc illud *donec* accipitur. Quod verò dictum est, *primogenitum* non omninò ad succedentem prolem relationem habet. Omne adaperiens primùm vulvam, in Lege primogenitum vocatur. Ita B. Basil. Hom. De humana Christi generatione.

CAPUT. II.

1. CUM *ergo natus esset Jesus.* Græcè τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος. Illud primò observandum est usurpasse Evangelistam participium aoristum, non præteritum, quia participij aoristi ea vis est, ut denotet actionem paulò antè perfectam, adhuc quasi pendentem; cùm præteritum de perfecta multò etiam antè actione rectè usurpaveris. Hujus observationis vim auget particula mox sequens, *Ecce.* Cæterùm Magos adorasse Christum ante diem Purificationis Augustinus tenet, & ab Ecclesia est receptum, quæ hujus rei memoriam tertio-decimo die à Christi nativitate celebrat. *De die Natali Christi parum inter se consentiunt qui rationem temporum investigatam ediderunt. Quod cùm vel Dei nutu vel vitio vetustatis eveniat, calumniâ carere debebit*, inquit Sulpitius Severus. Christum itaque nobis in tempore natum Salvatorem adoremus, etsi in quo temporis puncto natus sit, ignoremus.

Jesus. Tres hoc nomine veniunt in Novo Testamento; scilicet Salvator noster Jesus Christus passim, Jesus filius Nun, seu Jesus Nave, Act. 7. v. 45. Heb. 4. v. 8. & Jesus cognomine Justus, Col. 4. v. 11.

Magi. Benè monet Chrysostomus multis vigiliis ac precibus opus esse, ut qui fuerint ac unde & quomodo & cujus jussu venerint rectè intelligatur; nam quod plerique & quidem doctissimi credunt eos fuisse Persas, rationibus nihil minùs nititur quàm certis. Efficacissima enim, ut ipsis videtur ratio est, ipsa vox *Magi.* Sed hanc rationem nullius momenti esse inde constat, quòd negare nemo possit Græcos sacræ Scripturæ interpretes & Evangelistas peregrinas passim ex Oriente voces eâ significatione adhibuisse, quâ in usu tùm erant. Extat autem apud Græcos interpretes Danielis hæc vox & respondet dictioni Chaldææ אשפין; quam vocem non accipi in malam partem, vel hinc patet, quòd Cap. 2. v. 27. eos Daniel appellat sapientes, quos hac voce significat. Rectè igitur Hieronymus ad Danielem

nielem: *Magi dicuntur qui de signis philosophantur, consuetudo autem & sermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, quòd sint Philosophi Chaldæorum, &c.* Patet igitur quòd tempore Matthæi Magus non tantùm dicebatur Persa de signis philosophans, sed & Chaldæus. Secunda ratio eorum est, quòd Magi dicuntur advenisse ab Oriente. Sed hæc ratio nihil evincit. Oriens enim dicitur primò respectu Solis, seu Oriens simpliciter, quem ut significarent LXX. Deuter. 4. v. 41. Hebræorum instar appellarunt Orientem Solis; secundo dicitur Oriens secundùm quid passim in Scripturis regio, quæ est in Oriente respectu totius Judææ. Tertiò dicitur Oriens respectu Jerosolymæ, ut Zachar. 14. v. 4. Mons olivarum dicitur è regione Jerosolymæ ad Orientem. Et in eodem versu, idem Vates semel usurpat Orientem pro Oriente simpliciter, & semel pro Oriente Urbis, & utrobique Orientem legas absolutè sine addito. Dubium igitur esse potest, an Magi venerint ab Oriente Solis, scilicet à Persia, an verò ab Oriente urbis Jerosolymitanæ, scilicet à Chaldæa, ab Aram, unde vocatus olim Balaam dicit se de montibus Orientis vocatum? Huic autem secundæ parti dubitationis favent multi Veterum, qui asseruerunt hos Magos prophetiâ Balaami motos fuisse, ut ductum stellæ sequerentur. Fortè etiam neutrum intendit Matthæus, & *ab Oriente* non significat terminum à quo profectionis Magorum, sed locum ipsorum natalem, quasi diceretur, *Magi Orientales*; sic dicitur alibi in Evangelio, *Venit Joseph ab Arimathæa*, id est, Joseph Arimathæus. Sic & Joseph Historicus vocat Balaamum *ab Euphrate*, & Latinis dicitur, *Pastor ab Amphryso, &c.* Conjecturis itaque supersedeamus, & reponamus has quæstiones inter eas, quas Hebræi non nisi in adventu Eliæ, hoc est, sub finem mundi revelandas judicant. Tres autem numero fuisse hos, qui Christum invisêre, Magos B. Maximo Taurinensi Hom. 3. in festo Epiphaniæ astipulante, recepta opinio habet, quam passim sequitur B. Leo magnus in Sermonibus De Epiphania.

3. *Omnis Jerosolyma.* Id est, *Jerosolymitæ Universi*, ut loquitur Marcus capite primo, versu quinto. Fuit autem Jerusalem totius Judææ Metropolis, eáque munitissima Straboni, & omnium, teste Plinio, urbium Orientis clarissima. Dicitur verò Jerusalem secundùm Eusebium quasi ἱερὸν σαλυμῶν, secundùm Hegesippum quasi ἱερὸν σολύμων, secundùm Augustinum Steuchum Eugubinum, quasi Jebus Salem; idem sentire videtur B. Hieron. De locis Hebraicis; secundum Aben-

Esram

Eſram quaſi יראו־שלם *timete Salem.* In Bereſith Rabba traditur Jeruſalem dici ab יראה *videbit*, quod eſt nomen illi loco impoſitum ab Abrahamo, & *Salem*, quod nomen eidem loco inditum erat à Melchiſedech. Deinde abjectâ Litterâ *He* & conversâ Litterâ *Aleph* in *Vav*, coaleſcere cœpit ירו pro יראה cum dictione *Salem* tum primùm, ut exiſtimat Druſius Linguarum peritiſſimus, cùm locus à Melchiſedecho dictus *Salem*, & locus ab Abrahamo dictus *Dominus videbit* ſeu יראה coaleſcere inciperent, ſive cùm Mons Moria qui propriè appellatur יראה, urbi Salem includeretur. Unde duæ partes ſeu portiones ejuſdem urbis formâ nominis duali *Jeruſalaim* cœperunt appellari, pro quo Chaldæi *Jeruſalem* dixere, ſicut pro *Ephraim Ephrem.*

4. *Principes Sacerdotum.* Id eſt, Sacerdotalium familiarum; nam viginti quatuor claſſes ſeu familiæ Sacerdotum inſtitutæ erant à Davide, quarum ſingulæ ſuum habebant Principem. 1. Par. 24.

Scribas. Id eſt, Doctores, ſeu Legis-peritos, ut eos vocat Lucas, qui gloriabantur ſe habere clavem ſcientiæ, ut dicitur Luc. 11. v, 52.] Olim namque inſigne Doctoratûs apud Judæos erat clavis cum pugillaribus.

Naſceretur. Id eſt, naſciturus eſſet.

5. *Bethlehem Judæ.* Sic dicitur, ut diſtinguatur ab altera Bethlehem, quæ eſt in Galilæa in tribu Zabulon.

6. *Et tu Bethlehem.* Magna eſt diſſenſio Prophetæ & Evangeliſtæ in hoc teſtimonio recitando. Quam enim Propheta Bethlehem Ephrata & parvulam vocat, Evangeliſta Terram Judæ nominat & nequaquam minimam in Principibus, quos nominat. Huic difficultati ſic occurrimus dicendo quòd Evangeliſta Scribarum verba referat, qui Regi imperito non verba Prophetæ obſcuriuſcula protulerint, ſed ſenſum. Propheta enim dixit: *Et tu Bethlehem Ephrata*, quia Bethlehem ut dicitur Gen. 48. v. 7. alio nomine Ephrata vocabatur; Scribæ verò dixerunt explicationis causâ, *Et tu Bethlehem Terra Juda*, quia erat & alia Bethlehem in tribu Zabulon, ut patet Joſue 19. v. 15. Propheta dixit interrogando: *Parvula ſeu minima es?* Id Scribæ ſtylo ſimplici expreſſerunt, *Nequaquam minima es.* Propheta dixit: *In millibus*, ſeu *chiliadibus*, in quas diviſa erat quæque tribus jam à temporibus Moyſis juxta conſilium Jethro Exod. 18. Scribæ dixerunt: *In Principibus*, ſeu Chiliarchis, qui præſunt millibus ſeu chiliadibus; & hac metonymiâ tangunt Scribæ cauſam cur Bethlehem non ſit minima, ut pote quæ clara eſt natalibus Chiliarcharum, qui jam ex

ipſa

ipſa prodierant multi, Abeſan nimirùm, Booz, Iſaï, David, ſed maximè nobilitanda erat ortu Meſſiæ; unde hoc explicantes Propheta & Scribæ addunt: *Ex te enim exiet dux*, ille videlicet expectatus, quem Meſſiam expreſſit Chaldæus paraphraſtes, *qui regnat*; nempè cum benignitate adinſtar paſtoris, ut fert textus Græcus; & cum poteſtate ut dominator, ut fert textus Hebræus. Addit Propheta: *Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, in quibus verbis Michæas æternam Chriſti nativitatem deſignat; nam *Egredi* Hebræis eſt naſci quandoque, ut videre eſt Gen. 17, v. 6. 25. v. 26. &c. Dicitur autem nativitas Chriſti æterna *Egreſſus* in plurali, ut patet ex textu Hebræo & Græco, quaſi diceretur, egreſſio egreſſionum, id eſt, ſumma egreſſio, ſeu generatio ejus, Auxeſi Hebræis uſitatâ, dum res amplificare & extollere volunt. Sic æterna illa Patris Sapientia dicitur Prov. 1. v. 20. & 9. v. 1. חכמות *ſapientiæ* in plurali, quaſi diceretur, ſapientia ſapientiarum, ſeu ſumma ſapientia. *Ab initio*, id eſt, ante initium. Sic Epheſ. 1. v. 4. dicitur Græcè & Latinè, *Ante mundi conſtitutionem*. 2 Tim. 1. v. 9. *Ante tempora ſecularia*, quod 2 Theſ. 2. v. 13. dicitur ἀπ' ἀρχῆς, Apocalyp. 13. v. 8. *Ab origine* (Gr. conſtitutione) *mundi*, quod inibi refertur ad *quorum nomina ſcripta ſunt*. *A diebus æternitatis*, Hebr. מימי עולם, quod Paulus dixerit, *Ante tempora ſecularia*.

Terra Juda. Id eſt, portio terræ aſcripta tribui Juda Sic infrà Cap. 4. v. 15. dicitur Terra Zabulon & Terra Nephthali.

7. *Diligenter didicit*. Id eſt, accuratè perquiſivit.

Tempus ſtellæ. Id eſt, quo tempore ſtella apparuiſſet.

8. *Interrogate diligenter*. Id eſt, exquirite exactè.

9. *Quam viderant in Oriente*. Si hîc *in Oriente* refertur ad Magos, quaſi diceretur, Magi in Oriente conſtituti viderant ſtellam, non video quo nixi fundamento tot graves Autores aſſerant ſtellam toto itinere Magos præceſſiſſe.

Uſque dum veniens. Hinc manifeſtè colligitur quòd ſtella Chriſto ſecundùm carnem nato non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur; nec eum ſubjiciebat obſequio. Unde non ipſa Chriſtum fecit mirabiliter vivere, ſed ipſam fecit Chriſtus mirabiliter apparere. Nec ipſa Chriſti mirabilia decrevit, ſed ipſam Chriſtus inter ſua mirabilia demonſtravit. Ipſe enim natus ex matre de cœlo terræ novum ſydus oſtendit. qui natus ex Patre cœlum terramque formavit. Eo naſcente lux nova eſt in ſtella revelata, quo moriente lux antiqua eſt in Sole velata. Eo naſcente

cente Superi novo honore claruerunt, quo moriente Inferi novo timore horruerunt, quo resurgente Discipuli novo amore exarserunt, quo ascendente cœli novo obsequio patuerunt. Vide Aug. lib. 2. contra Faustum & Serm. 34. de tempore Cap. 2.

II. *Et intrantes domum.* Gr. εἰς τὴν οἰκίαν, *in illam domum*, nempe in qua Maria Christum pepererat; ut enim scribit Maldonatus ad Luc. 2. repugnat Scripturæ extra Bethlehem vel in agro vel spelunca vicina Christum fuisse natum. Lucæ enim Evangelistæ verba sunt; *Reclinavit eum in præsepio*, Græcè ἐν τῇ φάτνῃ, *quia non erat eis locus in diversorio*: Græcè ἐν τῷ καταλύματι. Sciunt verò periti sermonis Græci, articuli vel adjectione vel omissione multùm fieri diversam horum verborum sententiam. Nam sinę articulo, sensus esset Josepho & Mariæ nullum omninò patuisse diversorium, cùm essent Bethlehemi plura; & cum articulo dupliciter exponi potest, vel fuisse unicum Bethlehemi diversorium, ad quod non sint admissi, quod vix fit verisimile: vel unum aliquod diversorium Bethlehemiticum ipsos adiisse, atque in eo quoad ceterâ fuisse exceptos, sed locum vacuum non esse ibi repertum, qui ipsis ad cubandum concederetur. Coacti igitur sunt in stabulum jumentorum secedere, quod erat, ut fit verisimile, diversorio conjunctum, aut saltem propinquum. Urgendus autem videtur articulus Græcus, quem Lucas iterùm repetit, dum à Pastoribus ait Christum inventum in præsepio jacentem, q. d. in illo præsepio, quod Angelus dixerat, cùm Angelus alloquens Pastores articulum omiserit; id enim satis ostendit sermonis Græci proprietatem à Luca servatam esse. *Verisimile est*, inquit Maldonatus, *publici hospitij stabulum fuisse, in quod se Joseph & Maria exclusi receperint*; quod quia in saxo erat excisum, Epiph. Hæresi 51. Greg. Nyss. De sancta Nativitate *speluncam* vocant; nec id mirum, observat enim Strabo totam regionem circa Jerosolymam ad sexagesimum usque lapidem esse petrosam; Bethlehem autem quatuor millia passuum duntaxat distabat ab Urbe, ut ait Jacobus de Vitriaco, vel sex, ut dicit Arabs Geographus, qui eruditus scriptor observat esse in illo tractu multas domos saxis incisas, vel potiùs cellas, in quibus homines sese incluserunt religionis causâ. Idem Arabs locum ubi natus est Messias commemorans, *speluncam* vocat, & ferè Græci ac Latini omnes. Confectâ itaque descriptione, & hospitio, quod occupatum erat, discessione turbarum, quæ ut describerentur, in vicum Bethlehem venerant, vacuefacto, Josephus & Maria relicto stabulo

bulo ad illud diverſorium ſe atque infantem tranſtulerunt: in quo etiam Chriſtum Magi invenerunt, & procidentes adoraverunt; quia præter illam ſtellæ ſpeciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit.

Theſauris. Id eſt, thecis, in quibus munera habebant repoſita; theſaurus enim eſt quodvis receptaculum, ſeu quidvis in quo aliquid repoſitum eſt, ſive ſit ſarcina, ſive pera, ſive ſaccus, ſive theca. Sic Deus dicitur educere ventos de theſauris ſuis, id eſt, è receptaculis ſuis. Baſilius Seleucienſis Orat. in Jonam, Deum vocat vitæ theſaurum. Cicero, memoriam dicit rerum omnium theſaurum. Virgilius apothecas ſervati mellis theſauros appellat. Et beatus Epiphanius Magos ait aperuiſſe peras ſuas, ſeu theſauros ſuos. Quòd autem res conditæ ſint conditoriis ſuis nobiliores, ipſæ dictæ ſunt theſaurus.

Obtulerunt. Incertum eſt an ſinguli aurum, thus & myrrham, an verò unuſquiſque non niſi unum horum detulerit, ut teſtaretur more Orientalium ſe ſuaque omnia Chriſto eſſe ſubdita.

12. *Reſponſo accepto.* Græcè, χρηματισθέντες, quod B. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone interpretatur, arcanâ revelatione, ſeu declaratione juſſi.

13. *Qui cùm receſſiſſent, ecce.* Hic modus loquendi, ut jam ſupra notavimus & aoriſtus Græcus ἀναχωρησάντων, ſatis innuit non multis diebus poſt receſſum Magorum Joſephum admonitum fuiſſe ab Angelo ut in Ægyptum fugeret. Id autem contigit teſte B. Aug. de Conſen. Evang. ſtatim atque in die Purificationis perfecerunt Legalia in Templo circa puerum. Quod igitur Lucas dicit parentes Chriſti, ut in Jeruſalem die Purificationis Legalia perfecerunt in Templo circa puerum, reverſos eſſe Nazareth, non intelligendum eſt immediatè; ſed poſt reditum ex Ægypto, ut ſatis conſtat ex cauſa fugæ, metu Joſeph & admonitione Angeli in ſomnis in præſenti capite ordine deſcriptis. Hinc monet B. Aug. unamquemque Evangeliſtarum ſic narrationem ſuam contexere, ut tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur; tacitis enim quæ non vult dicere, ſic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipſa continuò ſequi videantur; ſed cùm ea alter dicit, quæ alter tacuit, diligenter ordo conſideratus indicat locum, ubi ea potuerit, à quo prætermiſſa ſunt, tranſilire, ut ea, quæ dicere intenderat, ita ſuperioribus copularet, tanquam ipſa nullis interpoſitis ſequerentur.

14. *Receſſit.* Fugit Chriſtus in Ægyptum non formidine

humanâ; sed dispensatione divinâ, *fugit non necessitate, sed potestate*, ut B. loquitur Fulgentius, *ut cedat tempori, non Herodi*, ut ait Chrysolog. Serm. 150.

In Aegyptum. Aegypto, inquit B. Leo Ser. 2. de Epiphania, *Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio acciperet veritatem.*

15. *Ut.* Eventus notatur, non causa. Vide cap. I. v. 22.

Adimpleretur. Tribus modis impleri dicitur prophetia. Primò dum præsens exhibetur, quod ad litteram per prophetiam futurum prædicebatur. Secundò, dum quæ τυπικῶς præcedunt in aliis, juxta veritatem & adimpletionem, ut loquitur Hieron. referuntur ad Christum; impletur enim quod de typo dictum est, ubi exhibetur veritas, cùm ipsius typi hic sit usus, ut in veritate impleatur. Tertiò, cùm aliqua prophetia non minùs aptè de aliquo dici potest, quàm de quo litteraliter dicta fuerat. Secundum hunc tertium loquendi modum B. Epiph. Antidicomarianitas non satis, & Collyridianos nimium beatæ Virgini tribuentes ex æquo errasse ait, ut in illis adimpleretur, quod à quibusdam Paganorum Philosophis decantatum fuit, *extremitates æquales, αἱ ἀκρότητες ἰσότητες*; neque enim vir summus ignorare potuit Paganos Philosophos nihil unquam de Collyridianis vel Antidicomarianitis somniasse. Hîc autem à Matthæo prophetia Oseæ impleri dicitur, non tertio tantùm modo, ut putat Jansenius Gandavensis, sed & secundo, ut mox dicemus.

Ex Ægypto. Hunc locum, inquit B. Hieron. lib. 3. in Oseam, *in septimo volumine Julianus Augustus, quod adversum nos*, id est, *Christianos, evomuit, calumniatur, & dicit, Quod de Israel scriptum est, Matthæus Evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breviter respondebimus, primùm, Matthæum Evangelium Hebræis litteris edidisse, quod non poterant legere, nisi hi, qui ex Hebræis erant, ergo non propterea fecit ut illuderet Ethnicis; sin autem Hebræis illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit: Stultus, si apertum finxit mendacium: Imperitus, si non intellexit de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter, ordinatèque compositum est; imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam Legis habuisse cognoscimus. Superest ut illud dicamus, quod scriptum est: Ex Ægypto vocavi filium meum, hoc dici quidem de populo Israel, sed perfectè referri ad Christum.* Hæc B. Hieron. Quod igitur

de

de typico Dei filio, id est, de populo Israel, qui Exod. 4. dicitur filius Dei primogenitus, typicè dictum erat, impletum est verè, cùm Christus Dei Filius ex Ægypto in Terram Israel revocarètur.

Filium meum: Ita vertit B. Hieron. Osee 2. juxta veritatem Hebraicam. Hinc ibidem ait, *Ergo qui detrahunt nostræ translationi videant apud LXX. Scripturam, è qua Evangelista hoc testimonium sumserit. Et cùm invenire non potuerint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare.* Male igitur LXX. transtulerunt, *filios ejus, sitamen versio Græca*, ut verbis Hieronymi in Mich. 2. utar, *LXX. est: Josephus enim scribit proæm. Antiq. quinque tantùm libros Moysis ab iis translatos & Ptolomæo Regi contraditos.* Idem videre est apud eumdem proœm. quæst. Hebraic. in Gen. &c.

16. *Illusus.* Solemne est Scripturæ loqui de rebus, interdum quales sunt, interdum quales apparent. Sic Luna dicitur magnum luminare præ ceteris omnibus post Solem. Dij Damascenorum dicuntur percussisse Achabum. Sic Herodes dicitur illusus à Magis non verâ, sed apparenti illusione, quæ fundamentum habebat in imaginatione Herodis, non in intentione Magorum, vel in rei veritate.

A bimatu. Id est, à bimulis, ut transtulit Syrus.

Et infrà secundum tempus quod exquisierat à Magis. Id est, non modò bimulos occidit, sed & omnes pueros infra bimulos, qui nati erant usque ad tempus, quo primùm, ut à Magis diligenter didicerat, stella apparuit in signum Messiæ jam nati, non nascituri. Voluit ergo Herodes cautionis & securitatis causâ, bimulos licèt multò ante apparitionem stellæ in lucem editos, occidere, sicut eadem de causa omnes pueros in omnibus finibus Bethlehem natos occidit, licèt scisciranti ubi Christus nasciturus esset, fuisset responsum, *in Bethlehem Judæ*, hoc est, in ipsa urbe Bethlehem civitate David, ut ex prophetia Michææ colligitur.

17. *Tunc adimpletum est.* Secundo scilicet ac tertio modo dicto v. 15. q. d. Tunc prophetia Jeremiæ, quamvis ad litteram de abductione decem tribuum in captivitatem dicta fuerit, multò aptiùs tamen de infantibus ab Herode cæsis, quàm de ipsis abeuntibus in captivitatem dici potuit; hi enim viri, isti infantes; hi meriti, isti immerentes, innocentésque; hi non sunt, id est, non inveniuntur, quia in captivitatem abducti, isti non sunt, id est, inter vivos esse desierunt, quia crudeliter trucidati, ut meritò istos magis plorare debeat Rachel, id est, Bethlehem, quæ Metonymicè

per Rachel intelligitur, quia non procul à Bethlehem ſepulta eſt, ut dicitur Gen. 36. quam ipſa Rachel avia Ephraim à Jeremia inducitur plorâſſe Ephraim, ſeu, decem tribus in captivitatem abductas per Ephraim ſignificatas, quia primus earum Rex fuit Jereboam è tribu Ephraim oriundus. Citat autem Matthæus hanc Jeremiæ Prophetiam neque ſecundum veritatem Hebraicam, neque ſecundum LXX. *Ex quo*, inquit Hieron. *perſpicuum eſt Evangeliſtas & Apoſtolos non interpretationem alicujus ſecutos, ſed tanquam Hebræos, quod legebant Hebraicè, ſuis ſermonibus expreſſiſſe.*

18. *In Rama.* Id eſt, teſte Hieronymo, in excelſo. Familiare autem eſt Helleniſtis voces prout ſcriptas ab Hebræis invenerint, litteris iiſdem Græcè exprimere. Aliis tamen probabiliùs Rama eſt civitas in tribu Benjamin non longè à Bethlehem ad occaſum juxta Gabaa, in confinio tribûs Judæ & Benjamin. Vide Judic. 16. Utervis ſenſus recipiatur, ſemper eleganti Metaphorâ magnitudo luctûs exprimitur.

Rachel. Apud Jeremiam intelligitur ipſa Rachel, hîc vero Bethlehem, *quæ*, ut Hieronymus loquitur, *ex materni corpuſculi hoſpitio nomen accepit.* Eleganti autem Proſopopœiâ Prophetis & Poetis familiari, & ad affectus movendos efficaciſſimâ nemora & urbes, mortuorum manes & everſarum urbium umbræ lamentantes inducuntur.

Conſolari. Id eſt, conſolationem accipere.

20. *Defuncti ſunt.* Pluralis pro ſingulari, nam de ſolo Herode loquitur. Nihil autem frequentius hac numeri Enallage in Scriptura. Sic Gen. 19. v. 29. *Liberavit Lot de ſubverſione urbium, in quibus*, id eſt, in quarum una, *habitaverat.* Gen. 21. v. 7. in textu Hebræo Sara dicitur lactare filios, cùm unum Iſaacum lactaret. Gen. 28. v. 11. *Tulit de lapidibus*, id eſt, lapidum unum. Gen. 46. v. 7. Jacob dicitur in Ægyptum deduxiſſe filias ſuas, id eſt, Dinam, quæ Jacob erat unica. Exod. 4. v. 19. Moyſi dicitur: *Mortui ſunt qui quærebant animam tuam*, de ſolo Pharaone. Num. 26. v. 42. *Filij Dan per cognationes ſuas Suham*; qui Suham ſolus fuit filius Dan. Joſue 7. v. 1. Filij Iſrael dicuntur prævaricati mandatum, id eſt, unus ex filiis Iſrael nomine Achan. Judic. 12. v. 7. in textu Hebræo Jephte dicitur ſepultus in urbibus Galaad, id eſt, in una urbium Galaad. 1 Reg. 9. v. 21. unica tribus Benjamin dicitur *tribus* in plurali in textu Hebræo. 2 Paralip. 16. v. 14. in textu Hebræo de Aſa dicitur: *Et ſepelierunt eum in ſepulchris ſuis.* id eſt, in ſepulchro ſuo. Pſal. 104. v. 30. *In penetralibus regum ipſorum*, id eſt, unius Pharaonis, qui Moſis ævo regnum Ægypti ſolus obtinebat. Pſal. 136. *Super flumina Babylonis,*

Babylonis, id est, ad Euphratem. Daniel 3. v. 12, 14. & 18 Deos Regis Nabuchodonosor non colere dicuntur, qui unam statuam auream ab ipso erectam colere detrectant. Act. 7. v. 42. *Scriptum est in libro Prophetarum*, id est, in libro unius è Prophetis. Heb. 11. v. 37. de uno Esaia dicitur, *Secti sunt*, &c. B. tamen Hiero. ex præsentibus Matthæi verbis colligit non solùm Herodem, sed & Sacerdotes & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos. Idem sentit Aug. Orat. contra Judæos, Paganos & Arrianos.

Animam. Id est, vitam, idiotismus Hebræis familiaris. Sic Job 2. v. 6. &c.

21. *Venit in terram Israel.* In ejus scilicet limites Ægypto proximos.

22. *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæâ.* Id est, Judææ Regiâ potestate præesset, licet non Regio nomine. Nam Herodes Magnus, seu, Ascalonita testamento reliquerat regnum Archelao; sed Cæsar Augustus, cujus beneplacito Herodes testamentum subjecerat, nomen Regis Archelao denegavit, & constituit eum Ethnarcham, id est, gentis Principem, in dimidiam partem regni Herodis patris sui, hoc est, in Judæam, Samariam, & Idumæam. Alterum dimidium regni in reliquos duos filios Herodis partitus est, Antipam scilicet, qui posteà Herodes cognominatus est, creans Tetrarcham Galilææ & Perææ, Philippum verò Batanææ, Iturææ, Traconitidis, &c. Porrò Archelaus tantæ fuit crudelitatis, ut vulgò diceretur, si Hebræis fides est adhibenda, *Nobis melius esset esse sine Rege, quàm Regem habere Archelaum.* Tandem propter suam crudelitatem, fuit à Cæsare in Galliam relegatus, ut testatur Joseph. Antipas verò mitioris dicitur fuisse ingenii, quàm Archelaus, at Philippus mitissimi. Vide Joseph. 17. Antiquit.

Judæa. Scilicet, propriè dicta, quæ est optima & amplissima pars Terræ Israel, sita cis Jordanem, & ad mare Mediterraneum; dicebatur autem Judæa à tribu Juda omnium nobilissima, & fortissima, cui in partitione Terræ sorte obtigerat.

Pro Herode. Latina vocula *pro*, quoties personis applicatur, significat alterum successisse in alterius locum.

Timuit eò ire. Nempe ut ibi, id est, in Judæa habitaret. Aliàs enim per omnes annos, ut testatur Lucas, in die solemni Paschæ in Jerusalem ascendebat. Non igitur necem timebat Christo; sciebat enim Archelaum non quærere animam ejus, sed sub duro crudelis tyranni imperio vitam degere reformidabat. Mirum autem non est quòd Josephus jussus in Terram Israel redire ex Ægypto, eam sibi ejusdem Terræ re-

gionem incolendam primùm cogitaverit, in qua ab Angelis, à Paſtoribus, à Magis, à Senioribus & Juſtis generatio Domini, quæ ibidem contigerat, teſtimonium acceperat. . . .

In partes Galilææ. Galilæa regio celeberrima, & quæ Septentrionalem obtinet totius Judææ partem, quatuor amplexa tribus, Aſer, Nephtalim, Zabulon & Iſachar, quarum primæ duæ Phœnicibus & Syris gentilibus immixtæ Septentrioni etiam viciniores, ſub Galilæa gentium Matthæo, aliis ſub Galilæa ſuperiori; reliquæ ſub inferiori ut plurimùm intelliguntur. Totius fines ſunt: à Septentrione Syria, incerjacente Libano monte: à Meridie Samaria & Carmelus mons: ab Oriente Jordanis fluvius: Ab Occidente mare Mediterraneum. Dicitur autem Galilæa à גלל, *Volvere*, quòd maris littori adjaceat, propter ſinuoſos littorum receſſus, vel quia fluctus illiſi ventis aut æſtu reciprocantur, illícque volutatim ludunt, vel denique propter congeſtos illic arenarum tumulos. Populos verò Galilææ, maximè ſuperioris, ſeu Galilææ gentium præ ceteris contemtos, inviſos, peccatoréſque à Judæis habitos, non Talmudiſtæ modò, ſed & ſacræ Paginæ teſtantur. Hos Iſaias vocat ſedentes in tenebris & in regione umbræ mortis. *A Galilæa*, aiunt Phariſæi Joan. 7. *Propheta non ſurgit.* Et Nathanael, Joan. 1. *A Nazareth poteſtne aliquid boni eſſe?* Hinc & ipſe Chriſtus contemtim vocatus eſt *Galilæus* & *Nazarenus*. Matth. 26. Joan. 7. Hinc & illud Juliani Auguſti, *Vicisti, Galilæe, vicisti.* Hinc & nos Chriſtiani Galilæi olim & Nazareni dicebamur; & hoc ultimo nomine etiamnum à Judæis vocamur.

23. *Veniens habitavit.* Ex hoc loquendi modo ſatis patet, quod Evangliſta dixerat, *timuit eò ire*, intelligendum, ut ibi habitaret, non ut illac iter faceret in civitatem ſuam Nazareth.

Nazareth. Interpretatur *flos*, & ſcribitur B. Hieron. teſte de nominibus Hebr. non per *Zain*, ſed per *Tzade*. Favet autem B. Hieron, non modò Syrus, ſed & ipſe titulus crucis, teſte Pagnino, & hodierna Judæorum hujus nominis ſcribendi ratio. Nuſquam autem in veteri Teſtamento fit hujus civitatis mentio, quod ſatis indicat eam non fuiſſe hactenus valde celebrem.

Dictum eſt. Obſervat B. Chryſoſt. non uno loco duobus modis aliquid dici ſcriptum vel dictum per Prophetas; 1. quia verbis eiſdem aut non diſſimilibus ſcriptum reperitur; 2. quia δια των πραγματων κειμενον, rebus ipſis, licèt non verbis expreſſum reperitur. Hoc 2. modo verè dici poteſt prædictum fuiſſe ut Chriſtus appellaretur Nazaræus, ſeu potiùs Nazarenus, ut etiam Græcè exprimitur apud Marc. Siquidem apud Eſaiam c. 11. v. 1. ſic appellatur

tur, voce ſcilicet Hebraicâ נצר, quam alii ſurculum, alii cum vulgato interprete florem interpretantur. Hinc Hieron. ſcribens ad Marcellam, *Ibimus, inquit ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, Florem videbimus Galilææ.* Idem in Epiſt. ad Pammach. de optimo genere interpretandi c. 3. teſtimonium Matthæi, *quoniam Nazaræus vocabitur*, ſumtum putat ex loco citato Eſaiæ. Idem in locum citatum Eſaiæ hanc opinionem Eruditis tribuit. Hanc ſententiam ſequuntur Lyranus, Abulenſis & Janſenius Gandavenſis, & volunt locum citatum Iſaiæ ſic vertendum: *Exibit virga de radice Jeſſe & Nazaræus de radice ejus aſcendet.* Hanc expoſitionem admittit & B. Hieron. l. 1. in Matth. Rabbi Elias in Lexico ſemper Nazaræum ſcribit per *Tzade*, & civitatem Nazareth ait appellari *Netzer*. Idem contendunt Pagninus & Cajetanus.

Per Prophetas. Nempe per Eſaiam, ut mox diximus, eſt igitur pro ſingulari pluralis, ut ſuprà v. 20.

CAPUT III.

1. *IN diebus illis.* Scilicet, intra quos Nazarethæ vixit Dominus Jeſus. Eſt autem hic loquendi modus, *in diebus illis*, Scripturæ familiaris, nec eſt ſemper certi, aut definiti temporis index.

In deſerto Judææ. Caſaubonus poſt Theodorum Bezam exiſtimat deſertum, in quo Joannes prædicavit, fuiſſe montana, in quibus pater ejus Zacharias & Eliſabeth morabantur. Verùm ne tantis viris aſſentiar obſtat quòd, ut Evangeliſtæ indicant, deſertum Judææ, in quo Joannes baptizabat & pœnitentiam prædicabat, erat circa Jordanem fluvium, in extrema parte Ennon & Salim. Montana autem à Jordane remotiſſima erat, unde Jeremiæ 32. v. 44. montana Judææ opponuntur campeſtribus, ſcilicet circa Jordanem, ſicut Oriens Occidenti. Hic igitur Joannes ab officio pœnitentes baptizandi divinitùs ſibi delegato dictus Baptiſta, toto vitæ tempore ab incunabulis deſertum incoluit, non tecto, non lecto, non mensâ, neque aliâ re indiguit, ſed quandam vitam Angelicam in carne hac agebat, qui potuit frigus & æſtum pati, cùm tenero eſſet corpuſculo, ac immaturâ ætate. Ita Chryſoſtomus Hom. 10. in Matth. cui ſubſcribit tota Antiquitas.

2. *Pœn.*

¶ 2. *Pœnitentiam agite.* Gr. μετανοεῖτε, quod absolutè positum, propriè significat *resipiscere*, seu, *duci pœnitentiâ facti cum consilio emendationis.* Unde Tertullianus, lib 2. adv. Marc. *In Græco sono pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Est itaque, *pœnitentiam agere* hîc et alibi passim idem ac *pœnitudine duci*; nec unquam; si bene memini, hac phrasi indicat Vulgatus interpres opera illa, ad quæ pœnitentes tenemur, non ut divinæ justitiæ faciamus satis, sed ut Ecclesiæ nostram internam pœnitentiam exteriùs testemur, nósque ad Deum ardentiùs invocandum instimulemus, & probibeamus ne exstimulemur ad ulteriùs peccandum. In prima hujus libri editione cùm adhuc Ecclesiæ Romanæ erroribus essem infectus, docueram hîc ex Scripturis malè intellectis ad peccatorum deletionem requiri præter resipiscentiam resipiscentis pœnalem actionem; verùm cùm humanum sit errare, gratiæ hominem ab errore revocare, divinæ gratiæ deputo quod mihi tandem patuerint aures ad Apostolicam tubam clamantem, 1 Pet. 2. v. 24. Christum pertulisse peccata nostra super lignum in corpore suo, & ejus livore nos esse sanatos, proindéque didici tandem hanc veritatem toties in Scripturis inculcatam, Christum Jesum videlicet sine culpa pœnam subeundo, nos & à culpa & à pœna liberasse, et si post gratuitam peccatorum omnium condonationem, divinitùs nobis immittuntur pœnæ aliquæ temporales, hoc non fieri ut divinæ justitiæ satisfiat, sed ut ait Aug. Tract. 124. in Joan. *Ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ.* Vide Chrysost. Hom. 6. in Genes. & Hom. 2. in Ps. 50. & in Oratione de B. Philogonio. Marcum Eremitam lib. de Baptismo, &c.

Appropinquavit enim regnum cœlorum. Id est, regnum Christi, quod dicitur regnum cœlorum, quia, ut ipse testatur Joan. 18. non est de hoc mundo; *Quid est enim,* inquit Augustinus Tractatu 115. in Joannem, *regnum ejus, nisi credentes in eum, quibus dicit, Joan. 15. De hoc mundo non estis: De mundo enim est, quidquid hominum à Deo quidem creatum, sed ex Adam vitiatâ stirpe generatum est; factum est autem regnum non jam de mundo, quicquid inde in Christo regeneratum est: sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij charitatis suæ.*

3. *Dictus.* Id est, prædictus typicè.

Vox clamantis. Scilicet Verbi. *Verbum enim,* inquit Glossa, *clamat in voce,* id est, *Christus in Joanne,* clamat, ut distantes auditu percipiant, & gravem habentes auditum sentiant immensitatem eorum, quæ dicuntur. Clamavit autem Deus & per alios, *sic enim,* ait Glossa, *clamavit in omnibus, qui*

à principio aliquid divinius dixerunt, & tamen Joannes ſolus eſt Vox, quia per eum præſens Verbum offenditur, quod alij è longè nuntiaverunt. Beatus Epiph. Hæreſ. 69. vocem ait eſſe præparativam auditûs hominum: primùm enim inarticulatam vocem ſonantem reddere ſolent clamantes, è longinquo vocantes eos, qui aliquid ab ipſis audire debent: & ubi illi ſolam vocem auditerint, & mentem ad audiendum converterint, aurésque præparaverint, tunc is, qui ſonantem vocem emiſit, de cetero diſtinguit ſermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Joannes Vox fuit aures hominum præparans: non enim erat ipſe Verbum, ſed poſt ipſum venit Verbum, propter quod præparativa Vox fuit.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. LXX. *Dei noſtri.* Senſus eſt idem atque ſi diceretur, pœnitentiam agite.

4. *De pilis camelorum.* Pilos Camelorum Hebræi vocant צמר גמלים, *lanam camelorum.* Pilos camelorum in Caſpiis olim fuiſſe molliſſimos, & ex iis confectas veſtes ad delicias teſtatur Ælianus Hiſt. Lib. 17. cap. 34. & ex Cteſia Perſicorum libro decimo refert Apollonius Mirabilium cap. 20. Ita in imperio magni Cham, in urbe Calacia, Metropoli Provinciæ Tanguth, *inveniuntur panni, quos Zambilotte vocant, de lana alba & camelorum pilis contexti, quibus vix pulchriores in mundo inveniuntur*, ait Paulus Venetus l. 1. c. 63. Et rurſus c. ſequenti, ubi de Terra Gog & Magog: *Fiunt*, inquit, *ibi Zambilotti optimi de pilis camelorum.* Hujuſmodi pannos propriè ſignificat vox Gallica *camelot*, quamvis ſumatur hodie latiùs. Sed camelorum in Caſpiis aut in Tartaria villi quàm ſunt tenues, tam ſunt aſperi vulgares, quibus Joannes induebatur. Hinc veſtimentum Joannis ab Anſelmo & aliis vocatur *cilicium camelinum*; hinc & Paulinus ille, cujus extat Carmen de Joanne Baptiſta, eleganter cecinit:

Veſtis erat curvi ſetis conſerta cameli
Contra luxuriem molles duraret ut artus,
Arcerétque graves compuncto corpore ſomnos.

Videtur autem veſtis villoſa ſen cilicina Prophetarum fuiſſe propria, ut videre eſt in Elia 4. Reg. 1. v. 8. in Eſaia, Eſ. 20. v. 2. in Pſeudo-prophetis Zacha. 13. v. 4.

Zonam pelliceam. Hiero. ad Demetriadem Ep. 8. *Stupebat*, inquit, *ad converſationem Eliæ & Joannis Baptiſtæ, quorum uterque Zonâ pelliceâ aſtrinxit, ac mortificavit lumbos ſuos.*

Eſoa autem ejus erat. Supple, tantùm, ex iis quæ dicuntur Matt. 11. & Luc. 7. ubi & Joannes à Chriſto commendatur ob aſperitatem veſtitûs.

Locuſtæ. In Ebionæorum Evangelio de Joanne legebatur:

Cibus

Cibus ejus erat mel ſylveſtre ſapore mannæ tanquam lagani in oleo fricti. Ad quem locum B. Epiph. illos aſſerit hoc ſibi propoſuiſſe, ut veritatis ſermonem in mendacium mutarent, & ἀντὶ ἀκρίδων ποίησωσιν ἐγκρίδας ἐν μέλιτι, *ex locuſtis facerent lagana in melle frixa.* Occaſione hæc confingendi in eo ſumtâ, quòd ἀκρίδες & ἐγκρίδες ſunt voces ſimillimæ. Atque ut in Evangelio junguntur ἀκρίδες καὶ μέλι, ita de manna dicitur Exod. 16. v. 31. *Ejus autem ſapor erat ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι, ut lagani in melle,* ſive, *cum melle fricti.*

B. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Ep. 5. vult ut Monachus à Joanne Baptiſta edoctus contentus ſit herbarum & foliorum extremis ad tenue alimentum. Et Ep. 132. ita mordicùs hæret huic interpretationi, ut eos, qui ἀκρίδων nomine locuſtas intelligunt, ἀμαθῶς, *imperitè* ſentire pronunciet. Peluſiotæ ſuccinit Paulinus in carmine de Joanne Baptiſta:

Prævebant victum facilem ſylveſtria mella
Pomáque, & incultis enatæ cautibus herbæ.

Ita & Pantaleon Diaconus in Sermone de luminibus ſanctis, Theophylactus, Euthymius, & Nicephorus Calliſtus lib. 1. Hiſt. c. 14. & ſuperiore ſeculo Cajetanus. Hoc autorum torrente abreptus Baronius ad annum Domini 31. *Quid,* inquit, *de his ſentiendum ſit, definiendum nobis non eſt, ſed totum relinquimus Lectoris arbitrio; nam conſtat Græcam dictionem* ἀκρίδας, *& locuſtam inſecti genus infirmas habens alas ad volandum, & ſummitates arborum ſignificare.* Verùm pace tanti viri dixero, id neutiquam conſtare; imo extra dubium eſſe apud ſcriptores verè Græcos ἀκρίδας & ἀκρίδρυα multùm differre, nec uſquam confundi.

Alij exiſtimant ἀκρίδας herbas eſſe, quas etiam, ut ait Theophylactus, *melagra* vocant, ut alludatur ad μέλι & ἄγριον. Ita & Euthymius. In hac ſententia idem ſunt mel & locuſtæ, herbæ ſcilicet genus aliunde prorſus ignotæ, quæ tamen Joanni pro cibo ſola ſuffecit. Hac ſententiâ nihil abſurdius fingi potuit. tamen ſectatorem habuit Surianum monachum, à quo eam ſe didiciſſe profitetur Jacobus de Vitriaco c. 53. Hiſt. Jeroſ. Fortaſſe etiam Dionyſium Carthuſianum, qui nonnullos per locuſtas intelligere ſcribit herbas deſerti, *cùm non videatur probabile, quòd Joannes, qui nec pane veſcebatur, carnes animalium, aut aliquid coctum comederit.* Et Hermolaus in Dioſcoridem Corollario 256. eam herbam ait intelligi, quæ vocatur Arabicè *pes locuſtæ*, id eſt, *blitum*, ut quidam volunt. aut, ut alij, *rapunculum.*

Chriſtianus Druthmarus, qui in Matthæum ſcripſit nono poſt Chriſtum ſeculo, *De locuſtis,* inquit, *audivi quendam dicere*

quòd

quòd istæ locustæ avicula fuerunt parva cum rubris tibiis. Quibus verbis à Druthmaro fuisse veram avem intellectam patet ex eo quod hujus sententiæ authorem refellit: *Quare*, inquit, *laudaretur Joannes de abstinentiæ rigore, si volatilia ederet, quæ desideraverunt Judæi?* Eâdem ratione refellit eos, qui volunt locustas esse pisces marinos, quos Joannes ex Jordane habuerit, cùm ii pisces in deliciis habeantur. Præterea non in fluviis sed ipso mari has locustas reperire est. Ut taceam locustas marinas à Græcis non dici ἀκρίδας, sed καράβους.

Quidam ἀκρίδας in καρίδας, id est, *squillas*, mutant, quibus nihil in toto cancrorum genere est præstantius. Verùm hæc sententia perridicula est, cùm Joannes in Evangelio ab abstinentia laudetur.

Nonnemo conjicit Evangelistas Matthæum & Marcum scripsisse ἀκρίδας, id est, *pyra sylvestria*, & exiguâ mutatione hoc nomen deflexum esse in ἀκρίδας. Verùm nihil opus est quidquam mutare, cùm in receptam lectionem conspirent libri omnes, neque illa quidquam habeat, quo lector eruditus meritò possit offendi. Certum enim est locustarum esum in iis quæ vel ad Ortum, vel ad Austrum sunt, regionibus fuisse receptissimum, ut testatur B. Hieron. l. 2. in Jovinian. c. 6. & ab Alexandri ævo inter Æthiopum populos Græcia descripsit Acridophagos, à locustarum esu sic dictos, ut videre est apud Agatharchidem lib, 5. c. 27. & Diodorum lib. 3. Strabonem l. 16. Solinum & Plinium l. 6. c. 30. & l. 11. c. 29. & præter Acridophagos omnibus notos, Nasamones etiam & Leptitanos & Græcos & Hebræos locustas olim pro cibo habuisse, quomodo Arabes quoque & Numidas & Mauritanos & novos Palæstinæ incolas jam inde à multis seculis, fusè probat clarissimus Bochartus Hierozoici p. 1. lib. 4. cap. 7. Lex Mosis Levitic. 11. v. 21. & .22. disertè in esum concedit quatuor locustarum species. Itaque quòd locustas edebat Joannes, novum non fuit, nec inauditum, sed hoc in illo fuit singulare, quòd in deserto solùm locustis & agresti melle vescebatur, iisque fortè oblatis, nec aliunde comparatis, ut virum illum Judæi scirent extraordinarium habere munus & attentiores essent ad ejus conciones. Quid autem sint hujusmodi locustæ egregiè explicat & decribit venerabilis Beda De locis sanctis cap. 14. ubi tradit se accepisse à sancto Episcopo Archulpho, qui ad ea loca, peregrinatus erat, *notissimas esse locustas in Palæstina, quæ corpusculis in modum digiti manûs exiguis & brevibus, in herbis facilè captæ, coctaque oleo pauperem victum parent.* Euthymius etiam in Matth. ait *usque ad hodiernum diem in illis par-*

tibus

tibus plerosque illud insecti genus edere fumo siccatum: habere autem gravem odorem, malúmque gustum. Causa igitur non fuit cur Pelusiotes eos accusaret imperitiæ, qui *locustas* apud Evangelistas intelligunt, in quo numero multi fuerunt Sancti Ecclesiæ Doctores celeberrimi, ut Theophilus Antiochenus, Hilarius & Chrysost. in Matth. Ambro. in Luc. Clemens Alex. l. 2. Pædag. Hieron. l. 2. in Jovin. & Epist. 23. ad Marcellam. August. l. 10. Conf. c. 31. Scriptores denique quotquot sunt Pelusiote vetustiores, præter unicum Paulinum in sacro Poëmate de Joanne Baptista, cui opponimus vetustiores Poëtas aliter sentientes; ita enim de Joanne Juvencus lib. 1. Hist. Evang.

Arvis qui solitus ruralibus esse locustas.

Prudentius Cathemerinon Hymno septimo:

Parvum locustis & favorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.

Et Amœnus in Enchiridio:

Perfundit fluvio pastus Baptista locustis.

Paulus Diaconus in Hymno de Nativitate Sancti Joannis Baptistæ:

Præbuit hirtum tegimen Camelus
Artubus sacris, strophium bidentes.
Cui latex haustum sociata pastum
Mella locustis.

Mel. Mellis duo sunt genera, domesticum unum ex apibus, quæ domi aluntur, & alterum sylvestre, quali dicitur hîc, & Marc. 1. v. 6. Joannes vixisse. Vult autem Theophylactus secundum quosdam Mel sylvestre hîc non esse verum Mel, sed herbas esse acridas, quas etiam *melagra* vocant; sed repugnat quod Græcè scribitur hîc μέλι ἄγριον. Nihilo magis placet quod afferunt Beda in lib. De locis sanctis & Thomas in Matth. ex Arnulpho, vel Arculpho, in deserto Joannis arbores fuisse latis & rotundis foliis, lactei coloris & mellei saporis, quæ naturâ fragilia manibus confricentur, atque edantur, & hoc dici mel sylvestre. Nec Christiano Druthmaro assentior, cui mel sylvestre hoc loco est illud ipsum manna, quo filij Israel pasti sunt per quadraginta annos. Mannæ quidem sapor fuit, ut dicitur Exod. 16. v. 3. *quasi similæ cum melle*. unde à nonnullis manna vocabo δροσόμελι & ἀφόμελι. Tamen aliud manna, aliud sylvestre mel, nec Scripturæ vocibus notiones sunt affingendæ novæ, cùm receptæ quadrare possunt. In præsenti igitur versiculo nihil aliud intelligimus, quàm locustas & mel sylvestre. Et locustas jam probavimus in illis locis esse frequentes,

quentes, adeòque in cibis receptas. Idem de ſylveſtri melle ex ipſa Scriptura probare eſt obvium. Notum eſt illud Salomonis Proverb. 26. v. 16. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud*; quod haud dubiè pertinet ad ſylveſtre mel, quod in agris paſſim reperiebatur. Ita cùm in agro Samſon in leonem incidiſſet, eúmque dilaceraſſet, anno ſequenti mel reperit, quod in ejus cadavere apes elaboraverant, Judic. 14. v. 8. Quale eſt quod legitur. 1 Reg. 14. v. 25. & 26. *Vulgus venit in ſaltum*, id eſt, in ſylvam, *in quo erat mel ſuper faciem agri. Ingreſſus eſt itaque populus ſaltum & apparuit fluens mel*, &c. Sequitur autem ibi v. 27. de Jonatha, qui in eadem ſylva *extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum melis.* Hinc favus mellis ſæpe in Scriptura appellatur Hebraicè יער, quod propriè ſylvam ſignificat. Scriptores prophani idem de Scythia & Moſcovia teſtantur, nimirùm quòd apes paſſim in agris aut ſylvis ibi mellificent; & Maldonatus refert ſe pauperes homines in Bœtica vidiſſe, qui mel ex ſylvis colligerent, eóque vendendo quæſtum facilitarent. Idem videre eſt, apud Poëtas tum Græcos, tum Latinos. Virgilius enim lib. 4. Georg. ut alios amittam, diſertè teſtatur apes in cavis arborum, vel in arundinetis, aut in antris nidificare. Tanta autem erat abundantia mellis in Judæa, ut paſſim dicatur melle fluere, torrentes mellis habere, favos diſtillare, &c. Videtur autem B. Iſidoro Peluſiotæ Epiſt. 132. & Euthymio mel ſylveſtre, quo uſus eſt Joannes, fuiſſe amarum & guſtui prorſus ingratum; ſed gratis hæc dicuntur, nec Scripturæ ſatis conſonant, quæ Judæam à melle non tantoperè commendaret, ſi mel in ejus agris proveniens inſuave & amarum eſſet; tradit quidem Dioſcorides lib. 2. Galenus lib. 7. De ſimplici facultate medicamentorum, & Diodorus lib. 5. in certis locis mel amarum progenerari, putà Sardoum & Corſicum, ſive cauſa ſit in abſinthio, quod depaſcantur apes, ſive id à buxo fiat, quæ in Corſica plurima eſt, ſive à taxis, ut ſuadere videtur Virgilius Eclogâ 5. ſive à cicutæ paſtu, ut Ovidius teſtatur Elegiâ 12. lib. 1. Amorum, ſive à thymis mali ſaporis, ut docet Martialis, lib. 11. Epigramate 13. Similiter Plinius, Dioſcorides, Ariſtoteles & multi alii meminere mellis venenati, quod comedentes ad inſaniam adigit; at in Judæa mel amarum, aut ulla ex parte vitioſum gigni, ne per ſomnium quidem auditum eſt. Quin Geneſ. 43. mel eſt ex iis, quæ in Terra Chanaan laudantur & decantantur, & blaſphemus ille Rabſaces Aſſyriam ex eo commendat, quòd inſtar Terræ Chanaan oleæ ſit & mellis

ferax

ferax 4 Reg. c. 18. v. 32. Unde mel è Judæa in alias terras deferebatur, ut ad Tyriorum nundinas Ezechiel. 27. v. 17. & in Ægyptum Gen. 43. v. 11. quamvis ipsa etiam Ægyptus melle abundasse legatur Numer. 16. v. 13. Nec est quòd quis hæc sibi fingat non nisi de domestico melle dici: Agreste enim fuit mel illud, cujus dulcedinem Samson tam illustribus verbis deprædicavit Judic. 14. v. 14. & mel aliud, quo degustato, Jonathæ oculi aperti sunt 1 Reg. 14. v. 24. Agreste etiam erat mel petræ, id est, ex petrarum fissuris manans, in quibus feræ apes mellificabant; tamen id censetur in deliciis, quas populo suo Deus obtulit, Deu. 31. & Psal. 80. Itaque tam in sylvestri, quam in domestico melle fuit, quod palato placeret; at in B. Joanne Baptista magnæ id fuit abstinentiæ, quòd solis locustis & melle sylvestri vixerit: quia ut in locustis, ita etiam in melle parùm est alimenti, cum solùm & per se sumitur; nam ut testatur Hippocrates c. 50. de affectionibus: Τὸ μέλι, ξηρὸν ἐπόροις ἀδιούθητον, καὶ σκέπει, καὶ λύχροιαν παρέχει. Αὐτὸ δὲ ἑαυτῷ λεπύνει μᾶλλον, ἢ τρομάζει. *Mel cum aliis quidem comestum, & nutrit, & bonum colorem exhibet; ipsum autem per se ipsum magis attenuat, quàm reficit.* Aristoxeni Cyrenæi Philosophi abstinentiam ex eo celebrant Veteres, quòd lactucam in horto sub vesperam mulso irrigatam vesperè & manè sumens, dicebat se flavas habere placentas; Pythagoræ verò, quòd tam frugaliter viveret, ut sæpe solo melle contentus esset. Sed utrumque longè superat Joannes. Aristoxenus enim melli vinum & lactucam addebat, à quibus abstinuit Joannes; & Pythagoras sæpè quidem, non tamen semper solo melle contentus fuit, & ut Laertius testatur, vinum, licèt non interdiu, ad vesperam tamen gustabat. Præterea hi cibis emtis, Joannes fortè fortunâ oblatis vescebatur, Dei providentiâ ita fretus, ut in deserto ex ea sola penderet etiam in ipsis vitæ necessariis, inter quæ recensetur mel Eccli. c. 39. v. 41. quod etiam puerile alimentum censetur in illo celebri Esaiæ loco c. 7. v. 15. ubi Emmanuel dicitur butyrum & mel comesturus: *Ac si dicat,* inquit Bern. Serm. 2. de Adv. *Parvulus erit & infantilibus vescetur cibis.* Addit Esaias ibid. *Ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Id est, donec fiat paulò adultior, seu, ut adolescat. Inde est, quòd in Baptismo, in quo fideles renascuntur, lac & mel prægustandum dabant Veteres. Tert. de corona militis c. 3. *Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus.* Quò alludens B. Hier. adversus Luciferianos c. 4. è lavacro egressos dicit *lacte & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem*; neque enim solo lacte, sed & melle

melle tum alebantur infantes. Sic ex antiquiſſimis Cretenſium Hiſtorijs narrat Didymus Meliſſea Cretenſium Regem duas habuiſſe filias, Amaltheam & Meliſſam, quæ Jovem puerum caprino lacte & melle nutrierint. Vide Lactantium lib. 1. De falſa religione c. 22. &c.

5. *Judæa.* Scilicet, ſtrictè ſumta, quæ eſt ſexta pars earum, in quas ætate Chriſti diviſa erat Judæa latè ſumta, quæ aliàs Terra Sancta, Terra Chanaan, Terra Promiſſionis, Terra Iſrael & Palæſtina dicitur.

6. *Baptizabantur.* Sylveſter Sguropulus in Hiſtoria Concilii Florentini Sect. 9. Cap. 9. Narrat a Gregorio Hieromonacho Alexandrinæ Eccleſiæ primicerio, & Philothei Patriarchæ ad Florentinam Synodum Vicario atque Legato cum Petro quodam Calabrico in diſputationem incidente de Baptiſmo, Latinos redargutos quòd per regenerationis lavacrum non eſſent ritè initiati Chriſtianæ religioni, cùm baptiſmatis vox non ſignificet ut more Latinorum aqua in alicujus caput affatim effundatur, ſed ut quis in fluentem deſcendat, & aſcendat immerſus undis. Certè merſatione baptizandi conſuetudo ab Apoſtolis derivata eſt, ut indicant loca ad eum ritum delecta, Joan. 3. v. 23. & Act. 8. v. 28. & alluſiones multæ Apoſtolorum, quæ ad effuſionem vel aſperſionem referrinon poſſunt, Rom. 6. v. 3, & 4. Col. 2. v. 12. Nec eſt quod quis miretur ab Apoſtolo Petro baptizari potuiſſe unâ die tria hominum millia per immerſionem, ſiquidem Gregorius Armenorum Apoſtolus unâ die duodecim millia baptizavit in Euphrate per immerſionem, ut habetur in authentica ejus vita, et comfirmat Iſaac ejuſdem gentis Patriarcha in prima Invectiva. Serius nec niſi circa Clementis v. pontificis Romani morem invaluiſſe, ut etiam extra neceſſitatem et mortis periculum baptiſmus daretur per aſperſionem, ſeu perfuſionem, patet ex Synodo 11. apud Ravennam ſub eodem Clemente celebrata. Temerè ergo Michael Cerularius Cp. Patriarcha ritum baptizandi ſine immerſione Latinis tribuit, cùm ipſius ætate nuſquam omninò receptus fuerit mos aliter baptizandi quàm per immerſionem extra caſum neceſſitatis, ut conſtat vel ex Petro Damiani lib 6. Ep. 25. qui Petrus Damiani fuit Cerulario æqualis. Imo et ſub finem ſeculi duodecimi Alexandro, III. R. P. in Synodo Caſſelenſi apud Hibernos celebrata decretum eſt, ut teſtatur Rogerius Hovedenius, *ut pueri deferrentur ad Eccleſiam, et ibi baptizarentur in aqua munda ſub trina merſione.* Verùm, ut optimè monuit Cyprianus in Epiſtola LXXVI. ad Magnum, baptiſma potiùs eſt mentis per fidem, quàm corporis per aquam lavacrum, eſ-

que

que ſolum inviſibilis lautionis viſibile ſymbolum, ideóque ſolâ aſperſione ſeu perfuſione compleri poteſt.

Jordanem. Jordanis eſt fluvius maximus & penè unicus totius Judææ, ſeu Terræ Iſrael, cùm reliqui omnes potius torrentes, quàm fluvij ſint dicendi. Oritur autem ad radices montis Libani, & habet duos fontes, ut lib. 3. in Matth. teſtatur B. Hieron. unum nomine *Jor* & alterum *Dan*, qui ſimul mixti Jordanis nomen efficiunt. Idem B. Hieron. lib. 8. in Ezechielem, & in libro De locis Hebraicis infinuat Jordanem dici quaſi יאור דן, *rivus Dan*, quòd ſcilicet fluvius ille erumpat à viculo Dan in quarto à Panæade milliario euntibus Tyrum, qui uſque hodie Dan vocatur, terminus Judææ provinciæ contra Septentrionem. Habet autem Jordanis duos lacus diverſæ omnino naturæ, ut teſtatur Joſeph. lib. 5. De bello Judaico c. 4. nempe lacum Aſphaltiten, quem Joſephus appellat ἄγονον, id eſt, ſterilem, eò quòd piſcibus careat, imo ut teſtatur Hieron. in Ezechiel. 47. *Si Jordanes auctus imbribus piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſuperenatant.* Unde Ezechiel c. 47. v. 8. Evangelij vim vivificam figuratis verbis adumbraturus prædicit fore ut aliquando hæ aquæ ſalubres & piſcoſæ fiant. Quàm autem ſalſus & ſterilis lacus Aſphaltites, tam dulcis eſt & fœcundus alter juxta eundem Jordanem lacus Tiberiadenſis, quem Evangeliſtæ vocant *Mare Tiberiadis, Galilææ,* & *lacum Genezareth*. Ad hujus lacus oram Bethſaida piſcatione fuit celebris; quod & ipſum Urbis nomen & Apoſtolorum hiſtoria palàm indicat. Quin & ad Jordanis fontes tertius fuit lacus longus ſexaginta ſtadia, latus triginta, quem à ſitu Joſue Cap. 11. appellat *aquas Merom*, q. d. *aquas ſuperiores*: Et Joſeph. Antiq. l. 5. c. 4. & l. 3. De bello Jud. c. 18. Σεμαχωνίδα, vel Σεμιχωνίδα λίμνην, q. d. *piſcoſum lacum*: Haud dubiè ab ubertate piſcium. Nempe *Semachon* vel *Semechon* Arabicè eſt *piſcis*. Indidem *Semechonitæ* populi l. 4. Bell. Jud. c. 1. & regio Semechonitis l. 3. c. 2. ubi Peræam ad ortum terminari dicit Joſephus Arabiâ & Semechonitide, ubi perperam legitur in exemplaribus Græcis Σιμωνίτιδι, & in verſione, Silbonitide. Hinc paſſim Chaldæus Arabiæ nomen reddit סומכותא, ut videre eſt 3. Reg. 10. v. 15. & Jerem. 25. v. 20. & Ezech. 30. v. 15. Hinc corrigendum eſt quod legitur apud Kimchium in Pſal. 24. enumerantem ſeptem Maria Terræ Chanaan, ימא דסוכני, quod eruditiſſimus Kimchij interpres Latinus Domnus Ambroſius Janvier Congregationis S. Mauri Monachus Benedictinus tranſtulit *mare Sicanie.*

Siciniæ. Omninò enim legendum ימא דסמכני, *Mare Semechonites*, quod est lacus Samachonites, qui cùm sit in ipsis Jordanis fontibus, in enumerationis ordine præponitur à Kimchio ibidem Mari Tiberiadis, quod est in Jordanis medio, sicut & Mare Tiberiadis præponitur ab eodem ibidem Mari Salinarum, seu lacui Asphaltiti, qui est in extremo Jordanis, & vocatur à Geographo Nubiensi clim. 3. part. 5. Mare Mortuum, *Quia*, inquit, *in eo nihil est animatum, non pisces, neque reptile, neque aliud quicquam eorum, quæ generari moris est in aquis stagnantibus, aut currentibus.*

Confitentes peccata sua. Id est, *profitebantur se peccatores, & in signum quod pœnitentes essent, offerebant se abluendos à Joanne tanquam exterior ablutio esset quædam professio pœnitentiæ, & mundæ deinceps vitæ ducendæ*, inquit vere ad hunc locum Cardinalis Cajetanus. Nam confiteri peccata sua ab Hebræis dicuntur, qui se modis omnibus peccatores esse profitentur, & veniam à Dei misericordia petunt, ut Dan. 9. v. 3, & seq. Quo sensu & Levit. 16. v. 21. jubetur summus Pontifex confiteri peccata totius Israelis. Erroneè autem hoc loco in priori hujus commentarii editione confessionis auricularis necessitatem stabilire conatus sum autoritate Basilii, et Leonis magni, cùm Basilius de Sacramentali confessione hodie Romanensibus præcepta, ne somniaverit quidem, sed volenti propter Dei timorem apud homines erubescere, autor est ut non omnibus, aut quibusvis aperiat peccata sua, sed iis dumtaxat, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei; his enim sinceritas pœnitentiæ nostræ debet esse nota, in quantum fragilitas humana nosse sinit, & ab iisdem consilium levationemque petere debemus. Hoc Reg. Brev. Interrog. 229. probat exemplo corporis, cujus vitia non aperimus nisi iis, qui rationem ea curandi non ignorant. Et Interrog. 288. idem probat exemplo eorum, qui hîc Joanni & Act. 19. v. 18. Apostolis, à quibus baptizabantur, antequam iis baptismus daretur, confitebantur peccata sua. Leo quoque Ep. 80. receptam à veteribus consuetudinem publicæ exomologesis in cœtu Ecclesiastico removet, declarans sufficere reatus conscientiarum indicari solis sacerdotibus. Verè itaque Rhenanus in Admonit. de Tertul. Dogmatis ait; *De secreta confessione, tanquam de ea, quæ præcepta fuerit, qui loquantur, inter veteres, haud temerè reperies.*

7. *Videns autem, &c.* Quomodo non pugnat cum hoc loco, quod scribit Lucas Cap. 7. Pharisæos & Legisperitos consilium Dei spreviſſe in semetipsos, non baptizatos à Joanne? Quamvis enim fortasse non ex animo ut vitam

corrigerent in melius, (ut qui ſibi præ alijs juſti videbantur) ſed magis ut populo ſuum pietatis ſtudium venditarent, plerique eorum ad Joannem baptizandi acceſſerint : verè tamen ab eo multos Phariſæorum baptizatos, hîc Evangeliſta teſtatur; quod negare videtur Lucas. An dicendum Lucam loqui non de omnibus Phariſæis & Legiſperitis, ſed de multis, & maximè de iis, qui, Chriſto ea, quæ Lucas ibi commemorat, in Joannis commendationem dicente, præſentes aderant? Neque enim pugnant hæc duo, multos Phariſæorum fuiſſe à Joanne baptizatos, atque item multos eorum à Joanne non fuiſſe baptizatos. Poteſt & ſic exponi quod dicit Lucas; Phariſæi, & Legiſperiti, qui à Joanne baptizati non fuerunt, ſpreverunt conſilium Dei in ſemetipſos. Quâ expoſitione non dicitur, multíne fuerint an pauci, ſed tantùm ſignificatur aliquos fuiſſe.

Phariſæorum. Phariſæi dicti videntur B. Hieron. à פרץ ecundum Fungerum à פרס *Paras diviſit*; meliùs Epiphanius initio Panarij à פרש *Paraſch ſeparavit*; dicunter enim Hebraicè פרושים, *ſeparati*, quaſi ſuo vivendi modo à ceteris ſegregati. Conſtat autem ex Joſephi decimo tertio antiquitatum c. 9. & 18. jam inde à tempore Machabæorum ſectas Phariſæorum & Saducæorum fuiſſe formatas. Ut autem ipſe Joſephus teſtatur locis citatis, & 18. antiquit c. 2. hæc Saducæos inter & Phariſæos erat differentia, quòd Phariſæi profiterentur certiorem Legalium rituum notitiam, traditiones mordicùs tenerent, agnoſcerent fatum, ita tamen ut libertatem arbitrij in pleriſque non titulum ſine re facerent, animam faterentur eſſe immortalem, & bonam animam ſentirent in alia migrare corpora, cùm mala perpetuis plectatur pœnis; at Saducæi, ſic dicti à ſectæ principe צדוק, fatum è medio tollebant cum præmiis & pœnis animarum, corporum reſurrectione, ſpiritibus omnibus & traditionibus, omniáque tribuebant hominis libertati. Pauci quidem erant Saducæi, ſed iis divites adhærebant, utpote ditioribus, cùm populus adhæreret Phariſæis tam pertinaci animo, ut etiam ſiquis Phariſæorum Pontifici aut Regi obloqueretur, ei tamen populus fidem haberet. Nam quidquid ad ſolemnes precationes & cultum divinum ſpectabat, juxta Phariſæorum præſcriptum fieri ſolebat, adeo ut cùm Saducæi Magiſtratum licèt inviti ſuſciperent, mox Phariſæorum decretis aſſentirentur, quod niſi facerent, non ferendi erant à populo.

In libro Talmudico, qui סוטה inſcriptus eſt, capite ſecundo, ſcriptum legitur, quòd ſeptem ſectæ Phariſæorum ſunt, nempe

nempe Pharisæus Sichimita, Pharisæus impingens, Pharisæus sanguinem effundens, Pharisæus mortariarius, Pharisæus quid debeo facere & faciam illud, Pharisæus ex amore, & Pharisæus ex timore. Sichimitam vocant, quòd religionem suam carnalis alicujus commodi causâ susceperat, sicut Sichimitæ olim circumcisionem ob nuptias Dinæ Jacobi filiæ impetrandas. Impingentem, quod pedibus subinde in lapides impingeret. Sanguinem effundentem, quòd caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multo sanguine manaret. Mortariarium, quòd capitio seu calyptrâ caput opertum haberet, ex qua, velut ex profundo mortario prospiceret: cujusmodi hodie alicubi Judæi, alicubi verò etiam Sophistarum discipuli, in Scholis publicis utuntur, nisi quòd eam raro capiti rectè inducunt. Nam eâ rectè inductâ, neque sursùm, neque dextrorsùm, neque sinistrorsùm, sed tantùm prorsùm, atque deorsùm prospicere possunt. Pharisæum quid debeo facere & faciam illud sic vocant, quòd hæc verba, inanis gloriæ causâ, subinde ejacularetur. Pharisæum ex amore vocant, quod amore præmij suam religionem sectaretur. Pharisæum autem ex timore, qui metu iræ Dei, in suam superstitionem incidisset. Atque hîc perpendat lector velim, an Paulus, cum diceret Act. 26. v. 5. secundùm certissimam sectam se vixisse Pharisæum, hoc significarit, quòd secta Pharisaica in genere exquisitissima fuerit, si ad sectam Saducæorum, Essenorum & similium compararetur: an verò quòd ex septem prædictis Pharisæorum familiis, eam, quæ certissima visa sit, elegerit, cui se addiceret? Nam utroque modo non inepte accipi potest.

Progenies viperarum. Id est, de malis parentibus pejores generati liberi. Huc respiciens Proto-martyr Stephanus Judæos ita compellat Act. 7. v. 51. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui-Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Et multò ante David Psal. 77. v. 8. *Ne fiant sicut patres eorum generatio prava atque exasperans.* Siquis viperarum nomine dæmones intelligat, qui passim in Scripturis per serpentes significantur, eadem erit locutio hîc, atque Joan. 8. v. 44. ubi Christus dicit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Sic & Paulus Act. 13. v. 10. magum Elymam vocat filium diaboli.

Quis demonstravit, &c. Verba sunt Joannis increpantis male conversos ad se confluentes secundum B. Greg. lib. 6 in cap. 15. 1 Reg. q. d. Quis tam malè docuit vos rationem fugiendi venturam peccatorum vindictam, ut vobis persuaserit contra veritatem oris confessionem ad hoc sufficere?

8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Id est, convenientes & idoneos, non repugnantes pœnitentiæ, quam profitemini. Quasi dicat, Si verè vos pœnitet, sic vivite ut appareat vos resipuisse, et ex animo pristinæ vitæ pœnitentiâ teneri. Arbor est bona voluntas, verba reatum pristinæ vitæ confitentia sunt folia, at oppositæ pristinis peccatis facta justitiæ sunt fructus. Folia autem non propter ipsa, sed propter fructum sunt expetenda. Unde & Dominus arbori foliis decoræ sed fructu sterili maledixit, quia confessionis ornatum non recipit, sine fructu emendationis vitæ in melius.

9. *Ne velitis.* Id est, ne præsumatis.

Potens est Deus, supple, vobis pereuntibus, *suscitare*, &c.

De lapidibus istis. Quos, scilicet, cernitis; dum enim hæc sermocinabatur Joannes, lapides quosdam digito monstrabat. *Ex lapidibus autem*, inquit Hieron. apud D. Thom. in catena, *generari homines simile est ei, quod ex Sara sterili processit Isaac, unde & Esaiæ c. 51. dicitur: Aspicite ad petram de qua excisi estis: Hujus igitur prophetiæ nos memores faciens monstrat Joannes quòd possibile est nunc etiam simile fieri.*

Abrahæ. Supple, promissos. Est enim Dativus, ut patet ex textu Græco. *Non enim*, inquit B. Hilarius, *successio carnis quæritur, sed fidei hæreditas: dignitásque originis in operum consistit exemplis. & prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur.* Filium esse Abrahæ nihil aliud declarat, quàm gratis electum esse, Rom. 9. v. 8. & vestigiis fidei Abrahæ insistere, Rom. 4. v. 12. & opera Abrahæ facere Joa. 8. v. 39. ex quibus rectè colligitur certa futuræ salutis expectatio. *Si*, inquit Aug. lib. 22. contra Faust. c. 32. *semen cujusque non appellaretur, nisi quod ejus carne nascereturr, nec nos appellaret Apostolus semen Abrahæ, qui certè originem carnis ab illo non ducimus, sed imitatione fidei semen ejus facti sumus, credentes in Christum, cujus caro ex illius carne propagata est.*

10. *Jam enim*, &c. Probat Joannes ex imminente peccatorum vindictâ nulli quidquam prodesse quod sit filius Abrahæ, nisi & opera Abrahæ faciat. *Jam*, inquit Joannes, *quia tam longanimis est Deus videndo iniqua, & non puniendo, ut tamen cito sit futurum judicium. More quippe humanæ vitæ prolixum est, quod Deo breve est. Ex Adam multi anni evoluti sunt, multi anni fluxerunt, & deinceps fluent: non quidem tam multi, sed tamen usque in finem seculi transibunt anni, sicut & illi transierunt. Longum videtur quod restat, quanquam non erit tantum, quantum transactum est: & tamen ex transacto præterito tempore, sperandus est finis reliqui temporis. Fuit tunc quidem dies, qui dicere-*

ceretur hodiernus, ex illo usque ad hunc hodiernum, nonne quid quid fuit futurum, præteritum factum est? Tale habetur ac si non fuerit. Sic erit quidquid restat extremum. B. Aug. De decem chordis c. 2.

Omnis ergo arbor. Id est, omnis homo, sive sit filius Abrahæ secundum carnem, sive non sit. *Hæc sententia evidenter ostendit, quia non solùm malum feciſſe, sed etiam bonum non egiſſe damnabile erit,* inquit Autor Ser. 16. l. 50. Hom. apud Augustinum.

In ignem mittetur. Supple ex v. 12. inextinguibilem. His dictis à Joanne, ut constat ex Luc. 3. interrogatus à turbis, Publicanis & Militibus respondit quid singulis esset faciendum, ne immedicabiliter ferirentur, & igni inextinguibili comburendi traderentur; tùm suspicanti populo ipsum esse in Lege & Prophetis promissum Messiam, dixit ea, quæ hîc mox sequuntur: *Ego quidem baptizo,* &c. Vide Luc. 3. Quæ autem Matthæus hîc refert dicta ad Pharisæos, Lucas cap. 3. refert dicta ad turbas, quia fortassis turbis dicta sunt, sed præcipuè propter Pharisæos, quorum magna multitudo ad Baptismum Joannis venerat.

11. *In pœnitentiam.* Id est, in signum pœnitentiæ, quòd scilicet anteactæ vitæ pœnitentes cor mundum in vobis crearì desideratis.

Venturus est. Scilicet, mox, jam jam; Græcè enim dicitur ἐρχόμενος in præsenti, *venit,* ut etiam est Latinè apud Marcum. Sensus igitur est idem ac si diceretur, qui jam vicinus adest munus suum auspicaturus.

Fortior. Id est, dignitate major, ut patet ex Joan. 1. v. 15.

Calceamenta portare. Alij Evangelistæ dixerunt, *corrigiam calceamentorum solvere. Itaque,* inquit Aug. lib. 2. de cons. Evang. c. 12. *si ad rem pertinet aliquid aliud intelligere ex eo quòd dictum est, calceamenta portare, aliquid aliud ex eo quòd dictum est, corrigiam calceamenti solvere, quid aliud accipiendum rectè existimaveris, nisi Joannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim; potuit enim sic dicere: Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare: Ut unus Evangelistarum hinc aliud, alij verò aliud, omnes tamen verum narraverint; si autem nihil intendit Joannes cùm de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus & humilitatem suam, quodlibet horum dixerit, sive de solvenda calceamentorum corrigia, sive de portandis calceamentis, eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expressit.*

sit. Utilis est igitur modus, & memoriæ maximè commendandus, cùm de convenientia Evangelistarum dicimus, non esse mendacium, cùm quisque etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille, qui ejus verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nil aliud esse quærendum, quàm quid velit ille qui loquitur. Hæc Aug.

Baptizabit in Spiritu-Sancto. Sic Act. 1. v. 5. Christus ipse opponit Joannis baptisma, quod per aquam fiebat, baptismo per Spiritum-sanctum quem à se brevi accepturi erant Apostoli. Itaque hujus baptismi respectu dicit Joannes in futuro, *Baptizabit*, simul innuens sese ut hominem habere ministerialiter, externam baptismi ceremoniam Dei jussu administrando in remissionem peccatorum, cùm ipsa peccatorum remissio fiat non vi ipsius ceremoniæ externæ, sed virtute Spiritus-Sancti, quem Christus, ut Deus-homo, dat ut agens principale. Ut enim autor epistolæ ad Demetriadem apud Prosperum, in Sacramentis *aliud est quod visibiliter agitur, aliud quod invisibiliter celebratur: Nec idem est in Sacramento forma quod virtus; cùm forma adhibeatur per humani ministerii obsequium, virtus autem per divini operis præstetur effectum.* Magis succincte Cyprianus de Baptismo, *Solus Spiritus rem Sacramenti nobis confert.* Præclarè itaque pro more Witakerus lib. 8. De paradoxis: *Non Joannes modò, sed ne Petrus quidem, aut quisquam Evangelii minister conferre in eos Sp. Sanctum potest, quos baptizat. Homines externum Sacramentum præbent, mentes intùs Christus Spiritu-Sancto purgat. Jam verò quid de Joannis baptismo Patres senserint, non laboro. Rem enim Scripturæ satis perspicuè expediunt, ut non sit necesse Patrum varias et incertas opiniones inquirere. Nec ignoro Aug. lib. 5. De baptismo contra Donatistas cap. 10. palam profiteri se non acturum pugnaciter, siquis in baptismo Joannis dimissa esse peccata contenderit.* Etiam Cornelius Jansenius Gandavensis Antistes in Concordia Evangelica cap. 13. fatetur hanc fuisse sententiam B. Ambrosii, cujus hæc verba lib. 1. de Sp. Sancto. c. 3. *Illi, qui negaverunt Act. 19. Se scire Spiritum-Sanctum, quamvis baptizatos dicerent se in Joannis baptismo, baptizati sunt postea; quia Joannes in remissionem peccatorum in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine. Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Joannes baptizare solebat, acceperant.* Quod idem diserte tradit autor commentariorum in Epistolas Pauli sub Ambrosii nomine in cap. 3. Ep. ad Galatas, nimirum duodecim illos discipulos, de quibus Act. 19. Pauli jussu baptizatos, *quia in adulterino baptismate sub nomine Joannis fuerant non tincti, sed sordidati.* Similiter B. Basilius Hom.

Hom. 1. 2. & 13. De baptiſmo docuit Joannis baptiſmum datum miſſionem peccatorum. Hinc non minus eleganter, quàm vere de Joanne cecinit Prudentius Cathemer. Hym. 7.

Hortator ille primus, & doctor novæ,
Fuit ſalutis: nam ſacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas.
Sed tincta poſtquam membra defecaverat;
Cœlo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavacro labe demtâ criminum,
Ibant renati; non ſecùs quamvis rudis
Auri recocta vena pulchrum ſplendeat,
Micet metalli ſive lux argentei,
Sudùm polito prænitens purgamine.

Idem innuit Chryſologus, dum Serm. 13. ait *Joannem hominibus dimiſiſſe peccata.*

Et igni. Hebraiſmus &, pro, id eſt: ut enim ait B. Aug. Serm. 11. De verbis Domini cap. 12. *Non ab re eſt Spiritum-Sanctum nomine ignis ſignificatum videri. Propter quod & in adventu ejus dictum eſt Act. 2. Viſæ ſunt illis linguæ diviſæ velut ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum. Hinc & ipſe Dominus ait, Luc. 12. Ignem veni mittere in mundum. Hinc & Apoſtolus dicit, Rom. 12. Spiritu ferventes: Quoniam hinc fervet charitas. Diffunditur quippe in cordibus noſtris per Spiritum-Sanctum qui datus eſt nobis. Rom. 5. cui fervori contrarium eſt quod Dominus ait Matth. 24. Refrigeſcet charitas multorum.* Hæc Aug. *Eſt ergo Spiritus-Sanctus ignis*, ut loquitur Cyrillus apud D. Th. in catena, Luc. 12. *ſalubris & utilis, quo habitatores terræ frigidi quodammodo & extincti propter peccatum incaleſcunt ad pietatis vitam.*

12. *Ventilabrum.* Id eſt, diſcretio judicij. Græcè πτύον *pala*, ut Aug. legit in Pſ. 92. Cypr. Ep. 51. & Tert. De fuga. Inſtrumentum eſt, quo frumenta ad ventum ventilata quaſſataque à palels expurgantur, à πτύειν dictum, quòd veluti expuat ea, quæ ſunt inutilia.

Manu. Id eſt, poteſtate.

Aream. Id eſt, Eccleſiam.

Triticum. Id eſt, electos virtutibus graves.

Horreum. Id eſt, cœleſte habitaculum.

Paleas. Id eſt, reprobos, leves, & operum bonorum expertes; *Qui*, ut ait B. Baſilius in Reg. Brev. interrog. 257. *eo modo inutiles ſunt dignis regno cœlorum, quo paleæ triticeo; neque id ex ullo charitatis in Deum, proximive inſtinctu faciunt, atque ita imperfectos ſeipſos relinquunt.* Pſ. 1. v. 4. ſecundum veritatem Hebraicam impii aſſimilantur glumæ, quam projicit ventus. Vide & Pſ. 35. v. 5. Eſa. 17. v. 13. in quibus

tribus locis Vulg. pro gluma, habet dictionem *pulvis*.

Igni inextinguibili. Non videtur ex hoc loco posse colligi pœna ignis materialis, quia totus sermo est Metaphoricus, ut patet; *cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Non magis ergo materialis ignis datur intelligi, quàm ventilabrum, area, triticum, horreum, paleæ, materialia & propriè dicta. Dicens ergo ignem inextinguibilem; videtur tantùm significare voluisse supplicium seu pœnam æternam. Vide Commentarium nostrum in Marci caput nonum, ubi conciliare tentabimus dicta sanctorum Patrum, qui negare videntur ignem materialem in inferno, cum dictis aliorum, qui diserte ignem materialem in inferno adstruunt.

13. *Tunc.* Cùm scilicet Joannes omnes ad pœnitentiam excitasset, & baptizando in aqua obsignasset remissionem peccatorum vivâ in Christum jamjam venientem fide impetratam..

A Galilæa. Id est, ut dicitur Marc. 1. v. 9. *à Nazareth Galilææ*, ubi hactenus privatus vixerat.

In Jordanem. Id est, ad eum Jordanis locum, ubi Joannes baptizabat.

14. *Prohibebat eum.* Magna hîc est difficultas cur Joannes Christum ad baptismum suum accedere prohiberet, cùm ipse de se dicat. Joan. 1. v. 33. *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu-Sancto?* Respondet Chrysost. ante adventum Christi ad Joannis baptismum scivisse Joannem, quòd Christus in mundum veniisset & in Spiritu-Sancto baptizaturus esset; nescivisse tamen quisnam esset ille Christus, quem nondum facie noverat; in ipso verò Christi ad baptismum accessu; Spiritûs revelatione secretâ indicatum fuisse Joanni, hunc esse Christum, qui ad suum baptismum modo accedit, & ideò à Joanne prohibitum fuisse ne accederet; eodémque tempore ad certiorem revelationis fidem signum externum Christi internoscendi esse datum: *Super quem videris Spiritum, &c.* ut per hoc signum posset Joannes de ipso aliis testimonium perhibere. August. rem aliter expedit, censet enim Joannem novisse personam Christi, neque hoc signum ei propterea datum, sed nescivisse qualitatem istam, quòd ipse esset qui per omnium ministrorum manus baptizaret in Spiritu-Sancto; nescivisse, inquam, quòd in baptismo minister qui baptizat, exhibeat ministerium, sed ipse Christus det Spiritum-Sanctum.

ctum in ministerio etiam servorum suorum. Hoc ut discèret Joannes, qui misit eum baptizare in aqua, illi dixit, *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ita Aug. Tract. 5. & 6. in Joan. & aliis diversis locis. Hinc illud ejusdem Augustini: *Hic est qui baptizat: Paulus baptizet, hic est qui baptizat: Judas baptizet, hic est qui baptizat.*

Debeo baptizari. Id est, ego à te baptizari indigeo, ut patet ex textu Græco. Indigebat autem Joannes baptismo Christi ut membrum fieret Ecclesiæ Christi, cujus janua est baptismus. Vide B. Hier. Autor. op. imperf. Theophyl. & Euthym.

15. *Sine modò.* Hoc verbo, *sine*, non tam improbat, quàm approbat prohibitionem Joannis; sed addens, *modò*, significat hoc fieri debere temporali quâdam dispensatione, ut observat B. Greg. Nazian. Orat. 39.

Sic. Pœnitentiam scilicet profitendò.

Decet nos. Qui nimirùm aliis pœnitentiam profitendam indicimus.

Adimplere omnem justitiam. Id est, perfectam justitiam. Sic B. Jacobus perfectum gaudium vocat *omne gaudium*, & B. Paulus *omnem fidem* vocat fidem integerrimam, plenissimam & perfectissimam. Hæc autem est perfecta justitia secundum B. Ambr. lib. 2. in Lucam, *ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias & tuo alios horteris exemplo.* Christus igitur factus pro nobis in similitudinem carnis peccati, ad pœnitentiæ baptismum accessit, ut nos doceret suo exemplo, quòd quinto post Christum natum seculo Augustinus dicere solebat, *neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere ut sine pœnitentia migraret è vita.*

Baptizatus, &c. Christum fuisse nudum, cùm a Joanne baptizaretur, satis innuunt verba Evangelistarum, disertéque scribunt Epiphanius in Ancorato cap. 117. & Joannes Damascenus in Oratione adversus imperatorem Constantinum Caballinum. Qui mos nudos baptizandi ab apostolicis temporibus ad initium usque duodecimi seculi in ecclesia perseveravit, ut liquet ex Hugonis Victorini Theologicæ eruditionis Summæ Tract. 5. cap 7. Rationem autem hujus nuditatis discimus ex Facundo Hermianensi antistite in lib. 4. ad Justinianum imperatorem Cap. 4. nimirùm, *ut non solâ voce, verùm etiam totius habitu corporis profiteamur exuisse nos veterem hominem cum actibus suis.*

16. *Confestim ascendit.* Particula *confestim* non ad *ascendit*, sed ad *ecce aperti sunt*, refertur; unde Marc. 1. v. 10. habetur: *Statim ascendens de aqua vidit.*

Aperti sunt cæli. Sensibili divisione in supremo aere vel aethere.

aethere. Similiter & columba, & vox audita fuerunt sensibiles; sicque hæc omnia contigere, ut è cœlo proficisci viderentur.

Ei. Scilicet, Christo & propter Christum.

Sicut Columbam. Sunt è Patribus qui veram Columbam in Christum descendisse volunt. Ita Tertullianus in lib. De carne Christi cap. 3. sic scribit de Spiritu-Sancto in Christum descendente: *Tam verè erat Columba, quàm & Spiritus; nec interfecerat* (fortè, *interceperat*) *substantiam propriam assumtâ substantiâ extraneâ.* Et B. Aug. de Agone Christiano c. 22. Christi corpus cum hac Columba conferens ait: *Neque hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum, sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus-Sanctus; sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus Columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare; sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare.* B. Augustinum sequitur D. Thomas, 3. p. q. 39. art. 7. & Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ Annot. 13. omnes fere Scholasticos Theologos idem sentire scribit. Tamen quatuor Evangelistæ Columbam in Christum descendisse non dicunt, sed tanquam Columbam, & disertiùs Lucas dicit c. 3. v. 22. Spiritum-Sanctum descendisse corporali specie tanquam Columbam; ubi Syrus & Arabs habent, *juxta similitudinem corporis Columbæ*, & Æthiops, *in corpore tanquam Columbæ*; unde concludi posset juxta mentem Æthiopis, corpus fuisse quod apparuit, non verò corpus veræ Columbæ, quod & Augustinum sensisse vult Maldonatus, licèt ipsius verba citata repugnent; alii contra Possidii Indiculum & ipsum Augustinum librum de Agone Christ. pro suo agnoscentem l. 2. Retract. c. 3. negant eum esse Augustini. Sed textui Evangelico concinit universa authoritas traditionis. Justinus in dialogo cum Tryphone Judæo, Irenæus l. 3. c. 19. Origenes in Luc. Serm. 27. Epiph. adversus Sabellianos Hæresi 62. Hilar. in Matth. can. 2. Chrysost. in Matth. Hom. 12. Isidor. Pelusiotes Ep. 106. Cyril. in Joan. Author libri de mirabilibus Scripturæ sub Augustini nomine l. 3. c. 5. Author libri de Sacramentis sub Ambr. nomine l. 1. c. 5. Procopius Gazæus in Genes. 18. Imò & in Tertulliani libro de Baptismo c. 8. legitur Spiritus-Sanctus in Columbæ figura delapsus in Dominum, & B. Aug. lib. 2. de Trinitate c. 5. idem asserit, & disertiùs Ep. 102. ad Evodium dicit de hac Columba sub cujus specie descendit Spiritus-Sanctus, quod sit, *solâ specie corporali oculis reddita,*

tâ, non naturâ viventis animalis expressâ. Juvencus Evang. Hist. l. 1.

Corpore ámque gerens speciem, descendit ab alto
Spiritus, aëream simulans ex nube Columbam.

Sedulius carminum lib. 2.

Confectum patuêre poli, Sanctúsque Columbæ
Spiritus in specie Christum vestivit honore.

Interim notandum est Tertullianum ea dicere de Spiritu-Sancto, quæ vera esse non possunt, nisi fingatur Spiritus-Sanctus Columbam unione hypostaticâ sibi assumsisse, ut patet ex ipsius verbis citatis; unde alius error natus est, nempe Spiritum-Sanctum tantò esse infra Christum, quantò columba est infrà hominem. Ut Martialis columbam Stellæ cum Catulli passere conferens, Stellam contendit Catullo tantò meliorem esse Poetam, *quantò passere major est columba.* Sed hunc errorem ita refellit Chrysostomus in Matth. Hom. 12. Ὁ μὲν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, τὸ δὲ ἐν ὄψει, περιστερᾶς ἐφάνη. Item, Ὁ μὲν υἱὸς τῦ θεῦ φύσιν ἀνθρώπου ἀνέλαβε· τὸ δὲ πνεῦμα οὐ φύσιν ἀνέλαβε περιστερᾶς. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς οὐκ εἶπεν, ὅτι ἐν φύσει περιστερᾶς, ἀλλ' ἐν εἴδει περιστερᾶς· οὐκοῦν οὐδὲ μετὰ ταῦτα ὤφθη ἐν τούτῳ τῷ σχήματι, ἀλλὰ τότε μόνον. *Christus quidem in natura nostra, sed Spiritus in Columbæ specie apparuit; hominis quidem naturam suscepit Dei Filius, sed columbæ naturam non suscepit Spiritus. Proinde non dixit Evangelista eum in natura Columbæ, sed in specie Columbæ descendisse. Neque postmodùm in ea specie apparuit, sed tunc solùm.* Nos addimus quòd etsi Spiritus-Sanctus verè naturam columbæ assumsisset, pessimè tamen inde concluderetur quòd persona Spiritûs-Sancti sit minùs perfecta, quàm persona Filij, nisi intelligeretur secundum naturam assumtam; sic enim assumsisset naturam columbæ, ut suam non dereliquisset, quâ unum est cum Patre & Filio, sicut nec Filius est minor Patre secundum personalitatem, vel secundum naturam suam Divinam, quia assumsit nostram naturam; sic enim nostram assumsit, ut suam non derelinqueret.

Superest solvendum B. Aug. argumentum, quo in lib. de Agone Christ. probare nititur veram fuisse hanc Columbam, sub cujus specie apparuit Spiritus-Sanctus in baptismo Christi: *Ambo*, inquit, *corpora*, nempe Christi & Sancti-Spiritûs, *vera corpora credimus; sicut enim non oportebat, ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus-Sanctus.* Verùm hæc argumentatio parùm habet virium. Quem enim hæc Columbæ species fefellisset, cùm ex Matth. 3. v. 19. Mar. 1. v. 10. & Jo. 1. v. 32. illam non constet quemquam vidisse præter Christum ipsum, & Joannem

annem Baptiſtam? In mediis quidem turbis Chriſtus baptizatus eſt Luc. 3. v. 21. ſed his Columbam apparuiſſe Evangeliſtarum nemo ſcripſit; imò præter Chriſtum à nullo fuiſſe viſam Columbam præterquàm à Joanne apertè docent hæc verba Joan. 1. v. 32. *Et teſtimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi Columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.* Quid enim opus fuiſſet tanti viri teſtimonio ad id probandum, quod alij quoque vidiſſent, adeóque omnes turbæ, quæ tum Chriſtum & Joannem circumſtabant? Hæc porro Columbæ ſpecies Chriſto non impoſuit, qui erat erroris expers: Nec Joanni, qui à Deo præmonitus fore, ut Spiritus ſuus viſibili ſpecie deſcenderet & maneret ſuper Filium ſuum, cùm hanc Columbæ ſpeciem ſuper Chriſtum deſcendere & deſidere vidit, pro comperto habuit hæc in viſione fieri, prout prædixerat Deus: unde non dicit ſe vidiſſe Columbam, ſed *tanquam Columbam.* Præterea dato, non conceſſo hoc Columbæ φάσμα, ut rectè vocat Origenes, ab omnibus fuiſſe conſpectum, & à pleriſque fuiſſe creditum veram fuiſſe Columbam, ne ſic quidem eos fefelliſſet Spiritus-Sanctus. Neque enim is verè fallit, qui ob oculos imaginem ponit, non fallendi animo, ſed docendi. Talis autem fuit hæc viſio, quâ ob oculos Columbæ ſpecies propoſita eſt, non ut crederetur vera eſſe columba, ſed per eam Sancti-Spiritûs præſentia ſignificaretur, & quæ ſint ejus virtutes. Hoc ſi putetur eſſe falſitas, abolebitur omnium viſionum uſus, in quibus aliud oculis, aliud animo exhibetur; neque ſolùm in Columbæ, ſed & in linguarum ignearum viſione fefellerit Spiritus-Sanctus, cùm hæ linguæ, veræ linguæ non eſſent, nec verus ignis. Proinde ut hîc deſcendiſſe legitur *tanquam Columba*, ita Act. 2. v. 3. viſæ linguæ dicuntur *tanquam ignis*, & paulò antè auditus dicitur eſſe ſonus non venti, ſed tanquam venti, ſeu ut habat Vulgata editio, *tanquam advenientis ſpiritûs vehementis*, quod etiam obſervat B. Chryſoſt. Serm. 1. De ſancta Pentecoſte, ut ſciamus hæc omnia in viſione obtigiſſe.

17. *Hic eſt.* Marcus & Lucas variant verba, ſed non ſenſum. *Anne*, inquit Hila. lib. 6. de Trinit. *tibi in eo, quod dicitur, Hic eſt, non hoc ſignificare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios, ſed hic filius meus eſt? Donavi adoptionis plurimis nomen, ſed iſte mihi filius eſt.*

Dilectus. Familiare eſt Græcis authoribus, tum prophanis, tum ſacræ Scripturæ interpretibus dilectum dicere pro unico, ſeu unigenito. Sic Homero Aſtyanax dilectus dicitur

tur, non enim alium habebat Hector. Idem videre est apud Græcos interpretes Genes. 22, v. 12. Judic. 11. v. 34. Proverb. 4. v. 3. &c. ubi Hebræum יחיד ἀγαπητὸς redditur. Ita ergo Christus hìc dilectus Dei Filius dicitur, quòd unicus sit; *Unus enim de uno*, inquit Ruffinus in Symbolum, *nascitur, quia splendor unus est lucis, & unum est verbum cordis. Nec in numerum pluralem desluit incorporea generatio; nec in divisionem cadit, ubi qui nascitur nequaquam à generante separatur. Unicus est, ut menti sensus, ut sapientia sapienti, ut cordi verbum, ut forti virtus. Nam sicut solus sapiens Pater ab Apostolo dicitur, ita & solus Filius sapientia nominatur. Unicus ergo Filius est, & cùm sit gloriâ, sempiternitate, virtute, regno, potestate, hoc quod Pater est, omnia tamen hæc non sine authore sicut Pater, sed ex Patre, tanquam Filius, habet, & cùm sit ipse omnium caput, ipsius tamen caput est Pater.* Hæc Ruffinus. Dilectus igitur Dei Filius dicitur Christus eo sensu, quo Philosophorum Princeps oculum monoculi, ἀγαπητὸν dixit.

In quo mihi bene complacui. Id est, cujus causâ & propter quem omnem in genus humanum conceptam indignationem depono.

CAPUT IV.

1. *Tunc.* Id est, statim post Christi baptismum, ut patet ex Marc. 1. v. 12.

Desertum. Hoc dicitur vocari Quarentana, éstque inter Jerusalem & Jericho, ut ait Anselmus.

A Spiritu. Scilicet, suo. Illuc autem Jesum suus Spiritus duxit, ubi eum ad tentandum malignus spiritus inveniret. B. Greg. Hom. 16. in Evang.

Ut tentaretur. Non delectatione & consensu, sed solà suggestione, atque adeò omnis illa diabolica tentatio foris non intùs fuit. Ita B. Greg. ibid. Præbuit autem Christus seipsum [illegible]tandum, ut ad superandas tentationes mediator esset, non solùm per adjutorium, sed etiam per exemplum, ut ait B. Aug. 4. de Trin. c. 13. Porrò ordinem, quo Christus fuerit tentatus, sequi Matthæum, indicare videntur hæc verba, *tunc, iterum.* Marcus autem c. 1. totam Christi tentationem compendio tantùm tetigit. Lucas verò. 1. generatim tractat Christi tentationem, quam posteà sigillatim

tim & per ſingula deſcribens, duas ultimas tentationes, ordine inverſo tradit.

A diabolo. Cùm omnes creaturæ miniſtrent Deo, & eis Deus utatur ſecundum qualitates earum; ſicut bonis Angelis utitur ad benefaciendum, ſic malis ad malè faciendum, & nunquam è converſo. Quare cùm aliquid mali inferendum eſt hominibus, præter tenorem cauſarum conſuetum, tunc patet eſſe articulum agendi dæmonibus, ſive hoc malum ſit propriè malum, ſive tantùm diſpoſitio ad majus bonum, ſicut in B. Job. Nihil tamen repugnat Angelos bonos eſſe miniſtros pœnæ, quatenùs bona eſt, ſicut & Deus ſub hac ratione mali pœnæ cauſa eſt, ſed nunquam Angeli boni ſunt miniſtri immediati pœnæ, ſed mediantibus Angelis malis; atque ita Angeli boni, qui in Scripturis leguntur malè feciſſe hominibus, ut qui peſtem intulit Jeroſolymis, exercitum Sennacherib interfecit, tantùm imperio præfuerunt actioni, ut à Deo proficiſcenti, non autem executionem ipſam exercuerunt. Hinc videas, cur dæmones quidquid mali poſſunt, operantur, etiamſi non lateat illos plus boni hominibus poſtmodùm exindè eventurum. Cùm enim appetitus nocendi prævaleat in eis fulgori veritatis, etiam contra ſcientiam operantur, ut & animæ ſeparatæ reprobæ. Et inde fit, ut miniſterium eorum nunquam deſit Deo ad judicia ſua exercenda, nec opus ſit ut impellat eos aliquo modo præter naturam & inclinationem eorum. Unde leguntur & in B. Job, & in viſione Michææ, ſponte ſe obtuliſſe.

2. *Quadraginta noctibus.* Addidit Evangeliſta noctes diebus, ne putaretur Chriſtus jejunaſſe more Judæorum, qui per diem nihil cibi, potûſve ſumentes, noctu veſcuntur. *Non autem ultrà proceſſit jejunando, quàm Moyſes & Elias, ne incredibilis videretur carnis aſſumtio.* Chryſoſt. Hom. 13. in Mat.

Poſteà eſuriit. Id eſt, completis & tranſactis in jejunio quadraginta diebus & noctibus, ceſſit Chriſtus humanæ naturæ, ut ex ipſius veritate eſuriret. *Eſurivit, quia & hoc dignatus eſt, quia & hoc ad humilitatem pertinuit. Eſurivit panis, ſicut defecit via, ſicut vulnerata eſt ſanitas, ſicut mortua eſt vita.* [illegible] Serm. 41. de verbis Domini.

3. *Tentator.* Id eſt, obſervator, ſeu inſidiator, qui vulgò dicitur diabolus. Idem videtur ſignificari Gen. 3. vi. per vocem Hebraicam שָׂטָן, quæ propriè obſervatorem, inſidiatorem, ſeu tentatorem ſignificat. Unde loco citato Geneſis, ubi vertitur: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus:*

mantibus : verti posset : *Et tentator erat callidior cunctis animantibus:* ut sensus sit callidiorem fuisse tentatorem etiam ipso homine, qui ceteris animantibus præerat; quod plus satis ex eventu patuit. Quia verò ex inspectione serpentium olim auguria fieri solebant, factum est ut vox *Nachasch*, quæ propriè Augurem significat, ad serpentem significandum transferretur, quia ex serpentibus auguria sumi solebant.

Si Filius Dei es. Id est, siquidem Filius Dei es. Quis enim sibi persuadeat diabolum ignorasse quæ gesta sunt olim, cùm Christus offerretur in Templo, vocem in baptismo Christi è cælo delapsam, & publicum de Christo Joannis Baptistæ testimonium? Tantò autem amplius contra Christum machinatur diabolus, quantò sperat Deo se nociturum.

Dic ut lapides isti, &c. Hæc prima Christi tentatio analogiam habet cùm his ejusdem tentatoris ad proto-parentem verbis Gen. 3. v. 1. *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Heb. *Etiam quod dixit Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Q. d. Non satis fuit Deo ad custodiendum hortum suum vos obligavisse, sed etiam non permittit vos manducare?

4. *Respondens.* Christus *respondit tentatori, docens te respondere tentatori; ad hoc enim pugnat imperator, ut milites discant. Non fecit Christus de lapidibus panes, qui utique sic potuit facere, sicut de aqua vinum: ejusdem enim est potentiæ facere de lapidibus panem; sed non fecit, ut, voluntatem contemneret tentatoris. Aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur.* Aug. Serm. 41. de verbis Domini.

Scriptum est. Sanctarum scripturarum testimonia diabolo ingeruntur *non ut inconvertibilis doceatur, sed ut impudens confutetur*, ait B. Maxim. Taurinensis Hom. 2. de Jejunio Quadragesimæ. *Edocemur*, inquit Abbas Theonas, *ut fraudulentis suggestionibus inimici nos quoque similiter autoritate Scripturarum debeamus obsistere.*

Non in solo pane &c. Q. d. Nihil est prorsus, quod non loco panis esse possit, ubi Deo placet. *Hoc est dicere.* inquit B. Maximus Taurinensis Antistes Hom. 1. in Dominic. 1. Quadragesimæ, *Frustrà, diabole iterùm per escam supplantare conaris: sufficiat tibi suadendo cibos illicitos, in paradiso Adam per te fuisse deceptum. Nec esuries me vincit, nec tuis suasionibus cedo. Voluntas enim Dei cibus est meus; verbum Dei mihi est perfecta refectio.*

5. *Tunc.* Id est, secundò.

Assumsit. Permisit se Christus à diabolo in sanctam civitatem, id est, Jerusalem (ubi agebantur sancta temporalia

lia, scilicet sacrificia & hujusmodi alia) & in montem excelsum per aera rapi, qui pertulit etiam à membris illius crucifigi.

6. *Mitte te.* Proponere præcipitium potest, præcipitare non potest diabolus.

Angelis suis &c. Hæc tentatoris verba analogiam habent cum his ejusdem tentatoris Gen. 3. v. 4. ad mulierem verbis: *Nequaquam morte moriemini.*

In manibus &c. Q. d. Erit tibi, quasi Angeli te gestarent, ne ad lapidem allidas pedem. Simile dicitur Job. 5. v. 23. *Cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.*

7. *Non tentabis &c.* Id est, ne præsumseris experimentum sumere Divinæ potentiæ, sapientiæ, aut alterius attributi Divini. Q. d. *Quod suades, diabole, tentationis præsumtio est, non consilium sanitatis: Factantiæ vanitas, non virtutis exemplum. Inane est enim omne miraculum, quod utilitatem saluti non operatur humanæ.* B. Maxi. loco mox laudato.

8. *Iterùm.* Id est, tertiò.

Montem. Hic mons non creditur longè abesse Septentrionem versus à Jericho,

Ostendit. Supple, ex Luc. 4. *in momento temporis*; idque per artem Perspectivæ vel Opticæ, ut putat Franciscus Lucas.

Et omnem gloriam eorum. Hebraismus. Q. d. Et quidquid in quovis regno esset præstantissimum.

9. *Hæc omnia tibi dabo.* Hoc superbus mendaciter dicit, sicut jam mendax ab initio dixerat proto-parenti: *Eritis sicut Dij.*

Si cadens adoraveris me. B. Hier. in Dan. 3. *Omnem*, inquit, *Scripturam sanctam mente percurrens, nisi tamen me fallit oblivio, nunquam reperio quod Sanctorum quisquam Deum cadens adoraverit, sed quicunque idola & dæmones & rem illicita adoraverit, cadens dicitur adorare.* Sanè fefellit B. Hier. oblivio. Nam Gen. 17. v. 3. Abraham Deum adorans cecidit pronus in faciem. Jos. 5. v. 13. legimus: *Cecidit Josue pronus in terram & adorans ait.* Supra c. 2. Magi procidentes adoraverunt Christum, &c.

10. *Vade.* Id est, apage, ut patet ex textu Græco.

Satana. Nomen *Satan* impropriè sonat Hebraicè adversarium; unde & bonus Angelus, qui in gratiam fidelium Balaamo se opposuit, dicitur Num. 22. v. 22. fuisse *satan* ipsi, id est, ut etiam Vulgatus interpretatur, ut ipsi adversaretur.

versaretur. Antonomasticè autem *Satan* dicitur Diabolus utpote qui Deo adversatur, & Fidelibus. Proprie *Satan* vocatur, qui, quoad potest, adversatur executioni divinæ voluntatis. Impropriissimè *Satan* appellatur, qui adversatur inepto alicujus consilio propter ejus utilitatem, cui se opponit; sic improprie dicitur adversarius furiosi, qui ei se opponit, cùm in præcipitium ruiturus est. Ineptiunt Judæi, dum asserunt Diabolum Antonomastice dictum Satanam nihil in homines posse unâ propitiationum die singulis annis, quòd litteræ numericæ nominis השטן valent 364. quo numero aiunt significari, unà die propitiationum exceptâ, Diabolum per reliquos anni dies 364. imperium suum exercere in homines.

Scriptum est. *Falsas de Scripturis Diaboli sagittas veris Scripturarum frangit clypeis,* ut loquitur B. Hier.

Dominum &c. Sensum, non verba ex Deut. 6. citat Christus. Q. d. *Qui te, Dæmon, adoraverit, non et regna, sed infernа debentur. Adorare namque Deum verum, eique servire, prærogativa regnandi est. Tu autem, qui honores mundi, expetitâ prævaricatione promittis, nec regnum dare te posse noveris.* B. Maxim. loco mox citato.

Soli. Hæc particula non extat in veritate Hebraica Deut. 6 v. 13, & 10. v. 20, unde hic versiculus depromatur; verùm necessariò in sensu inclusam expressere Christus, Lxx, & Vulgatus interpres. Imò & 1 Reg. seu, Sam. 7. v. 3. in ipso textu Hebræo exprimitur ועבדהו לבדו, & *servite ei Soli.* Hæc Christi restrictione didici Soli Deo cultum religiosum esse deferendum, proindeque mihi secedendum esse ab Ecclesia Romana, in qua cultus religiosus manu-factis, mente-fictis, & sanctis impertitur.

Servies. Gr. λατρεύσεις. Illa tria vocabula λατρεύειν, δουλεύειν, & προσκυνεῖν promiscue usurpari apud sacros & prophanos Scriptores, & si vocabulorum vis ac proprietas attendatur, eis non designari diversas cultûs species, sed ejusdem cultûs sive civilis, sive religiosi, diversos gradus pridem observarunt Erudìti. Nam προσκύνησις proprie est exhibitio illius observantiæ, cui vulgò nomen est *homagium*; λατρεία in rigore secundùm etymon est reverentia ejus, ad cujus potentiam contremiscimus; δουλεία denique secundum propriam acceptionem significat debitum domino obsequium & servitium. Hinc verè Augustinus vocum strictam significationem attendens q. 94. in Exod. 9. ait λατρείαν tribui Deo ut Deus est, δουλείαν, ut est Dominus, eo videlicet dominio, quod creaturæ est incommuni-

bile. At citra ullum prorsus idoneum fundamentum idem Aug. q. 61. in Gen. λατρείαν asserit non significare nisi servitutem soli Deo debitam, & adorationem religiosam, quæ Deo exhibetur tanquam nostræ creationis & beatificationis principio, cùm adoratio civilis, quæ consistit in agnitione alicujus dominii, vel excellentiæ, & hominibus competat, eáque Gen. 23. *Abraham honoraverit populum quendam gentium*, ut loquitur ibid. Aug.

11. *Tunc.* Scilicet, consummatâ omni tentatione.

Reliquit. Supple ex Luc. 4. v. 3. *Usque ad tempus. Prima Domino nostro principi Martyrum tentamenta sunt blandimenta proposita. Ibi lata mundi sunt in pane, concupiscentia carnis; in promissione regnorum, ambitio seculi; in curiositatis tentatione, concupiscentia oculorum: Hæc omnia de seculo sunt, sed blandiuntur, non sæviunt. Restabat alia tentatio in asperis & duris; in sævis, in atrocibus atque immitibus restabat alia tentatio. Recessit itaque ab eo Diabolus insidians serpens, aliquantò post venturus rugiens leo, vincendus ab eo, qui conculcabit leonem & draconem.* Aug. Hom. 1. inter undecim è Carthusia majori depromtas.

12. *Cùm autem audisset.* Non immediatè post tentationem; nam inter Christi tentationem & Joannis Baptistæ incarcerationem intercessere secundùm Joannis testimonium de Christo, & tertium ad legatos Judæorum ad se missos, prima vocatio Petri & Andreæ, colloquium Christi cum Nathanaele, nuptiæ & miraculum in Cana Galilææ, prima vendentium ejectio è Templo, Christi colloquium cum Nicodemo & quartum Joannis Baptistæ de Christo testimonium, dum facta est quæstio, utrum baptismus discipulorum Christi superet baptismum ejusdem Joannis; hæc omnia videre est, Joan. 2. & 3.

Traditus esset. Scilicet, per invidiam Pharisæorum, qui ex Mat. 17. v. 12. videntur fuisse autores Herodi, ut Joannem Baptistam comprehenderet.

Secessit. Nimirum, ex agro tribûs Judæ, in quo demorabatur, & discipuli ejus baptizabant, ut cederet Phrisæorum invidiæ, uti dicitur Joan. 4. v. 1.

In Galilæam. In eam videlicet partem Galilææ maritimam, in qua Bethsaida & Capharnaum, quæ non Herodi, sed Philippo ejus fratri obvenerat, ut patet ex Josepho. 18. Antiq. c. 3.

13. *Relictâ.* Id est, neglectâ Nazareth (in qua civitate conceptus, educatus, & plurimam ætatis suæ partem egerat) *quia Propheta in patria sua honorem non habet*, ut dicitur

tur Joan. 4. v. 44. exceptus à Galilæis, *qui viderant, quæ fecerat Jeroſolymis in die feſto*; & *ipſi* enim *venerant ad diem feſtum*, cum priùs ferme latuiſſet, cœpit in magno hominum concurſu concionari, palamque ſe Meſſiam profiteri, & inde à B. Luca. c. 4. v. 14. dicitur *in virtute Spiritûs regreſſus in Galilæam.*

Venit. Nempe, poſt varias prædicationes; poſt ſanitatem filio Reguli, qui Capharnaum infirmabatur, in Cana Galilææ redditam; poſt vocationem Petri & Andreæ, Jacobi & Joannis, ut patet ex collatione Joan. 4. v. 43. &c. Marc. 1. v. 14. &c. Luc. 4. v. 14. &c. cum iis, quæ hîc dicuntur.

Habitavit. Non diu, ut patet ex Marc. 1. v. 35. & Luc. 4. v. 42.

Capharnaum. Civitas tribûs Nephtali juxta ſtagnum Genezareth, quo à meridie terminabatur tribus Nephtali, ab oriente tribus Zabulon; totius Decapoleos pene celeberrima & pulcherrima eſt, alluiturque ab oriente fluvij Jordanis oſtio; à meridie Mari Galilææ, ſeu ſtagno Genezareth, ubi Jordanis hoc ſtagnum ſeu mare influit.

Zabulon. Tribus inter Mare occiduum & Mare Galilææ poſita; nomen ſortitur à Zabulon decimo filiorum Jacob, ſed ſexto & ultimo ex uxore Lia.

Nephthalim. Eſ. 9. *Nephthali.* Tribus ad ſuperiorem, eámque occiduam Jordanis ripam ſita, ſic nominata à Nephtali inter filios Jacob ſexto, ſed ex Bala Rachelis ancilla ſecundo & ultimo, vicina eſt tribui Zabulon.

14. *Adimpleretur.* I. eſt, veritas exhiberetur ejus, quod de figura dictum fuit per Eſaiam Prophetam c. 9.

15. *Terra Nephthalim.* Supple, *& cetera.* Solemne eſt Hebræorum Scriptoribus in citandis Scripturæ locis ea Scripturæ verba proferre, quorum causâ Scripturæ citantur; quæ verò illa præcedunt, vel mediant, leviter delibare, & non rarò omnino tranſilire. Sed cum Hebræis in more poſitum ſit defectum verborum inter citata mediantium hac notâ, &c. יגו, deſignare, eam novi Inſtrumenti Scriptores induſtriæ lectoris paſſim ſubintelligendam reliquere.

Via maris. Hac particulâ denotatur Zabulon, cujus terra terminatur Mari Galilææ. Græcè, *viam maris*, qui Accuſativus regitur apud Eſaiam à verbo Hebræo הכביד, *aggravari fecit*, quod verbum hîc omiſit Matthæus de induſtria, ut properaret ad illa verba: *Populus qui ambulabat in tenebris*, &c. quæ vere nunc impleta eſſe dicit; ex iis verò quæ præcedunt, ea tantùm citat, quæ neceſſaria ſunt, ut

intelligamus de eodum populo Esaiam fuisse vaticinatum, ad quem nunc Christus divertit, & cui prædicare cœpit.

Trans Jordanem. Scilicet respectu Assyriorum, de quibus dicit Esaias quòd quasi primò levibus pœnis in diebus Phacee Regis Israel affecerint Zabulonios & Nephtalitas, tandem nono anno Osee filij Ela horum regionem quasi oppressere gravi pondere multitudinis filiorum Israel, quos universos illac in Assyriam abduxere captivos.

Galilæa gentium. Hac particulâ designatur Nephtali, qui Galilæam gentium incolebat.

16. *Sedebat.* Apud Esaiam legitur, *ambulabat.* Ambo hæc verba supplent vicem verbi substantivi *erat*; unde in eundem sensum recidunt.

In tenebris. Id est, ad litteram apud Esaiam, in tribulationibus; at Evangelista tenebras hîc vocat errorem & impietatem, ut testatur Chrysost. Hom. 10. in Mat.

Lucem Magnam. Id est, apud Esaiam ad litteram, diem consolationis. Hîc intelligitur lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Idem repetit hemistichio sequenti, more Hebræis usitato, eodem sensu Litterali & Allegorico.

Sedentibus. Esa. *habitantibus*, id est, existentibus.

Umbræ mortis. Umbra mortis dicitur tristissima rerum & quasi mortis impendentis imago.

Lux orta eis. Scilicet, lucè non quærentibus, ad lucè non currentibus & in ultimis malis jacentibus. Porro hanc Esaiæ authoritati Evangelista non ex textu Græco, sed Hebræo est interpretatus.

17. *Exinde.* Id est, ex quo traditus est Joannes.

Cœpit. Scilicet, in Galilæa.

Prædicare. Palàm videlicet, & assiduè & frequenter. Licèt autem ex Lege Mosaica, ut constat ex Josepho adversus Appionem, tum ex ipsis Scripturis munus docendi publicè fuerit solis Sacerdotibus & Levitis proprium, tamen ut doctissimus notat Genebrardus ad annum mundi 3983. Scribæ, id est, Legis Doctores unà cum Pharisæis Cathedram Mosis vacuam invaserunt, dum Sacerdotes divitiis Ecclesiasticis abutentes desererent suum officium. Huc forsan alludit Christus Luc. 11. v. 52. dum dicit: *Væ vobis Legis-peritis, quia tulistis* (Gr. ἤρατε *rapuistis & arrogastis vobis*) *clavem Scientiæ*; quòd Tertullianus exponit interpretationem Legis, seu, munus docendi Scripturam. Ubi Christus maledicit Scribis, quod potestate, quam rapuerant ac sibi minimè debitam ex Synagogæ indulgentia tulerant, in suam & aliorum perniciem abuterentur. Ex quo autem subsidiarii & adventitij, tam Scribæ, quàm Pharisæi Sacerdotibus & Levitis, in eorum

eorum ſcilicet defectum creati ſunt, cuivis doctrinâ Legis inſtructo licitum erat docere in Synagogis. Unde Chriſtus ex ſemine David ſecundùm carnem de Tribu Juda, ex quâ nullus erat ſacerdos, palàm docebat in Synagogis; & ſimiliter Paulus de Tribu Benjamin, ut videre eſt in Actis Apoſtolorum.

18. *Mare Galilææ.* Hebraiſmus, id eſt, congregatio aquarum Galilææ proxima, quæ & Mare Tiberiadis dicitur vicina ab urbe Tiberiade, quæ urbs primùm Cenereth, aut Cenereth, dein Geneſar aut Geneſareth, tum demùm ab Herode Antipa ampliata, in honorem Tiberij Cæſaris appellata eſt Tiberiades. Hujus Maris longitudo eſſe dicitur quindecim aut ſexdecim millium paſſuum, latitudo ſeptem aut octo millium paſſuum interfluente Jordane. Totum hoc mare amœnis eſt circumdatum oppidis, Capharnao & Corozaim à Septentrione Juliade, Gerasà & Gadarà ab Oriente, Bethſaidà & Tiberiade ab Occidente, Tarichæà à Meridie.

Vidit. Non oculo corporis tantùm, ſed etiam mentis; viſus enim Chriſti eſt reſpectus miſericordiæ juxta illud Exod. 3. *Videns vidi afflictionem populi mei.*

Duos fratres. Obſervat Severianus Gabalorum Epiſcopus Orat. 1. De mundi creatione, quod quemadmodum *in veteri Teſtamento prima Dei vocatio à fratribus cœpit; primos enim præcones Moyſem & Aaronem accepit; ita & in Evangelio primam Petri & Andreæ vocationem facit. Et illic quidem ſimplex gratia; hic autem duplo auctior. Illic enim duo fratres vocati, Moyſes & Aaron: Hîc autem bis gemini, Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes; quòd enim Salvator charitate Sancti Spiritûs nos voluit informare, fratréſque animi affectione ac ſpiritu præſtare, naturam fundamentum ſumſit, commiſitque naturæ viſcera, & in illa Eccleſiæ fundamentum ſuperextruxit.*

Simonem, qui vocatur Petrus. Id eſt, cui jam antè ſibi viſo Chriſtus nomen Petri impoſuerat, vel imponendum prædixerat; in vocatione enim Petri & Andreæ duo veluti gradus obſervari poſſunt, præparatio nimirum, quam vocitant nonnulli vocationem ad fidem, & ipſa vocatio, quâ ita vocati ſunt, ut omnibus relictis Chriſtum perpetuò ſequerentur. Præparatio ſic contigiſſe narratur Joan. 1. Andreas à Chriſti Præcurſore impulſus venit ad Chriſtum, à quo benignè exceptus mox fratrem Simonem ad illum duxit; Simonem Chriſtus pari benignitate excipit, & inſuper novum nomen imponit, vel ſaltem ipſi imponendum prædicit. Hæc fuit prima Jeſu Chriſti in Simonem & Andeam quaſi manûs injectio, quâ ſibi illos aſſerebat, nondum tamen ad ſui ſequelam vocatos, ut teſtantur Eucherius Lugdunenſis in

cap. 1. Joannis, Aug. Tract. 7. in Joan. &c. Hinc patet quòd qui primos Apostolorum vocatos aiunt fuisse Petrum & Andream, attendunt ad primam eorum vocationem, quâ Christus, ut se discipulos ejus profiterentur, ac sæpe ipsum inviserent, vocavit eos; de qua vocatione loquitur solus Joannes Evangelista c. 1. Eucherius verò laudatus, dum in vigilia sancti Andreæ Philippum ante Apostolos omnes vocatum secundum Evangelium Joannis videri ait, attendit ad vocationem, quâ Christus Petrum & Andream assumsit in continuum suum comitatum, de qua vocatione hîc Mat. Marc. 1. & Luc. 5.

Petrus. Sic dictus, ut eleganter Chrysost. Hom. 2. in titulum Psal. 50. ἐπειδὴ τὴν πίστιν πεπυρωμένην ἦν, *quod immotæ rupis instar in fide solidatus esset.*

19. *Ait illis.* Scilicet, ut constat ex Luc. 5. postquam vidisset Petrum & Andream piscantes, & in eorum navim conscendisset, & pusillùm progressus vidisset filios Zebedæi, edidisset miraculum capturæ piscium in navi Petri, & Petro dixisset: *Ex hoc jam eris homines capiens.*

Venite post me. Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, sequimini me, supple ex mox dictis, perpetuò.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Nempe, ut vitalis escæ jactu, ut hamo cælestis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tollatis sempiternam. Vide Chrysologum Ser. 28.

20. *Relictis retibus.* Id est, Synechdochicè, omnibus, ut patet ex Luc. 5. v. 11.

21. *Procedens inde.* Supple ex Marc. 1. v. 19. *pusillùm.*

Reficientes retia sua. Scilicet, in ipsa navi, ut post Matthæum hîc notat Marc. c. 1. v. 19. dum alij, ut dicitur Luc 5. v. 2. ejusdem navis *piscatores descenderant & lavabant retia.* Vocat autem Matthæus *reficientes*, quos Marcus appellat *componentes.*

Et vocavit eos. Nempe, statim post assumtos Petrum & Andream in familiam & continuum comitatum suum, ut patet ex Marci 1. v. 20.

23. *Et circuibat.* Nimirum postquam Christus vocâsset Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, venit & habitavit in Capharnaum maritima civitate Galilææ, ubi per aliquot Sabbata docuit, & postquam inibi ejecisset dæmonium immundum ex quodam homine in Synagoga & surgens inde socrum Petri curasset, ei sunt oblati innumeri dæmoniaci & infirmi, quos omnes in domo Simonis & Andreæ curavit. Egressus ex illa domo valde diluculo desertum petiit; cúmque requirentes eum usque ad ipsum venissent & detinerent, ne à se discederet, dixit se missum ut & aliis civitatibus evangelizaret. Hoc dicto circuibat, seu circuire

cuire incipiebat pro prima vice totam Galilæam, ut hîc dicitur. Hæc omnia patent ex collatione eorum, quæ hîc dicuntur, cum Marc. 1. v. 21. &c. Luc. 4. v. 31. &c.

In Synagogis. Synogogæ dicuntur loca non ad ſacrificium, ſed ad publicam orationem, ſacram concionem & Legis explanationem deſtinata. Jeroſolymis erant pluſquàm 480. Synagogæ, ſicque pro frequentia urbium in eis erant plures, aut pauciores Synagogæ.

Evangelium regni. Supple ex Marc. 1. v. 4. *Dei*, id eſt, lætum nuncium de regno cælorum, quòd ſcilicet jam appropinquaverit & intra nos ſit.

Sanans. Quia tarda eſt humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt & ſperanda quæ neſcit, oportebat divinâ eruditione firmandos corporeis beneficiis & viſibilibus miraculis incitari, ut cujus tam benignam experiebantur potentiam, non ambigerent ſalutarem eſſe doctrinam.

24. *Opinio.* Græcè ἀκοὴ, auditio, fama.

Syriam. Heb. *Aram*; unde rectè ſenſit Poſſidonius apud Strabonem in calce lib. 16. Syros ab Homero dici Ἀριμοὺς, quos & Ἀραμοὺς ſuo tempore vocatos idem Strabo lib. 13. teſtatur. Joſephus eos appellat Aramæos. Eſt autem Syria omnis regio ab Euphrate uſque ad Mare Magnum, & à Cappadocia uſque ad Ægyptum, in qua regione eſt provincia Palæſtinæ, quam inhabitabant filij Iſrael.

Lunaticos. Medici per lunaticos intelligunt, comitiali, ſeu ſacro morbo laborantes, quos exiſtimant conceptos *dubiè per tempora Lunæ*, ut loquitur Sammonicus apud Heinſium, id eſt, inter deficientem lunam & novilunium, licèt id neget Valeſius Sacræ Philoſophiæ c. 71.

25. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ.* Quod hîc narrat Matthæus per anticipationem, contigiſſe creditur poſt ſecundum à baptiſmo Chriſti Paſcha, de quo Joannes c. 6. poſt confricationem ſpicarum in ſabbato & manum aridam ſabbato curatam infrà cap. 12. proindéque poſt ea, quæ narrantur miracula & reprehenſiones infrà c. 8. à verſu 18. uſque ad verſum 35. capitis noni.

Decapoli. Decapolis eſt regio, quæ, præter alias minores urbes plurimas, decem celeberrimas complectitur; inter quas Cæſarea Philippi, Corozaim, Capharnaum, Bethſaida, Gadara, &c. ea penè tota ad Jordanis ſuperioris & ad Maris Galilæi utramque ripam extenditur.

Trans Jordanem. Id eſt, ex ea regione, quæ ad Orientem Jordanis poſita, trans Jordanem eſt reſpectu Terræ promiſſæ, cujus limites à Deo primùm fuerant aſſignati inter Mare

Magnum, seu Mediterraneum ab Occidente; & Jordanem ab Oriente; attamen tribus Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse trans Jordanem ipsis petentibus descriptæ sunt, reliquæ decem cis Jordanem.

CAPUT V.

1. *Montem.* Hic Mons creditur non procul abesse à Capharnao, Bethsaida, & Mari Galilææ. Tr autem legitur Christus refugia habuisse, desertum, navim, & montem ad quorum alterum, quoties à turbis opprimebatur, conscendebat.

Cùm sedisset. Christus primùm ascendit in Montis cacumen, ubi in oratione pernoctavit; dein manè, cùm dies factus esset, vocavit ad se discipulos suos, & elegit ex ipsis duodecim, quos & Apostolos nominavit, & destinavit ut mitterentur ad prædicandum Evangelium Regni, ut patet ex Luc. 6. à versu 12. usque ad versum 17. Tum descendit cum discipulis è Montis cacumine in campestrem locum, hoc est, in ejusdem Montis locum inferiorem cacumine multò magis æquabilem & turbarum capacem, & ibi stetit, dum ægrotos curaret; postea verò sedens doctoris in morem concionem habuit, cujus præcipuæ partes ad discipulos pertinebant, quamvis & turbæ audirent, ut testatur Matthæus in fine hujus concionis vulgò dictæ *Sermo Domini in Monte*, Sic ferè B. Aug. l. de consensu Evan. c. 19.

2. *Aperiens os suum.* Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, incipiens loqui.

3. *Beati.* Spe in via, re in patria. *Neque ulla alia hujus verbo, cùm beatum dicimus, subjecta notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum omnium complexio.* Cic. in Tuscul.

Pauperes spiritu. Id est, animo & affectu, qui nimirum corda non apponunt ad divitias; *Multi enim pauperes sunt in substantiis, avarissimi tamen secundum affectum, quos non salvat paupertas, sed affectus damnat*, ut ait B. Basil. in Psal. 33. Hinc ad id, quod Christus Luc. 6. v. 24. in hoc eodem Sermone dixit *væ divitibus*, egregiè advertit Ambrosius non censum sed affectum in crimine esse.

4. *Mites, Qui* nempe *cedunt improbitatibus & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Aug. l. 1. de Ser. Domini in Monte c. 3.

Terram

Terram. De quâ evelli non poſſunt; illam, inquam, terram poſſidebunt, hæreditario ſcilicet jure, ut fert textus Græcus, hoc eſt ſine labore ac moleſtia, quemadmodum hæreditatem poſſidemus, quæ obtingit nobis à patribus, de qua terra dicitur Pſalm. 141. v. 6. *Portio mea in Terra viventium. Significat enim quamdam ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam in loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra: ipſa eſt requies & vita Sanctorum.* Aug. ibid.

5. *Qui lugent.* id eſt, *qui per lachrymas & preſſuras ad gaudia æterna contendunt*, ut loquitur Alcuinus in cap. 16. Joannis.

Conſolabuntur. Id eſt, conſolatione afficientur, ſeu ut loquitur Luc. c. 6. *Ridebunt. Promittit autem flentibus riſum, non quidem emiſſum per mandibulas ſonum, ſed meram & impermixtam cuilibet triſtitiæ alacritatem.* Gloſſa ordinaria ex B. Baſil. in Hom. de gratiarum actione.

6. *Eſuriunt.* Eſurie corporali, ut patet ex Luc. 6. v. 21. & 25. ubi his eſurientibus opponuntur *ſaturati*, quibus dicitur *væ*, quæ dictio, ut monet Chryſoſt. Hom. 17. in Gen. ſemper in Scripturis dicitur his, qui non poſſunt evadere à futuro ſupplicio.

Et. Hebraiſmus, id eſt, quia.

Sitiunt juſtitiam. Id eſt, ardent virtutis deſiderio; ſolent enim Scripturæ non per famem, ſed per ſitim vehemens deſiderium ſignificare, ut Pſal. 41. v. 2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Pſal. 62. v. 2. *Sitivit in te anima mea.* Cicero quoque in Orat. pro Plancio hoc ſenſu dixit: *Sitientem me virtutis tuæ deſeruiſti.* Illos itaque dicit Chriſtus beatos, qui abſtinentiam indicunt corpori, ut à vitiis magis animam abſtinere poſſint. *Frænum enim quoddam eſt luxuriantis animæ corpus exhauſtum*, inquit Ambroſius Serm. 13. Præclarè itaque Aug. De utilitate jejunii cap. 5. *Dic mihi quem cibum diligas, ut approbem quòd ab iſto (carnis) cibo te abſtineas. Diligis juſtitiam? Forte, inquis, diligo. Appareat ergo juſtitia tua, &c.*

Saturabuntur. Scilicet in patria, cùm apparuerit eis gloria Dei, & viderint Deum ſicuti eſt.

7. *Miſericordes.* Id eſt, qui ſubveniunt miſeris, quantùm in ipſis eſt.

Miſericordiam conſequentur. Id eſt, ipſis ſubvenietur à Deo, ut de miſeria liberentur. Ideo verò ipſum à Deo promiſſum operibus bonis præmium appellatur in Scripturis miſericordia & gratia, quia cùm Deus coronat bona opera noſtra, quæ κατα χαριν ὡς à PP. ſubindè merita dicuntur, *Non ſolum*

solum dona suis Deus dona sua reddit, sed etiam ibi tantùm gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter & ineffabiliter omne meritum quamvis bona & à Deo data voluntatis atque operationis excedat, inquit Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 10. Porrò misericordia definitur à Cic. Tuſ. 4. *ægritudo ex miseria alterius injuriâ* (id est, *injustè*) *laborantis.* Sic Aug. quoque in lib. de motibus Ecclesiæ Catholicæ. c. 27. ait: *Quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo?* Hinc misereri dicitur Hebræis רחם, *Racham,* quasi dicas, *inviscerari,* hoc est, intimo affectu, qui viscеribus inditus est, tangi & commoveri erga aliquem, intimo commiserationis affectu quempiam prosequi, quo scilicet matrix, quæ Hebraicè dicitur רחם *Rechem,* fœtum complectitur tuendo & fovendo. Non absimili Etymologia eodem sensu occurrit Mat. 9. v. 36. & Mar. 6. v. 34. in textu Græco σπλαγχνίζομαι; nam σπλάγχνα fœm. significat cor, & neut. σπλάγχνα significat viscera, exta: ut sunt cor, jecur & similia interranea præcipua & vitaliora, quæ in cæsis victimis Aruspices considerabant, siquid portenderent. In sacris litteris Metaphorice eodem hoc nomine significantur in textu Græco omnes teneri & materni affectus, ut videre est Luc. 2. in Ep. ad Philip. c. 1. & alibi. Hinc & Ephes. 4. v. 32. & in Epist. 1 Petri c. 3. v. 8. Christiani vocantur εὔσπλαγχνοι, *misericordes.* Hinc & illæ loquendi formulæ: *Commota sunt viscera. Viscera misericordia. Viscera crudelia. Claudere viscera sua ab aliquo.*

8. *Mundi corde.* Hos Psaltes vocat ישרי-לב *rectos corde.* Id est, qui Deum sincere colunt, defæcato à rerum creatarum curis animo, quantum finit humana fragilitas, quâ *etiam sat agentibus, vigilantibúsque ne peccent, subrepunt quodammodo peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla: & eadem ipsa fiunt magna & gravia, si eis superbia incrementum & pondus adjecerit: à Sacerdote quem habemus in cœlis, si piâ humilitate perimantur, totâ facilitate purgantur,* inquit Aug. lib. De Sancta virginitate cap. 50. Unde idem ibidem cap. 49. *Quamdiu nondum est in cœlesti sublimitate perfectio, invicuperabiles facit in humilitate confessio.*

Videbunt. Scilicet, quid est in patria, in via verò quid non est, ut exponit. D. Th. 22. q. 8. art. 7.

9. *Pacifici sunt, qui a dissensionis & discordiæ scandalo separati dilectionem Charitatis, & pacem Ecclesiæ sub Catholicæ fidei unitate custodiunt;* & eos, qui à pace dissentiunt, ad Ecclesiæ charitatem, quantùm in eis est, pacis ac fidei studio revocare nituntur. Ita Chromatius Aquilegiensis.

Filii Dei vocabuntur. Q. d. Deo quam simillimi erunt; non est enim Deus dissentionis, sed pacis.

10. *Justitiam.* Id est, virtutem; *justitia enim consuevit pro omni virtute animi poni.* Chrysost. Hom. 15 in Mat.

Regnum Cœlorum. Id est, beatitudo æterna. Hoc unum præmium in omnibus & singulis Beatitudinibus promittitur, licet alio & alio nomine & prædicato, prout cujusque propositionis subjecto congruit.

11. *Beati estis.* Spe, unde Luc. 6. v. 22. *cum oderint vos.* Dicit tamen Aug. l. 83. qq. q. 82. quod justi, *etiam sequestratâ spe futuræ vitæ, jucundiùs & lætiùs præ amore veritatis torquerentur, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur.*

Maledixerint. Id est, præ odio probro affecerint præsentes, quod Lucas *exprobraverint*, textus Græcus ὀνειδίσωσιν dixit.

Persecuti. Scilicet, factis, à Synagoga vos expellendo, & nomen vestrum tanquam malum ejiciendo, ut dicitur Luc. 6.

Dixerint omne malum adversum vos. Scilicet, absentes, vestræ famæ & honori detrahendo.

Mentientes. Syrus, *in mendacio.* Si enim in veritate, seu vera al cujus mala dicantur, ex hoc non erit beatus, sed dupliciter miser. Præclare itaque B. Hier. *Illud maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur.*

Propter me. Q. d. Quia in me creditis & meis insistitis vestigiis. *Pœna non facit martyrem sed causa*, inquit ex Cypriano Aug. Ep. 61. Refertur autem hæc clausula *propter me* ad tria persecutionum genera mox dicta.

12. *Gaudete.* Supple ex Luc. 6. *in illa die*, quâ nempe talia propter me patiemini.

Merces. Remunerat Deus secundum opera, non propter opera, ex promissione gratuita, non ex facto nostro meritorio. Hæc autem remuneratio *merces* dicitur κατα-χρησις ὡς, quia confertur post opus præactum ut laboris præmium, non ut operis pretium. Hinc Aug. in Ps. 32. conc. 1. *Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem; neque enim aliquid ei commodavimus, aut mutuum commendavimus ut teneamus eum debitorem, cùm ab illo habeamus, quicquid illi offerimus, & ex illo sit quicquid boni sumus: Omnia bona, quibus gaudemus ab illo sunt, quoniam ab ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Ergo non ei aliquid dedimus, & tenemus debitorem? Unde debitorem? Quia promisserem. Non dicimus Deo, Domine, quod recepisti, redde, sed, redde quod promisisti.* Similiter Bernardus prope finem libri De gratia & libero arbitrio; *Est, quam Paulus expectat, corona justitiæ, sed justitiæ Dei, non suæ. Justum quippe est ut reddat*

reddat quod debet : debet autem quod pollicitus est : & hæc est justitia, de qua præsumit Apostolus, promissio Dei. Nec dubium est, quin à Deo sit velle & perficere pro bona voluntate. Deus igitur autor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Alioqui, si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita, spei sunt quædam seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi. Denique, quos justificavit, non quos justos invenit, hos & magnificavit.

Copiosa. Id est, magna, seu *multa*, ut dicitur Luc. 6. *Non tanquam*, inquit Basil. apud D. Th. in Catena. *comparata ad ea, quæ penes nos sunt, sed in se multa existens. Quod enim*, inquit Damascenus c. 49. Logicæ *quadam excellentia transcendit omnem mensuram & numerum, indeterminatè dicitur magnum & multum; putà quando dicimus multam esse Dei misericordiam. Nihil autem*, inquit S. Eucherius, est *magnum re, quod parvum tempore: nec longis dilatatur gaudiis, quicquid arcto fine concluditur. Æterna ergo futura est Sanctorum merces.*

In Cœlis. Non quod Sanctorum remuneratio sit in corporalibus cœlis, sed in contemplatione supercœlestis naturæ, scilicet, Dei glorioſi, cui esse in cœlo tribuitur, non quia corporalibus cœlis continetur, sed ut per hoc designetur Dei eminentia super omnem creaturam; sicut cœli eminent super omnem aliam creaturam corpoream, secundum illud Psalmi 112. Excelsus super omnes gentes Dominus, super cœlos gloria ejus. D. Th. in compendio Theologiæ. Idem 1. P. q. 68. ar. 4. in cor. sub finem. 12æ, q. 4. ar. 7. ad 3. & ante D. Th. S. Aug. lib. 1. de Sermone Domini in monte c. 9. &c.

Persecuti sunt. Scilicet, *Patres eorum*, ut supplet Lucas c. 6. His dictis, væ dicitur à Christo divitibus, qui consolationem, seu beatitudinem suam in divitiis ponunt; saturatis, quorum scilicet Deus venter est; ridentibus, qui hoc unum spectant, ut in rebus hujus mundi transitoriis gaudium capiant; denique his, qui hominum plausum sibi conciliant, vitia eorum demulcendo. Hæc omnia videre est Luc 6. v. 24. 25. 26.

13. *Vos estis sal terræ.* Id est, à me estis electi, ut quod sal est cibis, sitis universo hominum generi, ut per vestram doctrinam exsiccentur humores carnalium operum, auferantur fœtores & putredines malæ conversationis, & vermis libidinosæ cogitationis, & ille, de quo dicitur Esaiæ 66. v. 24. *Vermis eorum non moritur.*

Evanuerit. Seu, *insulsum fuerit*, ut dicitur Marc. 9. id est, si saporem suum amiserit.

In

In quo salietur? Q. d. Nihil est, quo sapor amissus illi restitui possit; non enim datur sal salis.

Ab hominibus. Hebraismus, id est, à quovis.

14. *Lux.* Non lucifica essentialiter, sicut Christus dicitur *Lux* Joan. 8. v. 13. sed ex accidentali dono, cujusmodi Lux propriè dicitur lucerna, *quia non ex se lucet, sed aliunde accenditur, scilicet, à Deo, & extingui potest.* Aug. Trac. 23 in Joan.

Mundi. Id est, generis humani, ad effugandas ipsius tenebras.

Non potest civitas. Deest hîc prima pars similitudinis. Sensus enim est: vos estis civitas in monte posita, seu, similes civitati in monte positæ, quæ abscondi non potest, quia ipse mons manifestat eam. Syrorum igitur more multas ejusdem rei similitudines congerit Christus, quas accuratiùs applicant & explicant duo versus sequentes. Hinc optimè probat Aug. in lib. De unitate Ecclesiæ c. 16. veram Dei Ecclesiam non posse esse opertam. Nam licèt ista in monte posita civitas sic possit nubibus & caligine obduci, ut aliquoties aspectum fugiat; nihilominùs semper sit conspicua quærentibus eam in Scripturis, non verò in pompatico Superstitiosorum apparatu.

15. *Neque accendunt lucernam.* Ne Apostoli sibi aliquid tributum putarent, quod de solo Christo intelligendum esset, & ita lucernæ vento superbiæ extinguerentur, cùm dixisset: *Vos estis lux mundi*, continuò subjunxit: *Neque accendunt lucernam, &c. Sic luceat lux vestra, &c. Ut glorificent*, non vos, sed *Patrem vestrum* lucernæ accensorem. His igitur verbis commonet Christus Apostolos, ne quavis de causa prædicare trepident, imò docet eos sibi ex officio incumbere, ut palàm & in tectis prædicent verbum, instent opportunè, importunè, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia & doctrina. Aug. in Ora. De quinque hæresibus c. 7. ait: *Domus, totus est mundus, lucernæ accensio. Verbi est incarnatio, candelabrum autem crucis est lignum, lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens.* Et secundum hanc expositionem præcipitur Apostolis hîc, ut ubique palàm prædicent Jesum & hunc crucifixum.

16. *Ut videant opera vestra bona.* Q. d. Ut factis etiam adstruatis, quod verbis prædicatis.

Glorificent &c. Id est, fidem vestram confiteantur muneris esse divini; ut enim Deus dicitur blasphemari, dum ipsius dona alteri tribuuntur, vel contemnuntur, ita dicitur glorificari, seu, clarificari, dum ab ipso agnoscuntur omnia & singula sancta desideria, recta consilia & justa esse opera.

17. *Nolite*

17. *Nolite &c.* Jam tradere incipit Christus quid Apostoli docere debeant, & quâ ratione velit eos omnium aspectibus expositos, & in mundo quasi in theatro pugnantes, aliis prælucere.

Veni solvere Legem. Ad intelligentiam verborum Christi omninò notandum Legem per Mosem datam dupliciter accipi; aut secundùm id quod commune habet cum aliis legibus, quæ ab hominibus condi solent, quatenus scilicet graviora delicta pœnarum aspectabilium formidine coercet, ut dicitur Heb. 2. v. 2. & populum Hebræum hac ratione in statu civilis societatis continet, quo sensu dicitur Lex *mandati carnalis* Heb. 7. v. 16. & *factorum* Rom. 3. v. 27. aut secundùm id quod Legis Divinæ est proprium, quatenus scilicet etiam mentis requirit puritatem, & actus aliquos, qui sine temporali pœna omitti possunt: quo sensu vocatur Rom. 7. v. 14. *Lex spiritualis* & Psal. 18. *Converteus animas &c.* Scribæ seu Legisperiti & Pharisæi priore illâ parte contenti, secundam, quæ potior est, insuper habebant, neque inculcabant populo; quod verum esse non ex nostris duntaxat libris, sed ex Josepho quoque & Rabbinis Hebræorum ostendi potest. Non venit itaque Christus ut evertat, destruat, exscindat Legem, nec ut pervertat eam, sive verum ejus sensum mutando, sive scopum abolendo, sive illam irritam reddendo, sive aliò detorquendo, quam oportebat, sed ut tanquam potestatem habens mentem Legis aperiat, à perversis Pharisæorum & Scribarum glossematis vindicet, atque potiorem Legis partem ab iisdem Pharisæis et Scribis insuper habitam verbo & opere omnibus inculcet esse adimplendam.

Prophetæ. Prophetæ hîc spectantur non tantùm ut futurorum præsagi, verùm etiam ut Legis interpretes, quo sensu à præcepto dilectionis dicuntur infrà cap. 22. v. 40. pendere Lex & Prophetæ.

18. *Amen.* Id est, ver; unde quod Matthæus c. 24. v. 47. exprimit his verbis: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona constituet eum.* Lucas c. 12. v. 44. sic retulit. *Verè dico vobis quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum.* SS. PP. volunt *Amen* esse juramentum. Origenes in Mat. 26. *Jesus dixit de Juda consueto sibi jurejurando: Amen dico vobis unus ex vobis tradet me.* Hier. in Gal. 6. & in Esa. 25. Chrysost. Hom. 10. in Mat. aiunt quod *quomodo in veteri Testamento quâdam jurandi consuetudine Deus sua verba confirmat dicens: Vivo ego dicit Dominus: ita Salvator noster in Evangelio per verbum Amen vera esse, quæ loquitur, ostendit.* Autor operis

operis imperfecti Hom. 23. in Mat. similiter pro juramento agnoscit *Amen*. S. Aug. Tractatu 41. in Joan. *Quodammodo, si dici fas est, juratio ejus est: Amen, amen dico vobis.* At secundum Doctores Hebræos *Amen* non jurationem, sed simplicem affirmationem sonat; & dum precationi apponitur, ut sit ejus quasi signaculum, sonat affirmationem per modum optantis; unde iis in locis aptè à LXX. *Amen* transfertur per vocem *fiat*. *Siquis*, inquiunt Hebræi in libro inscripto מסקתא זוטרתא (qui conscriptus dicitur anno Dom. 1104.) fol. 8. col. 1. *juranti responderit Amen, perinde est ac si ipse juraret. Similiter cùm judex adjurat aliquem, & ipse respondet Amen, idem est ac si ipsemet juraret ore suo*, &c.

Donec transeat. Græcè, *transierit*. Est autem Hebraismus pro *perierit*. Sensus est *faciliùs*, ut dicitur Luc. 16. v. 17. seu citiùs tota mundi machina defecerit, quàm irritum fiat vel minimum quid in Lege, quod designatur per *Jod* (cui respondet *Iota*) litteram totius Alphabeti Hebræi ab Esdræ temporibus in usum recepti minimam, & per *apicem*, quo propriè designatur minima litteræ pars, unde proverbialiter dicitur, *de apicibus disputare*, qui de minimis contendit. Non potest itaque hoc ex loco probari cœlum aliquando corruptum iri. Notet hic prudens lector quòd Lex Mosis in sua propria significatione accepta tres habet partes; scilicet mandata cum summa exactione perfectissimæ obedientiæ conjuncta; promissiones multas tum bonorum temporalium, tum vitæ æternæ; denique maledictiones contra Legis in aliqua parte transgressores. Fundamentum autem omnium mandatorum fuit Decalogus in duabus tabulis descriptus, quarum primæ addita fuit lex cæremonialis, secundæ lex politica. Omnes verò hæ Legis partes habent suum veluti corpus, suam & animam: corpus dicitur quod sensibiliter & exteriùs faciendum præcipiunt aut vetant; at anima dicitur vera pietas constans fide vivâ & efficaci in Deum, verâ charitate in proximum, & propriâ cujusque mortificatione & vivificatione, seu vitæ sanctitate. Lex Mosis fuit abrogata per Christum quoad corpus, seu opera externa; ita ut quædam facere jam nullatenus liceat, ut circumcidere carnem præputii, immolare victimas ex brutis animantibus, & cetera, quæ figurabant Christum venturum; quædam verò libera maneant Ecclesiæ, ut pro libito eis utatur, aut non utatur, ad ædificationem. Eadem Lex Mosis quoad animam, substantiam, succum, quia æterna fuit, & Christus æternam esse voluit; unde semper tenemur ad circumcisionem cordis, ablutiones interiores, &c. Potest tamen Lex

etiam

etiam quoad animam dici per Christum abrogata secundum quid, in quantum per Spiritum vivificantem Legis substantiam in tabulis carneis cordis nostri transcripsit, adeo ut jam non egeamus litterâ occidente, quâ eadem Legis Mosaicæ substantia scripta erat in tabulis lapideis. Itaque Christus abrogavit Legem, non solvendo, sed absolvendo, sicut pictor inchoatæ & extremis tantùm lineamentis adumbratæ imagini, dum extremam adhibet manum, novam inducit imaginem & priorem abolet, non dissolvendo, sed absolvendo, non delendo, sed perficiendo.

Est etiam hîc observandum locutiones esse synonymas: *Donec transeat cœlum & terra: Cum sole & ante lunam. Coram Luna: In generationem & generationem: In generationem generationum: In seculum seculi: In secula: In seculum: Donec auferatur Luna: Non erit Luna: Ante Solem: Coram Sole: In æternum.* Ps. 101. Heb. 102. v. 29 *Semen eorum stabilietur coram te.* Vul. *In seculum dirigetur.* In eundem modum exponit Rabbi Salomon Decalogi præceptum Exod. 20. *Non habeas alienos Deos coram me. Id est,* inquit *quamdiu ego ero. in æternum.*

19. *Qui ergo,* &c. Q. d. Tantum abest ut Legem aut prophetas praxi doctrinâve sim dissoluturus, ut contrà omni asseverationè affirmem ea etiam, mandata, quæ à Phariſæis & Scribis pro minimis habentur transgressa reos facere homines iræ divinæ.

Et docuerit sic. Id est, aut solvendum, seu posse licitè solvi docuerit; copula enim, *Et*, hîc est pro particula disjunctiva, *aut*, cujus Hebraismi innumera exempla apud Granmaticos congesta videre est, è quibus sufficiat unum, aut alterum apponere. Deuter. 27. v. 16. *Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem*, id est, vel matrem. Ibid. v. 19. *Maledictus qui perverit judicium advenæ, pupilli, & viduæ*, id est, vel viduæ.

Minimus vocabitur. Hebraismus, id est, nullus erit, seu nullum locum habebit.

In regno Cœlorum. Id est, in regnomeo, quod non est de hoc mundo. Vide quæ diximus supra c. 3. v. 2. Cùm igitur in quovis regno, alij præclarè gestis, alij præclarè dictis sibi existimationem concilient, monet Christus eos in regno suo doctrinâ suâ fore commendabiles, qui facienda docent, quæ ipse Legis mentem aperiens facienda præceperit, & è converso illos Doctores flocci faciendos, qui quovis modo præcepta sua licitè violari posse docuerint. Similiter qui secundum mandata sua vixerit, eum magno in pretio futurum; qui verò ea solverit, eum gestis fore contemtibilem.

20. *Dico*

20. *Dico enim vobis.* Reddit rationem cur dixerit: *Qui ſolverit unum &c.* Itaque idem eſt ſolvere mandata minima, & non majorem habere juſtitiam, ſeu, perfectionem, quam Scribæ & Phariſæi tempore Chriſti habebant. Videquæ diximus de Scribis & Phariſæis ſuprà v. 17. in hæc verba: *Non veni ſolvere Legem.*

Scribarum. Scribæ apud Judæos fuerunt à Davide & Eſdra conſtituti; eorum erat publica inſtrumenta conficere, ſacras Scripturas incorruptas ſervare, earúmque ſenſum interpretari. Vide 4. Reg. 22. v. 8. 9. & 10. Eſdræ 7. v. 10. & 11. Mat. 7. v. 29. 17. v. 16. 23. v. 2.

Non intrabitis in regnum cælorum. Seu, meum regnum, id eſt, regnum Dei non erit inter vos. Hoc regnum Chriſti ſeu Dei eſſe dicitur Rom. 14. v. 17. *Juſtitia*, quâ animus erga Deum, proximum & ſe ipſum afficitur ut debet, & *pax*, id eſt, vera tranquillitas mentis, & *gaudium*, quod habetur *in Spiritu-Sancto*, id eſt, per gratiam Spiritûs-Sancti ex contemplatione & dilectione divinorum. Iſta ſunt regnum cœlorum, Dei, ſeu Chriſti, quia per iſta Chriſtus ſeu Deus in nobis regnat inchoative in via, plenè & perfectè in patria.

21. *Dictum.* Id eſt, præceptum, edictum.

Antiquis. Id eſt, Patribus, qui Moſis tempore vivebant. Quæ autem citat Chriſtus in hoc capite ut Veteribus dicta, non Scribarum & Phariſæorum ſunt, ſed Moſis, aut verbo tenus, aut ſenſu.

Reus erit judicio. Id eſt, deferetur ad judices, ut ipſorum edicto ſecundum legem latam Exod. 21. v. 12. Levit. 24. v. 17. &c. morte moriatur. Ut totus hic locus intelligatur, ſciendum apud Judæos duplex tribunal fuiſſe, ubi capitalium criminum rei poſtulabantur; primum erat viginti trium Senatorum in ſingulis Palæſtinæ oppidis, quæ ſaltem centum & viginti incolas haberent: in ipſa vero urbe Jeroſolyma duplex fuit hujuſmodi Senatus, quorum alter erat ad portam, quæ aperiebat aditum ad montem Templi, alter nobilior ad portam atrii ſedebat. Secundum erat in ea Templi parte, quæ לשכת dicta eſt, id eſt, *concluave lapideum*, quod ipſum à Joanne c. 19. v. 13. dicitur λιθόστρωτος, quod eſt Latinè, *lapidibus ſtratus*. Erat autum hoc tribunal LXXI. Judicum à Moyſe primitùs inſtitutorum, qui omnes erant primariæ nobilitatis & ſaltem matre Judæâ, ſenes non ætate modò, ſed etiam curâ & experientiâ. Senatores hujus ſupremi Senatûs, quem Judæi Græco vocabulo סנהדרין dicebant, creabantur impoſitione manuum, ad quam impoſitionem

rionem sequebatur descensus Spiritûs-Sancti in ipsorum corda, ut judicare possent de rebus humanum captum longè excedentibus, putà de muliere adulterii sine testibus accusata, per poculum, quod appellabatur סוטה. In hoc Senatu unus erat omnium princeps, qui dicebatur נשיא מכבר מקום, *Princeps in omni loco*; alter huic proximus qui dicebatur אב בית דין, *Pater domûs judicii*, ceteri Senatores erant inter se æquales. Porro ad Synedrion hoc pertinebat, per omnem Judæam ire, conventúsque populi lustrare, in oppidis Magistratus condere, traditiones servare, de rebus sacris statuere, Legem exponere, seu potiùs, comminisci modos, quibus Lex exponeretur, senem refractarium ipsorum statuta sequi recusantem capite damnare, de vatibus, (hinc illud Salvatoris Luc. 13. v. 33. *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem*; hoc est, fieri non potest, ut Propheta quispiam pereat extra Jerosolymam) gravis delicti insimulatis judicare, & cetera, quæ videri possunt in Talmude & Maimonide Tract. Sanhedrin. Cùm itaque gravissima quæque apud Synedrion agerentur, usus invaluerat tempore Salvatoris, ut quemadmodum cujusvis capitalis criminis conscium, *reum judicio*, id est, dignum, qui edicto viginti trium Senatorum secundùm Legem morte moriatur, dicebant, ita sceleris præter modum enormis conscium *reum Synedrio* dicerent; & *reum gehennæ*, cujus scelus videbatur, nec humanis posse expiari suppliciis.

22, *Ego autem.* Supple, genuinum Legis sensum aperiens, non verò, ipsam Legem reprobans quasi quædam præcepta injusta continentem, ut somniarunt Manichæi & Ptolemæitæ, quem errorem explodunt SS. PP. præcipuè Epiphanius Hær. 85. adversus Ptolemæitas. Chrysost. Hom. 16. in Mat. Aug. lib. 19. contra Faustum à cap. 18. usque ad finem libri. Horum vestigia secutus est D. Th. 12æ. q. 107. ar. 2. & 3. Scotus 3. d. 30. q. unicà. Lyranus, Strabus, Cajetanus, Tostatus in hunc locum, Jansenius Gandavensis in cap. 40. Concord. Evan. &c.

Qui irascitur. In hodiernis codicibus Græcis plerisque additur εἰκῆ, *temerè*, *sine causa*. Verùm hanc vocem Hier. eradendam censet; ut enim ait idem in lib. 2. adversus Pelagianos: *In plerisque codicibus antiquis, sine causa, additum non est, ut scilicet ne cum causa quidem debeamus irasci.* Similiter Aug. lib. 1. retractationum c. 19. *Codices Græci non habent, sine causa, sicut hîc positum est.* Ne tamen omnis ira existimetur esse peccatum mortale, sciendum ex D. Tho-

ma

ma in opuſculo de decem præceptis c. 21. quòd *ira dicitur tripliciter; primò appetitus vindictæ in ſolo rationis judicio ſine commotione animi, qui magis propriè dicitur judicium, quam ira: hoc ſenſu accipitur ira Mich. 7. v. 9. Iram Domini portabo. Secundò appetitus vindictæ ut eſt paſſio in appetitu ſenſitivo, ſed ratione ordinata, nimirum ut ſi quando, quantum & pro quo oportet, & dicitur ira per zelum, eſtque actus virtutis. Tertiò denique dicitur ira appetitus vindictæ ut eſt paſſio in appetitu ſenſitivo refugiens judicium rationis, & iſta ſemper eſt peccatum, licèt non mortale, niſi ſit appetitus vindictæ ex genere ſuo mortaliter illicitæ, putà homicidij vel hujuſmodi gravis nocumenti.* Lubet hic exhibere iracundiæ mala ex Gregorio Magno. lib. 5. Moral. cap. 30. *Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, concordia rumpitur, lux veritatis extinguitur, Spiritûs-Sancti ſplendor excluditur, iræ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur amici.*

Fratri ſuo. Vitiis iraſci licet, fratri nunquam, nec ulla eſſe poteſt cauſa propter quam liceat ſuccenſere fratri ſuo, quamvis ſuccenſendum ſit fratris vitio. Unde D. Th. 22æ. q. 158. ar. 1. ad 3. *Appetere vindictam propter malum ejus qui puniendus eſt, illicitum eſt: ſed appetere vindictam propter vitiorum correptionem, & bonum juſtitiæ conſervandum, laudabile eſt: & in hoc poteſt tendere appetitus ſenſitivus, in quantum movetur à ratione: & dum vindicta ſecundum ordinem judicij fit, à Deo ſit; cujus miniſter eſt poteſtas puniens, ut dicitur Rom. 13.* Ad illud autem Exod. 10 v. 23. *Non videbat homo fratrem ſuum:* Ait Aug. in libris locutionum, *Notandum fratrem hominis quemlibet hominem dici.*

Reus erit judicio. Q. d. Homicida eſt, & iiſdem pœnis dignus coram Deo, quibus ſecundùm Legem plectebatur ille, qui hominis innocentis cædem deſtinatam perpetraverat.

Raca. Id eſt, vocem convitii; ponitur enim vox convitii tunc temporis uſitata pro quavis convitii voce. Porro *Raca* רקא Syriacè ſonat *vanum, levem, cerebro vacuum, mente & judicio carentem, & temerarium.* Talmudicis eſt familiare רקא, ſeu ריקא. רקים dicuntur Judic. 9. v. 4. ij, quorum operâ ſeptuaginta fratres occidit Abimelech, & 2. Paral. 3. v. 7. ij, quorum operâ Jeroboam ſuum ſchiſma conflavit. Apud Rabbam in Gen. Sect. 31. Noë *Rekim* רקים vocat ſuæ generationis homines.

Reus erit Concilio. Gr. κὶ ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ, id eſt, majus peccatum

catum habet irascente fratri suo; quia ejus peccatum Deo judice tantum est, ut inter gravissima censeatur, quæ communiter tunc temporis dicebantur crimina Synedrii, ut paulò antè diximus. Synedrii autem ea fuit institutio ut, si fieri posset, è solis Sacerdotibus & Levitis constaret, unde in Scripturis & Josepho, appellatione Sacerdotum intelligitur quandoque ipsum Synedrium. Sin è numero Sacerdotum aut Levitarum non reperirentur qui definitum Senatorum numerum implerent, tum demum aliis Judæis aditus in Synedrium patuit, nullâ habitâ tribûs ratione, ut disertè testatur R. Moses Maimonides in summa Talmudica Trac. de Synedrio cap. 2. Totius celebris illius consessûs sapientissimo princeps in Synedrio locus deferebatur, & hic Mosen referens dicebatur נשיא *Princeps*, non summus Pontifex, ut existimabat Baronius anno Christi 31. num. 10. ut videre est apud Maimonidem, loco præcitato. Huic Synedrii Principi erat vicarius, qui dicebatur *Pater domûs judicii*, ut suprà dictum est. Porro Concilium hoc de rebus quibusque gravissimis, de ipsis Pontificibus maximis, at non de Regibus judicabat, ut diserte traditur in Talmude Trac. de Synedrio c. 11. ubi jura Regum & summorum Pontificum accuratè explicantur. Nec oppositum probat, quod narrat Josephus, Herodem ad causam dicendam jussum esse in Synedrium se sistere, atque illum vadimonium obiisse; nam Herodi dicta est dies, cùm adhuc admodùm juvenis & privatus esset, necdum spem regnandi haberet, cùm Antipater illius pater adhuc viveret, & Hircanus regnum obtineret. Aiunt denique Rabbini quadraginta circiter annis ante excidium Templi secundi Senatui viginti trium virorum & ipsi Synedrio ultimam sententiam in judiciis capitalibus pronuntiandi jus fuisse ademtum. Hinc Joan c. 18. v. 31. dicunt Judæi, ut & ipse Chrysost. Hom. 12. in Joan. testatur, *Nobis non licet interficere quemquam.*

Fatue. Verbum contumeliosum definitum pro indefinito, seu quovis verbo graviter contumelioso, quo scilicet non modò frater despicitur, ut in præcedenti propositione, sed omninò dehonoratur, seu, honor fratri aufertur.

Reus erit gehennæ ignis. Id est, gravissimum admisit facinus. Vide dicta v. 21. Constat autem ex Glossa quòd per has tres voces, *judicium, concilium, & gehenna, diversæ mansiones in æterna damnatione pro modo peccati signanter exprimuntur.* Porro notandum est, quòd vallis urbi Jerosolymæ vicina, amœna & Cedronis aquis irrigua, cujus Dominus fuit olim Hinnom, aut hujus filius, inde dicta est גיא
חנום

בן הנום, *vallis filii Hinnon*, & unà dictione גהנם, Græcis elisâ aspiratione γέεννα & γέεννα. In illa valle erat locus nomine תפת, ubi filios & filias offerebant idolo Moloch, sicut Ethnici Saturno, ita ut pater filium suum traduceret per duas pyras, donec combustus moreretur. Ad hanc idololatriam abolendam Josias rex locum istum Thopheth polluit, ut dicitur 4. Reg. 23. v. 11. præcipiendo ut in eum equorum & mulorum, aliorúmque animalium cadavera insepulta & sordes projicerentur, ne quis ampliùs comburere ibi liberos suos cuperet. Erátque ibi ignis perpetuus, quo sordes & ossa cadaverum comburebantur. Inde per Metaphoram locus supplicii impiorum post mortem, tanquam vilissimus, *infernus* videlicet, vocatur ab Hebræis גהנם, & in novo Testamento *Gehenna*; & ad illum ignem alluſit Christus Mar. 9. v. 42. *Ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem*, & Joannes, suprà c. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Placet hîc subjicere quæ de Valle Hinnom in ילקוט Hebræo commentario mystico in universum vetus Testamentum leguntur in cap. 7. Jeremiæ, folio 61. col. 4. *Quamvis omnia idolorum fana in ipsa urbe Jerusalem fuerint, Molochi tamen fuit extra urbem in loco separato. Quânam ratione Moloch erat formatus? Erat imago ærea intrinsecùs excavata, faciem habens vituli & manus expansas instar hominis volentis ab alio aliquid accipere. Septem ipsi extructa fuere sacella, ante quæ hæc Molochi statua erat collocata. Avem sive pullum columbarum offerens primum sacellum ingrediebatur. Ovem aut agnum, secundum. Arietem, tertium. Vitulum, quartum. Juvencum, quintum. Bovem, sextum. Proprium Filium, septimum, quod qui ingrediebatur, osculabatur statuam Molochi, juxta illud Osee 3. v. 2. Sacrificatores hominum vitulum osculantur.* (Vulgat. *Immolate homines vitulos adorantes.*) *Sic autem fiebat filii oblatio. Ponebatur filius ante Molochi statuam, quæ igne supposito succendebatur, donec ignita fieret instar lucis. Tunc sacrificuli acceptum infantem cantantibus Molochi manibus indebant, ac ne parens ejulatum & clamorem audiret infantis, tympano pulsabant. Inde locus iste dictus Thophetb* תפת, *nempe à* תפים *Tuphim, tympanis. Vallis verò Hinnom, quia vox pueri erat* נהם, *rugiens, aut quia astantes sacrificuli dicebant parenti:* יהנה לך, *utile, dulce, condimentum erit tibi; Erant enim persuasi parentes, ut* scribit Rabbi Bechai in Levitic. 18. *omnes liberos unius immolatione sospites futuros, séque per totam vitam fortunâ secundâ usuros.*

23. *Ibi.* Id est, stans in ipso altari.

Habens aliquid adversum te. Id est, offensus est à te. Hæc phrasis etiam usurpatur Marc. 11. v. 25. & Apoc. 2. v. 4. & 14.

24. *Vade.* Saltem motibus animi, si non potes commodè pedibus corporis; frustra enim pacem ambit apud Deum, qui cum fratre pacem non colit.

25. *Esto consentiens.* Græcè, *benevolus*, sicque da operam, ut & ipsum tibi benevolum habeas.

Adversario tuo. Id est, fratri qui habet aliquid adversum te.

In via. Id est, in hac vita.

Ne forte tradat te judici. Luc. 12. v. 58. *Ne forte trahat te ad judicem*, id est, ne coram judice te conveniat.

Judex. Scilicet Christus, *Pater enim omne judicium dedit Filio.* Joan. 5. v. 22.

Ministro. Luc. 12. *exactori.*

In carcerem mittaris. A ministro videlicet, seu exactore, ut dicitur Luc. 12. Ministros & exactores Christi esse Angelos patet ex eo quòd dicitur suprà c. 4. *Angeli ministrabant ei*: & infrà c. 13. *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum & mittent eos in caminum ignis. Carcer iste infernus est*, inquit B. Bruno Signiensis Antistes.

26. *Novissimum quadrantem.* Luc. 12. v. 59. *Novissimum minutum.* Unde colligi posse videtur quòd cùm dicitur Marc. 12. v. 42. *Misit duo minuta, quod est quadrans*, id sic non debet intelligi, ut duo minuta unum confecerint quadrantem, ut sentit Syrus interpres, qui vertit ibi: *Quæ sunt octavæ*, supple, partes assis duodecim unciis constantis; sed ut unum quodque fuerit quadrans, ut sentit Euthymius, seu quarta pars assis, quæ quia continet tres uncias, alio nomine vocabatur *teruncius*, & à Plinio *triunx*. Posteriorem hanc Marci expositionem priori præfert etiam eruditissimus Theologus Parisiensis c. 120. Concord. Evang. quia Plutarcho in Cicerone *quadrans* minimum erat in nummorum genere. Intendit autem Christus hac locutione Metaphoricà in præsenti loco nullum prorsus peccatum quantumvis leve impunitum fore. Carcere infernus designatur. Quemadmodum vero apud Apostolum 2 Cor. 15. intelligitur his verbis: *Oportet eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*, semper Christum regnaturum, quoniam illi semper erunt sub pedibus; ita hîc accipi debet de quo dictum est: *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*, dum semper pœnas peccatis debitas solvit, nunquam persolvit. *Magnum* inquit in hunc locum B. Bruno Signiensis, *est hoc debitum: infinita est & innumerabilis pecunia, ad cujus novissimum quadrantem nunquam venitur, qui semper solvitur, nunquam finitur.*

28. *Ego*

28. *Ego autem.* Veram Legis mentem tradens.

Omnis qui viderit mulierem, &c. Quoniam putabant Judæi tantummodò corporalem cum fœmina illicitam commixtionem vocari mœchiam, demonstravit Magister talem concupiscentiam nihil esse aliud. Ita Aug. l. 19. contra Faustum c. 23. Quod verò Christus de visu dixit, etiam alijs sensibus applicari debet, quia eadem in omnibus est ratio, sed visum potiùs nominavit, quia per visum frequentiùs in concubitum illicitum expetendum incenditur animus.

Ad concupiscendum eam. Id est, ut eam concupiscat. *Ecce sensum videndi à libidine sentiendi breviter apertèque discrevit* Christus. *Illud Deus condidit instruendo corpus humanum, istud Diabolus seminavit persuadendo peccatum.* Aug. l. 4. contra Jul. c. 14. Præclare Ambros. Serm. 16. in Ps. 118. *Oculus nihil delinquit, ideòque Salvatoris sententia plena justitiæ est. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo. Non dixit. Qui viderit mulierem, sed ad concupiscendum viderit. Oculum absolvit, mentem ligavit. Non dixit, Adulteravit eam in oculo, sed in corde: in oculo visus est, in corde peccatum.*

29. *Si oculus tuus dexter &c.* Elegans est exaggeratio, à Chirurgis desumta, qui cùm per unum membrum totum periclitatur corpus, ne corpus pereat, illud membrum quantumvis charum præscindunt; hâc autem Parabolicâ exaggeratione significat Christus quodvis delectabile, charum & necessarium abijciendum esse & contemnnendum, dum aliter peccatum effugere non possis; cùm vero integritas membrorum nunquam causa sit peccati, sed sola voluntas membrorum actibus utens, nunquam necessaria est membrorum præcisio ad evitandum peccatum, proindeque nec unquam licita est ejusmodi præcisio, ut peccatum vitetur.

Scandalizat. Id est, præbet ruinæ occasionem.

31. *Dictum est autem.* Continuatur expositio præcepti mœchiæ, quatenus etiam respicit propriam uxorem.

Det ei libellum. Dare libellum in præcepto erat volenti dimittere, ut in dissidium animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret; dimittere verò tantùm permissum erat, ut dicitur infrà c. 19. & Marc. 10. ob duritiam cordis ejus, qui primævam matrimonii legem servare non posset. Vide Aug. lib. 1 de Sermone Domini in monte. Lib 19. contra Faustũ c. 26. Hier. in Mat. 5. & 19. Autorem operis imperfecti apud Chrysost. Hom. 12. &c. Hinc mulier dimissa per libellum repudij, si alteri viro nupserit, *polluta & abominabilis facta est coram Domino*, ut dicitur Deuter. c. 24. v. 4.

Repudij. Repudium & divortium aliquando promiscuè usurpantur, aliquando verò sic distinguuntur, ut repudium sit distractio matrimonii quoad substantiam seu vinculum conjugale, divortium verò ejusdem relaxatio. *Adeò repudium à primordio non fuit,* inquit Tertullianus in libro de Monogamia cap. 9. *ut apud Romanos post annum sexcentesimum Urbis conditæ id genus duritiæ commissum denotetur.* Idem in Apologetico cap. 6. *Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus ubique prosperata, quo per annos ferè sexcentos ab Urbe condita nulla domus repudium scripsit?*

31. *Dimiserit.* Id est, jure debiti petendi simpliciter privaverit. Quod autem dicitur hîc de viro respectu uxoris, similiter intelligendum esse de uxore respectu viri, patet ex 1 Cor. 7. v. 10. & 11.

Exceptâ fornicationis causâ. Per fornicationem intelligitur hîc omnis illicitus concubitus.

Facit eam mœchari. Dans ei occasionem secundarum nuptiarum, ut ait Origenes, tractatu 7. in Mat. *cùm tamen permaneat conjux ipsius dimittentis.* Vide infrà cap. 19. v. 9.

33. *Non perjurabis, &c.* Sensum non verbà citat Christus ex Exod. 20. v. 2. Num. 30. v. 3.

Juramenta. Id est, vota juramento confirmata.

34. *Non jurare omnino. Intellectus Sacræ Scripturæ ex actibus sanctorum intelligitur; idem enim Spiritus, quo Sacræ Scripturæ sunt editæ, Sanctos viros ad operandum inducit. Ex hoc ergo quod Paulus jurasse invenitur, ostenditur verbum Domini non sic esse intelligendum, quasi juramentum sit omninò illicitum, sed quia ad hoc homo niti debeat, ut quantùm ex ipso est, juramento non utatur tanquam quodam bono & per se appetibili, tum propter periculum, quod imminet ex frequenti juratione, ne homo labatur in perjurium propter labilitatem humanæ linguæ, tum etiam quia contra reverentiam Dei facere videtur, qui ipsum absque necessaria causa testem inducit. Unde nec Apostolus jurasse invenitur nisi scribendo, quando homo cum majori deliberatione & cautelà loquitur; est etiam quandoque necessarium juramentum, ut fides verbo dicentis adhibeatur, quod utile est etiam ei qui audit, & sic Apostolus propter utilitatem auditorum, quibus erat utile ut ei crederent, juravit, quasi non quærens quod sibi utile esset, sed quod multis ut salvi fierent.* Hæc D. Th. in Ep. ad Rom. c. 1. Lec. 5. Eadem docet 22æ q. 89. a. 2 ad primum. Sic & B. Aug. in hunc locum & Ser. 28. aliàs 30. de Verbis Apostoli, & de mendacio ad Consentium c. 15. & Magist. Sent. 3. Distinc. 39. Lit. D. Verba Augustini sunt. *Intelligendum est illud quod positum est, omninò, ad hoc positum, ut quan-*

quantum in te eſt non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum. Ratio eſt quia falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt. Nihil autem aliud eſt jurare, niſi Deum teſtem invocare, ſeu, à Deo partis aſſertæ in re controverſâ probationem petere, quod vel per ſimplicem conteſtationem fit, ſicut cùm quis dicit; teſtis mihi eſt Deus, coram Deo loquor, &c. vel per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicit.

Per Cœlum. Supplè, juraveris; juramentum tam præſentium vel præteritorum aſſertorium, quàm futurorum promiſſorium dupliciter poteſt fieri per creaturas; primò per ſimplicem conteſtationem, in quantum in creaturis divina veritas manifeſtatur; ſecundò per execrationem, in quantum aſſignantur à jurante creaturæ, in quibus divinum judicium exerceatur, niſi verum ipſe dixerit. Ideo autem Chriſtus poſtquam dixiſſet, *non jurare omninò*, addidit, *neque per cœlum*, quia ut colligi poteſt ex cap. 23. infrà, Scribæ & Phariſæi non putabant ſe teneri juramento, ſi per iſta juraſſent; hunc igitur errorem redarguere volens Chriſtus, declarat quòd qui jurat per cœlum, per Deum jurat, cujus thronus eſt cœlum; qui per terram jurat, per Deum jurat, cujus pedum ſcabellum eſt; qui per Jeroſolymam jurat, jurat per Deū, cujus civitas eſt; imò qui Gentilium more jurat, per caput, quod maximè noſtrum eſſe videtur, per Deum jurat, in cujus poteſtate eſt & caput, cùm ipſe ſolus poſſit ſine applicatione activorum paſſivis capillos facere albos aut nigros.

Thronus Dei eſt. Alludit ad illud Eſaiæ 66. v. 1. *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum; Ut enim indicaret omnipotens Deus inferiorem ſe eſſe & ſuperiorem omnibus, cœlum ipſe ſibi ſedem & terram ſcabellum eſſe perhibuit. Ut verò oſtenderet ſe omnia circumdare, cœlum metiri palmo, & terram ſe aſſerit Eſaiæ. c. 4. pugillo concludere. Ipſe eſt interior, ipſe inferior & ſuperior, regendo ſuperior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior, ſicque eſt intus ut portet, ſic portat ut præſideat.* Greg. Hom. 17. in Ezech.

35. *Civitas magni Regis.* Id eſt, Regis Regum cultui dedicata. Magnus Rex vocatur Deus cùm alibi, tum Malach. 1. v. 14. Heb. & Tob. 3. v. 17. Græco in textu.

37. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non.* Id eſt, quæcunque erunt vobis affirmanda, ſine fuco, aut mendacio affirmate, nullo adhibito juramento voluntario; ſimiliter abſ-

que

que omni tergiversatione quæ neganda sunt, negate. Itaque Christus hoc loco non præcipit modò ut à Juramento voluntario abstineamus, sed etiam ut semper vera loquamur; nec unquam veritatem adulteremus per æquivocationem, aut per mendacium destruamus. Vide Aug. Enchir. cap. 17. & 22.

Quod autem, &c. Q. d. Quod enim cogimur expressè Deum testem nominare, inde est, quòd mali sumus, mendaces, alii aliis non fidentes & mutuò nos insimulamus mendacitatis.

38. *Oculum pro oculo.* Supple, reposcere liceat in judicio. *Videmus leviter læsos homines moliri cædem, sitire sanguinem, vixque invenire in malis inimici unde saticntur; huic immoderatæ & injustæ ultioni Lex modum figens pœnam Talionis instituit, hoc est, ut qualem quisque intulit injuriam, tale supplicium rependat, quod non fomes sed limes furoris est.* Aug. lib. 19. contra Faustum c. 25.

39. *Ego autem.* Noxiam Legis corruptelam & spurias falsorum doctorum glossas corrigens.

Dico vobis. Privatis scilicet, neque enim Magistratus hîc alloquitur Christus, sed eos qui impetuntur. Deinde cùm Lex imperet Magistratibus ut reum plectant, rei ipsi futuri apud Deum ni fecerint, iis si Christus interdixisset ne debitâ reos pœnâ punirent, omninò contrarium Legi præcepisset, eámque proinde solvisset, quam tamen diserte dixit se non venisse solvere, sed adimplere. Hinc Constitutionum, quæ sub nomine Clementis R. P. circumferuntur, lib. 7. c. 3. *Non omnis cædes illicita, sed ea quæ est innocentis: ita tamen ut quæ justa est, solis Magistratibus sit reservata.* Quod hîc autor de cæde dicit, locum habet in quavis pœna reis infligenda.

Non resistere malo. Id est, non solùm non rependere malum, quod vobis fuerit irrogatum, sed etiam non resistere, quin aliud vobis iterum irrogetur ab eo, quem tamen misericorditer emendatoriam subire vindictam desiderare debetis. *Paratus itaque debet esse homo justus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitiâ se quoque numero addat malorum. Sunt ergo ista præcepta patientiæ ut semper teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse, quibus benè velle debemus; agenda sunt enim multa etiam cum invitis benignâ quâdam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quam voluntati.* Aug. Epist. 5. ad Marcellinum.

Si quis te percusserit in dexteram, &c. Christi oratio talis est

eſt, ut occultæ occurrat reſponſationi. Ita enim dicimus, *Veterem ferendo injuriam invitas novam*, percuſſit me in una mala & ſero, mox me percutiet in altera. Imò, ait Salvator, hoc potiùs facias, quàm à charitate & patientia diſcedas. *Quæ* inquit Aug. lib. de mendacio ad Conſentium c. 15. *in novo Teſtamento à ſanctis facta ſunt, ubi morum imitandorum evidentiſſima commendatio eſt, valent ad intelligentiam Scripturarum, quæ in præceptis digeſta ſunt, velut cùm legimus in Evang. Accepiſti alapam, para alteram maxillam. Exemplum autem patientiæ nullum, quàm ipſius Dei potentius & excellentius invenimus. At ipſe cùm alapâ percuſſus eſſet, non ait, Ecce altera maxilla, ſed, Si malè dixi, exprobra de malo, ſi autem bene, quid me cædis? Ubi oſtendit illam præparationem maxillæ alterius in corde faciendam. Quis enim negaret Chriſtum paratum fuiſſe in alteram maxillam cædi pro ſalute omnium, qui paratus fuit etiam toto corpore crucifigi? Ergo*, pergit Aug. lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 19. *quod ſequitur: Et qui voluerit tecum judicio contendere, &c. ad præparationem cordis, non ad oſtenſionem operis præceptum intelligitur.*

40. *Tunicam tuam tollere, dimitte ei & Pallium.* Luc. c. 6. v. 20. *Ab eo qui aufert tibi veſtimentum*, Græcè ἱμάτιον id eſt, pallium, *noli prohibere etiam tunicam.* Utriuſque Evangeliſtæ hic unus & idem ſenſus eſt, qui tibi litem intendit ut veſtem unam tollat, paratus ſis animo, & alteram ei dimittere ſine lite. *Cum enim pro terrena re pax à corde cum proximo ſcinditur, apparet, quod plus res terrena, quàm proximus amatur.* B. Greg. lib. 31. Moral. cap. 10.

41. *Angariaverit.* Id eſt, currere coëgerit; anganiare dicitur eſſe vox à Perſis derivata apud quos publici curſores *angari* dicebantur. *Ratio angariæ eſt, cùm aliquis aufert aſinum hujus domino ſequenti illum, & omnem aſinum primum occurrentem aufert & reſtituit priorem ei cujus eſt; ſecundus autem ſequitur aſinum ſuum, donec obviam factus fuerit alius, & ſic deinceps.* Ita Iſaac. Satiſan ex Rabbi Salomone Jarchi.

Vade. Hoc monet Chriſtus non tam ut pedibus agas, quàm ut animo ſis paratus, Aug. lib. 1. de Sermone Domini in monte c. 19.

Alia duo. Vox *alia* abeſt à textu Græco; vult itaque nos Chriſtus, ita immobiles in charitate fraterna permanere, ut ab ea, non quæ ignominioſè nobis à fratribus inferuntur non quæ patimur ab eis opum diſpendia, non denique quæ tyrannicè nobis imponunt onera, nos ſeparare poſſint. Vult Chriſtus nos ſemper paratos eſſe animo ad majores illatis ferendas injurias, ne ob illatas à fratris dilectione excidamus, ſed quoniam *parum eſt non nocere, niſi & beneficium præſte*

præstes, ut loquitur Aug. consequenter dicit:

42. *Qui autem petit, &c*, Luc. 6. v. 30. *Omni petenti te tribue. Omni petenti, inquit, non omnia petenti, ut id des, quod dare honestè & justè potes. Quid si enim pecuniam petat, quâ innocentem conetur opprimere? Quid si postremò stuprum petat? Sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantùm sciri aut credi ab homine potest; & cui justè negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem injustè correxeris.* Aug. loco mox citato. Vide ejusdem Epistolam 48. ad Vincentium.

Ne averteris. Id est, ne te avertas, voluntate aut vultu tetricum aut difficilem te exhibendo, vel usuras exigendo, unde Luc. 6. v. 25. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

43. *Diliges proximum tuum.* *Si amas te, proximum dilige, quia nihil magis commodis tuis dabis, quàm quod contuleris alienis.* B. Euch. in Ep. ad Valerianum.

Odio habebis inimicum tuum. Nempe alienigenam; nam inimicos Judæos satis expressè jubentur diligere Judæi Exod. 23. v. 4. &c. Non tamen ad verbum legitur in veteri testamento: *Odio habebis inimicum tuum* seu *alienigenam*, sed horum verborum sensus quoad alienigenas colligitur ex eo quòd jussit Deus Israelitas nunquam jungere amicitias cum populis Terræ sibi promissæ Exod. 34. jussit eosdem populos internecione deleri ab iisdem Israelitis, ita ut nec magno, nec parvo parcerent Deut. 20. jussit ab eisdem Amalecitas deleri de sub cœlo, Deuteron. 26. & quia Saul misertus est Regi eorum & reservavit pecora eorum, Deus iratus abstulit ei regnum. 1 Reg. 15. jussit Israelitas nunquam pacem inire cum Ammonitis & Moabitis, nec quærere eis bona cunctis diebus vitæ suæ Deuteron. 23. jussit denique, ut alia omittam, eosdem Israelitas hostiliter se gerere contra Madianitas, quos ipsi hostes priùs erant experti, Num. 25. Audito igitur & non intellecto quod Antiquis dictum erat implicitè, non expressis verbis, *Oderis inimicum tuum*: ferebantur homines in hominis odium, cùm non deberent odisse nisi vitium. Hos ergo corrigit Dominus, Legis mentem aperiens his verbis: *Diligite inimicos vestros: Ut quorum execramur iniquitatem, optemus salutem.* Prosp. Sent. 354.

Diligite inimicos vestros. Huic præcepto videtur oppositum illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus cibà illum: si sitierit da ei aquam bibere, prunas enim congregabis super caput ejus.*

Quo-

Quomodo enim quis diligit, quem ardere vult carbonibus? Nulla tamen erit oppositio, si advertatur Salomon loqui de illis vastatoribus carbonibus, qui dantur homini adversus linguam subdolam; cùm enim quis benefecerit inimico, & non victus malo ejus vicerit in bono malum, plerumque illum inimicitiarum suarum pœnitebit, & irascetur sibi, quòd tam bonum hominem læserit. Ipsa verò ustio pœnitentia est, quæ tanquam carbones ignis inimicitias ejus, malitiásque consumit. Aug. de diversis Serm. 26. c. 18. de Doctrina Christ. lib. 3. cap. 16.

44. *Benefacite.* Id est, parati sitis benefacere, & si commodè potestis, reipsa benefacite his qui oderunt vos. *Quæ dixit Christus, huc pertinent; ut adversus omnes simus patientes, officiosi, minimè iracundi*, ut ait S. Justinus Apol. 2. non verò *ut inter amulum & necessarium nulla distinctio sit*, ut loquitur S. Hier. Dial. 1. adv. Pelag.

Orate. Admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus piè vivere, ut Deus in illis operetur ut velint, cujus est aversa & adversa corda convertere. Orare autem est de necessitate præcepti, sicut & inimicos diligere in communi; charitas enim neminem ex dilectione excludit, proindéque debemus & pro eis orare in communi, orando pro omnibus hominibus sine inimicorum exclusione, & optare eis bona spiritualia in communi, & peccamus mortaliter, si eis aliquod velimus malum spirituale, quod nempe eos prohibeat à salute æterna. Hinc imprecationes, quæ in sacra Scriptura inveniuntur factæ à sanctis viris, uno ex tribus sequentibus modis intelligi debent; primò ut intelligantur factæ, non optantium voto, sed spiritu prævidentium; 2o. per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominis, sed ad justitiam punientis; quia nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum, sed in sua justitia, *quia justus Dominus & justitias dilexit*; 3o. ut desiderium referatur ad culpæ expiationem vel terminationem, non ad ipsam pœnam. Ita post SS. PP. docet D. Thomas 22æ. q. 25 ar. 6. ad secundum & 3m. & q. 83. ar. 7. ad 3m.

45. *Ut sitis filii*, &c. Hebraismus; sensus enim est: ut sitis similes Patri vestro, qui & bonos beneficiis fovet, & malos iisdem beneficiis ad pœnitentiam provocat.

46. *Quam mercedem habebitis?* Qui enim amicum ita diligit, ut inimicum oderit, non tantùm inimici peccatum; hic impetu naturæ, non cœlesti charitate in amici amorem fertur, proinde nec mercede à Deo donabitur hujusmodi dilectio, cùm Deo nihil placere possit, nisi quod ex fide viva, seu ex fide & charitate fiat.

Pu-

Publicani. Id est, qui Romanis, ex quo Judæa à Pompeio subjecta est & facta vectigalis, ad collectionem vectigalium & tributorum à Judæis quotannis appendendorum (quod *aurum Judaicum* Cicero appellat) operam locabant. Hoc autem hominum genus vulgo invisum, & pro perditis peccatoribus habitum, passim testantur Evangelistæ.

47. *Ethnici.* Qui scilicet solo naturæ impetu ducuntur. In plerisque codicibus Græcis hîc iterum habetur vox *Publicani.*

Fratres. Scilicet, Judæos.

48. *Perfecti.* Supple, in misericordia; unde Luc. 6. v. 38. dicitur: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*; nempe circa bonos & malos; nullus enim tam malus est, qui non aliquem divinæ misericordiæ effectum percipiat. Aug. Serm. 15. de verbis Domini sic exponit locum laudatum Lucæ, ut sensus Christi videatur esse hic: Quemadmodum Deus perfectus est in misericordia, & dum dimittit seu ignoscit, & dum dat seu tribuit beneficium, ita & vos perfecti estote, & dimittendo injurias vobis illatas, & tribuendo beneficia mendicis vestris.

CAPUT VI.

1. *Attendite.* Id est, cavete, quomodo vertit S. Hier. l. 2. adversus Pelagianos c. 4. Hinc discimus *quòd opus nostrum, cùm hominibus ostenditur, in cordis priùs examinatione pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus; si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi à multis ignorentur. Sed valde perfectorum est sic ostenso opere autoris gloriam quærere, ut de illata laude privatâ nesciant exultatione gaudere. Tunc solùm namque innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cùm per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur; quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, necesse est ut bonum hoc, quod operantur, abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriam laudem quærunt; sæpe verò in ostensione operis, autoris gloriam pacefacere cupiunt, sed exceptis favoribus in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur: cùmque semetipsos dijudicare interiùs negligunt, sparsi exteriùs ignorant quod agunt,*

gunt, ebriúmque opus ſuæ elationi militat, atque hoc ſe impendere obſequio largitoris putant. B. Greg. lib. 8. Moral c. 38.

Juſtitiam. Id eſt, inquit Hieronymus lib. 2. adverſus Pelagianos c. 4. *eleemoſynam.* Familiare eſt Hebræis vocabulum, צדקה, *juſtitia*, pro eleemoſyna uſurpare. Hinc & hodie Judæi cùm eleemoſynam in gazophylacium pauperum, quod in Synagogis ſingulis extat, mittunt, his utuntur verbis: *In juſtitia videbo faciem tuam.* Sic Prov. 10. v. 2. 11. v. 4. *Juſtitia liberabit à morte.*

Faciatis. Supple, hoc animo.

Ut videamini ab eis. Ut ſit ipſe finis operis veſtri, videri ab eis. *Non autem Deus juſſit bona opera abſcondi, ſed in bonis operibus laudem humanam non quærere,* ait Aug. Ser. 17. lib. 17. Hom. Hinc Paulus: *Si adhuc hominibus placerem,* i. e. placere vellem, *Chriſti ſervus non eſſem.* Gal. 1. v. 10. Cetera vitia creſcunt vitiis, vanitas virtutibus.

2. *Noli tubâ canere.* Id eſt, populum quærere ſpectatorem. Alludit autem Chriſtus ad morem Hebræis uſitatum, ut cùm publicè aliquid dicendum aut faciendum eſſet, quod attentionem mereretur, buccinâ in vicis aut plateis canerent ac ſignum darent. Hinc *clangere buccinâ*, ſeu *canere tubâ* populos jubent Prophetæ, quoties de re magna, quæ conſiderari maximè meretur, vel audiri, agunt.

Hypocritæ. Id eſt, ſimulatores. Vox hæc propriè de hiſtrionibus perſonam aliquam in fabula ſuſtinentibus, ſed paſſim uſurpatur de iis, qui aliud haberi volunt, quàm ſunt, ſeu ut loquitur D. Th. *Qui eâ intentione opera perfectionis aſſumunt, ut malitiam ſuam occultiùs exerceant & magis nocere poſſint.*

In Synagogis &c. Id eſt, in locis, in quibus eſt hominum confluxus.

Receperunt mercedem ſuam. Quam ſcilicet quæſierunt; laudati enim ſunt ab hominibus, quorum causâ exercuere eleemoſynam.

3. *Neſciat ſiniſtra,* &c. Hoc adagio ſignificat Chriſtus uſque adeo nobis non eſſe appetendum, ut ab hominibus videamur eleemoſynam facientes, ut, ſi fieri poſſet, etiam nobis ipſis celanda eſſet noſtra eleemoſyna; *Nam celata virtus Deo judice gaudet,* inquit Hieron. in Epitaph. Fabiolæ. In hunc ſenſum Eccli. 29. v. 11. dicitur: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit in die malo.*

4. *Reddet tibi.* In hodiernis Græcis codicibus additur *in manifeſto*, ſed in Græcis exemplaribus, quæ Latinis antiquiora

quiora ſunt, non inveniri luculenter teſtatur Aug. libro 2. de Sermone Domini in monte capite 1. Non autem ait, *Dabit*, ſed *reddet*, quia Deus merà liberalitate ſuâ bonis operibus mercedem promittens, *debitorem ſe facit non tantùm ſibi, ſed & Chriſto, & nobis, ut illi dicere poſſimus, Redde quod promiſiſti, fecimus quod juſſiſti*, inquit Aug. Ser. 16. de verbis Apoſt. Hinc & oratio licèt ſit *gratiæ teſtificatio*, ut ait Auguſt. Ep. 105. (quod enim prece petimus, facto teſtamur nobis non debitum;) tamen ex liberali Dei promiſſo: *Petite & dabitur vobis*: debitum fit, quod ſicut oportet oratione petierimus. Vide dicta cap. 5. v. 12.

5. *Sicut hypocritæ.* Hoc non refertur ad locum, nec ad exteriorem corporis compoſitionem; in conventu enim orare laudabile eſt, ut dicitur Pſ. 67. *In Eccleſiis benedicite Deum*; ſimiliter ſtans oravit Azarias, Daniel 3. v. 25. ſtans oravit Publicanus, Luc. 18. v. 13. & utriuſque oratio Deo placuit. Imo veteres ferè ſemper orabant ſtantes, unde apud Hebræos inter orationis nomina recenſetur, עמידה, *ſtatio*. Id unum ergo hìc vetat Chriſtus ne hunc unum orationis noſtræ ſcopum adinſtar hypocritarum habeamus, *videri ab hominibus*, ſeu, *placere hominibus*.

6. *Intra in cubiculum*, &c. Q. d. Tibi ſufficiat ut ille ſolus noverit orationem tuam, qui ſolus omnium cordium novit occulta; *Sive enim in Synagoga, ſive in vicis, & plateis eleemoſynam facis*, (aut orationem) *in abſcondito tamen facis, quicunque hoc faciens, non ab hominibus, ſed à Deo videri deſideras. E contra verò, qui in abſcondito facit, & videri cupiens, laudem ex hoc & gloriam quærit, non in abſcondito quidem facit, quoniam abſconditum non vult quod facit, tantúmque ei valet ac ſi in publico faceret. Deus autem qui videt in abſcondito, & cui nihil eſt abſconditum, qui & corda ſcrutatur, & videt cogitationes, reddet unicuique ſecundum opera ſua.* B. Bruno Signienſis.

7. *Nolite multùm loqui.* Græcè μὴ βαττολογήσητε, id eſt, vitate battologiam, ſeu cavete ne labia & lingua ſine mente orent; quod vitium dicitur ab Hebræis, בטוי שפתים, *futilitas labiorum*, à radice, בטח, *effutivit*; unde battologia videtur eſſe dictio Hebræo-Græca potiùs, quàm derivata à Batto Ovidiano, qui ineptis repetitionibus dicitur uſus. Præclarè itaque S. Iſidorus libro 3. de ſummo bono c. 8. *Oratio cordis eſt, non labiorum; neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit.*

Sicut Ethnici. Qui exercendæ linguæ potiùs, quàm mutando animo dant operam.

In multiloquio. Id eſt, propter multiloquium.

8. *Scit enim* &c. Oratio igitur noſtra non ordinatur ad immutationem divinæ diſpoſitionis, quæ pœnitudine non flectitur, ſed ut obtineatur quod *Deus omnipotens ante ſecula diſpoſuit donare*, ut ait B. Greg. lib. 1. Dialogorum c. 8. *Non eſt neceſſarium nos Deo preces porrigere, ut ei noſtras indigentias vel deſideria manifeſtemus, ſed ut noſipſi conſideremus in his ad divinum auxilium eſſe recurrendum.* D. Th. 22æ. q. 83. a. 2. ad 1m. Addit Auguſtinus in Ep. 121. ad Probam c. 8. *exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere quod præparat Deus; illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parvi & anguſti ſumus..... Tantò quippe illud, quod nec oculus vidit, quia non eſt color; nec auris audivit, quia non eſt ſonus; nec in cor hominis aſcendit, quia cor hominis illuc debet aſcendere, ſumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & ſperamus firmiùs & deſideramus ardentiùs.*

9. *Sic ergo.* Statas Liturgias, ſeu, certas orandi formulas in ſacra functione, quæ publicè peragitur, modò ſacris Litteris non repugnent, eſſe probandas patet ex hoc, quod ut Baptiſta Luc. 11. v. 2. diſcipulis dictaverat, ita & Chriſtus ſuis dictavit fixam orandi formulam, quam ab Apoſtolis in ſuis conventibus obſervatam teſtatur Juſtinus Martyr Apol. 2à. Tertul. Apologet. cap. 30. &c. Porro nullum eſt membrum iſtius Dominicæ orationis, quod non ſparſim in Pſalmis reperiatur. Sic primæ duæ petitiones reperiuntur in omnibus iis Pſalmis, quibus cunctæ gentes ad confitendum nomen Dei invitantur. Ad tertiam petitionem pertinet totus Pſalmus octonarius, quo David frequenter petit, ut Deus ipſius voluntatem flectat ad ſtatuta ſua, quod nihil eſt aliud, quàm id quod hac petitione, *fiat voluntas tua*, continetur. Quartæ petitionis materia eſt Pſ. 103. Heb. 104, & 143. Heb. 144. Ad quintam petitionem referri poſſunt, Pſ. 31. Heb. 32, & 50. Heb. 51. Sextæ & ſeptimæ petitionis mentio fit quoties in Pſalmis, è tentationibus, morbis, anguſtiis, ipsâ denique morte erui flagitatur.

Pater Noſter. Dei *nos filii ſumus, quos voluntate ſuâ filios fecit, non ex naturâ ſua filios genuit*, quomodo Chriſtum, qui ſolus eſt Dei filius naturâ. *Genuit quidem & nos, ſed quomodo dicitur adoptatus ab adoptante generatus, beneficio non naturâ.* Aug. Ser. 51. de verbis Domini. Quo autem ſenſu Deus dicatur eſſe in cœlis, diximus ſupra c. 5. v. 12.

Sanctificetur nomen tuum. Hoc *non ſic petitur, quaſi non ſit*

sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat, ut non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant. Aug. l. 2. de Sermone Domini in monte.

10. *Adveniat regnum tuum.* Scilicet *illud, quod præstituto tempore est omnibus perfectis ac Dei filiis generaliter repromissum, in quo eis dicetur à Christo: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Abbas Isaac Col. 9. c. 19. apud Cassianum.

Fiat voluntas, &c. Hæc petitio à B. Luca. c. 11. prætermitittur, quia ut dicit Aug. in Enchiridio c. 116. *Hæc tertia petitio est duarum præmissarum quodammodo repetitio.* Est enim sensus hujus petitionis secundum S. Hil. in Psal. 134. Fac *ut sicuti voluntati tuæ in cœlis ab indefessis & cælestibus virtutibus paretur, ita & à nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exequenda tua voluntate deflectat. In cœlis enim indefessis quotidie vocibus dicitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ. Fac ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, nisi per quod sanctificetur nomen tuum: nihil aliud in spe, nisi per quod etiam in nos tuum regnum speramus: nihil aliud in voluntate, nisi per quod tibi Deo nostro æternæ à nobis laudes sunt deferendæ.*

11. *Panem.* Synecdoche Hebr is familiaris, hoc est, omne subsidium necessarium ad vitæ conservationem nobis tribue.

Nostrum. Ecce & nostrum dicimus, & tamen ut detur oramus; noster quippe fit cùm accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Sic justitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ divinâ largitate fit nostra. B. Greg. l. 24. Mor. c. 7.

Supersubstantialem. Id est, substantiæ superadditum, vel super substantiam adjectum ad roborandam illam, conservandam vel augendam; quod aptissime significatur & per Græcum ἐπιούσιον & per Latinum *supersubstantialem.* Suidas explicat τὸ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζοντα, *substantiæ* seu *naturæ nostræ conveniens.* Hanc etymologiam videre est & apud Basilium Magnum in Ascet. & apud Theophylactum. τὸ ἐπιούσιον ἄρτον, inquit, Basilius, τουτὸ τὸ πρὸς τὴν ἐσήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα. Hoc est, Musculo interprete, *qui ad quotidianam vitæ sustentationem, substantiæ nostræ conducit.* Theophylactus ἐπιούσιον, inquit, τὸ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐταρκῆ ἐστιν, hoc est, *qui ad substantiam & constitutionem nostram sufficiens est.* Sunt qui deducunt ἐπιούσιον ab ἐπιοῦσα, quæ vox Act. 7. v. 26. ponitur pro die sequenti

quenti seu crastino; nam in Evangelio Hebræo Nazaræorum, teste B. Hier. legebatur: *Panem crastini* מחר. Addunt tamen ἐπιούσιον non tam futurum hìc, quàm continuum, חמיך, ac singulis diebus definitum significare; hinc & Vulgat. Luc. 11. ἐπιούσιον vertit *quotidianum*, ut sensus sit: Da nobis hodie panem, quo singulis diebus egemus.

Da nobis. Voluit Christus singulos orare pro omnibus, ut omnes pro singulis orarent, sicque singuli omnium orationis participes fierent. B. Ambr. l. de Cain c. 9.

12. *Dimitte nobis. Per hanc petitionem voluit nobis Salvator ostendere, quantumlibet justè in hujus vitæ caligine, atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare, & eis qui in nos peccant, ut & nobis ignoscatur, ignoscere.* August. l. 21. de Civit. Dei c. 22. & 27.

Debita. Peccata nostra debita vocantur, quòd illis tanquam ære alieno obstricti teneamur divinæ Justitiæ. Unde Luc. c. 11. disertis verbis dicitur, *Dimitte nobis peccata nostra.* Est autem *dimittere*, seu ut quidam Latinius dicunt, *remittere debita*, Syriaca, & Chaldaica locutio. Quod enim Hebraicè dicimur סלח לעון נשא פשע, id est, *ignoscere iniquitati, perferre delictum*, hoc Syrus, & Chaldæus reddunt שבק לחובי, *remittere debita.* Vide Gen. 50. v. 17. 3. Heb. 1 Reg. 9. v. 34.

Sicut. Exempla sumuntur non tantùm à rebus, quæ sunt genere proximo eædem; sed & ab iis, quæ aliquid habent similitudinis, præsertim cùm iis idem aliquod nomen ob similitudinem imponitur. Sic vetat nos Christus judicare, temerè nimirum & immisericorditer, ne ipsi judicemur: addítque quâ mensura mensi fuerimus, eàdem nobis remensum iri; ubi judicare illud prius ab altero distat toto genere: nam prius est judicium libertatis, alterum judicium est potestatis. Eodem modo longè aliud est in Deo atque in aliis rectoribus remittere peccata, aliud in privatis ab altero læsis; illi enim oppositum est punire, huic verò pœnam postulare, optare, aut etiam conqueri. Distant ergo intrinsecùs, sed extrinsecùs quodammodo conveniunt; nam causa impellens ad utrumque est benignitas, & utriusque effectus est quod is qui peccavit ab incommodo aliquo liberetur, aut reipsâ, aut certè quantùm est in remittente: quæ convenientia sufficit, ut exemplo sua vis constet.

Debitoribus. Id est, offensoribus. Qui Hebraicè nun-

cupatur חוֹטֵא *peccator*, Syriacè dicitur חַיָּב, *debitor*.

12. *Inducas*. Id est, induci permittas, seu patiaris; sæpe enim facere dicitur Deus, quæ facere permittit. Inducimur autem in tentationem, cùm à tentatione vincimur, quod tunc fit, cùm caremus aut luce, quâ peccatum, tentationisve fallaciam dignoscamus, aut justitiæ amore, quo peccati blanditiis cruciatibúsve resistamus. Quamvis autem Augustinus passim in hunc sensum sextam orationis Dominicæ petitionem exponat, idem tamen in libro de Bono perseverantiæ c. 6. putat simpliciter nos orare, ut omnino non tentemur, eà potissimum tentatione, quâ ad peccandum sollicitamur; quia nostræ infirmitatis memores, nec de nobis ipsis confidentes optamus potiùs liberari tentationibus, earúmque periculis, quàm eis exponi. Licèt enim tentatio interdum utilis sit, semper tamen est periculosa, idecque humilitas Christiana illam declinare suadet. Neque obstant Scripturæ tentationem seu afflictionem fortiter & cum gaudio tolerandam præscribentes; tolerare enim eam jubent, non amare. Ut autem ait August. l. 10. Conf. c. 28. *Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amet. Quamvis enim gaudeat se tolerare, tamen mavult non esse, quod toleret.*

A malo. Id est, a diabolo, qui dictus est suprà cap. 4. v. 3. *Tentator*. Passim autem diabolus dicitur malus sine addito, quia in extremo malitiæ gradu constitutus, ab eo revocari nequit. Porrò *satis de se humiliter sentit, nec salvari per se præsumit, qui ut à malo per Deum liberetur implorat.* B. Chrysol. Serm. 68.

Quod hîc sequitur in textu Græco, *Quoniam tuum est regnum & potentia & gloria in secula*, reperitur in Syriaco & Hebraico Evangelio, & apud Chrysostomum, Theophylactum & Euthymium, sed apud nullum Latinorum extat, abestéque & à nonnullis vetustissimis codicibus Græcis manuscriptis testatur Beza. Verùm cùm magnifica hæc & longè sanctissima doxologia extet, 1 Tim. 6. v. 15, & 16, & alibi passim in Scripturis, est haud dubiè Canonica.

Amen. Hæc vox est quasi orationis signaculum & velut ratificatio, quâ testamur nos non perfunctoriè eà, quæ explicata sunt, flagitare.

14. *Si enim dimiseritis &c. Non dixit: Vade in Orientem, & quære justitiam; naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi: indulge & indulgebitur tibi: da & dabitur tibi: nihil à te extra te quærit, ad teipsum & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis*

longè

longè opus habes inquirere, peccatorum tuorum indulgentiam, ſi vis, intùs in cellario cordis tui poteris invenire. Autor Ser. 47. de Sanctis apud Aug.

16. *Cùm jejunatis.* Jejunandi religio à Priſcis ſummo ſtudio obſervabatur, ut videre eſt tam in novo, quàm in veteri Teſtamento, atque in adverſitatibus veluti ad anchoram, ad jejunium & orationem ſe convertebant. Sic Moſes ſuſcepturus Legem primus jejunaſſe legitur, ſdque quadraginta diebus; quod iterum fecit & totidem diebus dum pro peccato populi Iſrael orabat. Sic Joſaphat ab hoſtibus circumdatus jejunium indixit. Sic Judith, ſic Eſther, ſic Apoſtoli, jejunaſſe leguntur. Unde patet jejunium bonum eſſe ad ſalutem medium, & hac de cauſa à Deo remunerandum Chriſtus aſſerit, ſi non fiat more hypocritarum, hoc eſt, ad venandam gloriam humanam, ſed ad caſtigationem corporis, ne ſaturitate aut deſidiâ exſtimuletur ad peccandum, ad externam teſtificationem internæ pœnitentiæ, & ad ardentiùs Deum invocandum. Ut enim ait Tertul. adverſus Pſychicos: *Multò pollentioris mentis & vivacioris cordis ſumus ad hæc ſpiritualia jejuni, quàm cùm illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatur & vinis inundatur.*

Nolite. Id eſt, ne affectetis.

Fieri triſtes. Id eſt, tetrico vultu oſtentare jejunium.

Exterminant. Id eſt, illuvie & ſqualore fœdant. Gr. Ἀφανίζουσι, id eſt, *deformant*; nempe illuvie & ſqualore fœdi nativam formam quaſi è medio tollunt.

17. *Unge caput, &c. Juxta ritum provinciæ Palæſtinæ loquitur: ubi diebus feſtis ſolent ungere capita. Præcepit igitur, ut quando jejunamus, lætos & feſtivos nos eſſe monſtremus.* B. Hier. *Non itaque ut coma capitis illecebroſo redundet unguento ſerius Magiſter injungit, nec faciem nitefcere ſolito vult lavacro, ſed habitu prandentis vult celari jejunium Chriſtiano, qui Chriſtianum vindicare, id eſt, ſibi arrogare, non vult artifice mœrore jejunium.* Cbryſol. Ser. 7.

18. *In abſcondito.* *Intùs ſunt ſervanda quæ agimus, ſi ab interno arbitro vicem recipere noſtri operis expectamus.* B. Greg. 8. Mor. c. 37.

19. *Tinea.* Hæc vox videtur deduci à φθείρειν, quod eſt, conſumi vel tabeſcere. Eſt autem tineæ proprium laneas veſtes conſumere, quæ cùm olim in theſauris fuerint, tinea dicitur hîc theſauros corrumpere.

20. *In Cœlo.* Id eſt, *apud Deum, in firmamento ſpirituali, quod ſemper manet, & de quo dictum eſt: Cœlum cœli Domino.* B. Auguſt. l. 2. de Serm. Domini in monte. Præcipit ita-

que Christus ne cœlestium thesaurorum obliviscentes thesauris terrestribus cor apponamus. Ut autem judicare possimus, utrum ordinatus divitiarum amor animum occupet, videndum an tota cordis cogitatio, omnis amor, spes & metus iis apponatur. Ubi enim cujusque est thesaurus, hoc est, ubi est id in quo quisque suam putat sitam felicitatem ibi & cor ipsius est. Dum itaque homo divitiis non cor apponit, neque iis fidit, sed spem suam ponit in Deum vivum, facile tribuit, & dives est in bonis operibus: hic etsi terrenarum opum thesauros habeat, non tamen dicitur thezaurizare in terra, sed in cœlis, ubi cordis affectus est defixus. *Ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid ames? Attende quid cogitas. Ita fiet ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas.* B. Fulg. Serm. de Confess.

22. *Lucerna, &c.* Q. d. Ut oculus est lucerna corporis, sic intentio est lucerna animæ. Græcè absunt pronomina *tui* & *tuus* tam hîc, quàm Luc. 11. v. 34.

Simplex. Id est, purus, nec ullo infectus vitio.

Lucidum erit. Hoc est, erit quasi oculatum, quia singula & omnia corporis membra oculi simplicis luce & directione prævià omnes actiones suas rectè obibunt.

23. *Nequam.* Id est, malè affectus.

Tenebrosum erit. Id est, carebit luce sibi necessariâ ad ritè exercendas actiones suas.

Quod in te est. Id est, esse debebat. Sic infrà c. 8. *Filii regni* dicuntur, qui filii regni esse debebant. *Filii sapientiæ* Luc. 7. quos sapientiæ filios esse oportebat, &c.

Ipsæ tenebræ quantæ erunt? Q. d. Alia ab oculo corporis membra, quæ naturâ suâ tenebræ sunt, & nullum ex se lumen habent, quantis tenebris obvolventur? Quod de oculo dicitur respectu corporis, id de intentione respectu animæ est dicendum. Namque si ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, non fuscetur vitii caligine, lucis opera erunt. quæcunque operabitur anima; si autem perversa est intentio, pravum est, quicquid facit anima. Vide Venerabilem Bedam in Luc. VI.

24. *Nemo, &c.* Adagiali locutione Christus aliam addit rationem, cur divitiis terrenis non sit cor apponendum, quia scilicet nos à Dei servitute separant.

Duobus dominis. Supple, non subordinatis.

Aut enim, &c. Sensus est: Aut hunc odio habebit, & illum diliget, aut vice versâ illum sustinebit, seu ut fert textus

tus Græcus, *illi adhærebit mordicùs*, scilicet dilectione, & hunc contemnet præ odio nimirum.

Mammonæ. *Mammona sermone Syriaco divitiæ nuncupantur. Non potestis servire Deo & mammonæ. Audiat hoc avarus, audiat qui censetur vocabulo Christiano, non posse se simul divitiis Christóque servire. Et tamen non dixit, Qui habet divitias: sed, Qui servit divitiis. Qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas ut Dominus.* B. Hier.

25. *Solliciti.* Sollicitudo importat studium quod fam adhibitum ad aliquid consequendum; unde eò major est sollicitudo, quò major est timor deficiendi; eò minor, quo major securitas consequendi. Sic ergo sollicitudo temporalium rerum tripliciter potest esse illicita: primò si temporalia tanquam finem quæramus, secundò si superfluum studium adhibeamus ad temporalia procuranda, ita ut mens à debita spiritualium officiorum functione avocetur, vel superflua sollicitudo præoccupet tempus futurum; tertiò denique si nimia sit sollicitudo, ita ut homo metuat ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant; quam nimiam sollicitudinem Christus hîc prohibet. Primò propter majora beneficia homini præstita divinitùs præter suam sollicitudinem. Secundò propter subventionem, qua Deus animalibus & plantis homine longè vilioribus subvenit. *Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pecua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus*, inquit Minutius Felix. Tertiò propter divinam providentiam, ob cujus ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda principaliùs sollicitantur. Et ideò concludit quòd nostra sollicitudo principaliter esse debet de spiritualibus bonis; sperantes quòd etiam temporalia nobis provenient ad necessitatem, si fecerimus quod debemus. D. Th. 22æ. q. 55. ar. 6.

Nonne anima. &c. Q. d. Nonne vita potior est, quàm id quo vita alitur? Argumentatur Christus à majori ad minus. q. d. Deus dedit vobis majora, scilicet vitam & corpus, ergo dabit & minora, nempe cibum quo vita sustentetur, & vestimentum quo corpus tegatur. *Quid ergo est vestimentum pauperibus largitur, sed tamen anima vel corporis iniquitate pollitur, quod minus est, justitiæ obtulit, & quod majus est, culpæ commisit; sua enim Deo dedit, se diabolo.* Greg. Past. 3. p. admon. 21.

26. *Nonne vos magis pluris estis illis?* Græcè, μᾶλλον διαφέρετε; Comparativus μᾶλλον verbo διαφέρειν (cui et ipsa

vis comparativi ineſt) conjunctus, inſignem hominis præ avibus, atque parili ratione præ ceteris animantibus excellentiam indigitat, ut pote qui ſolus inter omnia animantia in corpore mortali animam ſortitus eſt immortalem.

27. *Cogitans.* Supple, ſollicitè, ut patet ex textu Græco. Eſt autem ſollicitudo ex Cic. Tuſc. 4. *Ægritudo animi cum cogitatione.*

Cubitum unum. Id eſt, vel minimam partem; ponitur enim menſura definita pro quavis menſura, juxta vulgarem loquendi modum. Hanc argumentationem perficit B. Lucas 12. v. 26. *Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, de ceteris quid ſolliciti eſtis?* Q. d. Cùm id quod minimum eſt, ſcilicet adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum, veſtrâ anxietate non poteſtis, multò minùs totius vitæ conſervationem præſtabit vobis veſtra ſollicitudo.

28. *Lilia agri.* In Judæa & Syria lilia non coli in hortis, ut apud nos, ſed in agris paſſim occurrere obſervavimus in Commentario noſtro in Canticum Canticorum cap. 4. v. 5.

29. *In omni gloria ſua.* Id eſt, in omni veſtitu & amictu ſuo glorioſo. Sic Pſ. 44. *Omnis gloria filiæ Regis,* id eſt, veſtis vel amictus glorioſus. Eſth. 15. v. 4. *Circumdata eſt gloriâ ſuâ*: id eſt, veſte gloriosâ & honoratâ.

30. *Si autem fœnum agri,* &c. Hinc patet non ſolùm totam iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam viliſſimas ejus, abjectáſque particulas divinâ regi providentiâ.

Modicæ fidei. Id eſt, ô homines modicæ fidei; eſt enim increpatio modeſta, quâ Chriſtus excitat auditores ſuos ad dictorum perſuaſionem.

33. *Primùm.* Id eſt, præcipuè & propter ſe.

Regnum Dei. Id eſt, beatitudinem.

Juſtitiam ejus. Scilicet Dei, Græcè enim eſt maſculinum αὐτοῦ. Vocatur autem Dei juſtitia, quam ipſius gratiâ conſequimur, quæque via eſt, quâ pervenitur ad beatitudinem.

Hæc omnia. Nempe, temporalia.

Adjicientur. Supple, ſi ita expediat; *Quandoquidem temporalia ſicut adjutoria medicus iſte, cui nos totos committimus, novit quando apponat & quando detrahat, ſicut nobis judicat expedire, quos conſolandos & exercendos in hac vita, & poſt hanc vitam in perpetua requie ſtabiliendos atque firmandos gubernat ac dirigit. Non enim & homo, cùm plerumque jumento ſuo cibaria detrahit, deſerit illud curâ ſuâ, ac non potiùs curando hæc facit.* Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte c. 17.

34. *No-*

34. *Nolite*, &c. Q. d. Nolite tempus sollicitudinis præoccupare; unicuique enim tempori propria competit sollicitudo.

In crastinum. *Crastinum in Scripturis sanctis futurum tempus significat, sicut & Jacob in Genesi loquitur: Exaudiet me crus justitia mea. Qui ergo de futuris nos cogitare prohibuit, concessit de præsentibus propter humanæ vitæ fragilitatem.* B. Hier. in Ep. 147. ad Amandum.

Sollicitus erit sibi ipsi. Id est, suam propriam sollicitudinem habebit, quæ sufficiet ad animum affligendum. Præsentis versiculi sententiam aliis verbis protulit Apostolus, in Ep. ad Hebræos. c. 13. v. 5. *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit, Non te deseram, neque derelinquam.*

Sufficit diei malitia sua. Id est, secundum. Hier. loco mox laudato, *sufficit nobis de præsentibus hujus seculi cogitare angustiis. Quid necesse est sensum ad incerta & futura extendere, quæ aut consequi non possimus, aut citò inventa perdamus?* Κακία enim, quam Latinus vertit in malitiam, *apud Græcos duo significat, & malitiam & afflictionem, quam πονηρίαν Græci dicunt, & hîc magis pro malitia trasferri debuit afflictio. Quòd si contentiosè quis ducitur, nolens κακίαν afflictionem sonare & angustias, sed malitiam; illo sensu explicandum est, quo mundus in maligno, hoc est, in malo positus dicitur, & in Dominica oratione dicimus: Libera nos à malo; ut sufficiat nobis contra malitiam hujus seculi præsens habere certamen.*

CAPUT.

CAPUT VII.

1. *Nolite judicare.* Supple temerè & immisericorditer. *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; quod enim scriptum est: A fructibus eorum cognoscetis eos: de manifestis dictum est, quæ non possunt bono modo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia in bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium judicare, maximè ut condemnemus. Duo autem sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus, cùm incertum est quo animo quidque factum sit, vel qualis quisque futurus sit, qui nunc bonus vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, quæ nec scimus quo animo fiant, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem.* Aug. lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 23. Optimum hac in re consilium sancti Bernardi Serm. 4. in Cant. *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex; etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum: magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat; suade nihilominùs ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio: quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem.*

Ut non judicemini. Q. d. Ne in severissimum Dei judicium incidatis.

2, *In quo enim, &c.* Q. d. Eò severiùs vel benigniùs à Deo judicabimini, quò severiùs vel benigniùs alios judicaveritis. Hoc Christus significavit duplici præsentis versiculi adagio.

3. *Quid autem, &c.* Adagiali locutione redarguit eos Christus, *quicùm ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt*, ut loquitur Hier. Hoc hominum genus simili schemate perstringit Horatius, cùm dicit 1 Serm. Sat. 3.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

4. *Quo-*

4. *Quomodo.* Id est, quâ fronte.

5. *Hypocrita. Accusare vitia officium est bonorum, quod cùm mali faciunt, aliénas partes agunt, sicut hypocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostendunt in persona quod non sunt.* Aug. lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 3.

Videbis e icere. Id est, *perspicies ut educas*, quomodo loquitur B. Lucas c. 6. v. 42.

6. *Nolite, &c.* Docet Christus duplici adagio divina mysteria non esse tradenda eorum contemtoribus & oppugnatoribus. Eadem itaque divina mysteria vocat, *Sanctum*, quia divina sunt, quæ non debent corrumpi; *margaritas* verò quia pretiosa, quæ non debent contemni.

Canibus. Id est, veritatis oppugnatoribus per rebellem oblatrationem.

Ne fortè. Græcè, ne quando.

Conculcent, &c. Id quidem apris convenit potiùs, quàm porcis domesticis, tamen etiam à suibus homines quandoque lacerari Veteres scribunt. Plin. lib. 10. c. 67. *Fœminas subantes in tantum efferari aiunt, ut hominem lacerent, maximè candidâ veste indutum.* Et de Belgarum suibus hæc tradit Strabo lib. 4. Ἀι δ' ὗες καὶ ἀγραυλοῦσιν, ὕψει τε, καὶ ἀλκῇ, καὶ τάχει διαφέρουσαι· Κίνδυνος γοῦν ἐστι τῷ ἀήθει προστάντι, ὡσαύτως καὶ λύκῳ. *Sues etiam in agris pernoctant, proceritate, robore & celeritate præstantes, ad quas nemo insuetus, nisi cum periculo accedit; ut neque lupus. Quod autem Dominus quædam dixisse invenitur, quæ multi, qui aderant, vel resistendo, vel contemnendo non receperunt, non putandus est Sanctum dedisse canibus, aut Margaritas ante porcos misisse. Dedit enim eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat.* Aug. lib. 2. de Sermone Domini in monte c. 22.

7. *Petite, &c. Operosè*, inquit Aug. lib. 1. retract. c. 16. *ista tria: Petite, quærite, pulsate: quid inter se differant, exponendum putavi; sed longè meliùs ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Unde Dominus concludit dicens: Dabit bona petentibus se: & non addit: Quærentibus & pulsantibus.*

8. *Qui petit, accipit.* Scilicet si bona spiritualia petat nihil hæsitans. Imo & temporalia, nisi eorum privatio nobis covenientior sit ad salutem. Fatendum igitur secundum Salvatoris sententiam gratiam dari petentibus, quærentibus, pulsantibus; sed cum Augustino in lib. De bono perseverantiæ c. 23. agnoscendum est *etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus atque pulsemus; accipimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Quod vi-*

vidit Beatus Ambroſius; ait enim, Et orare Deum gratiæ ſpiritualis eſt, ſicut ſcriptum eſt: Nemo dicit Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto. Præclarè itaque S. Bernardus in libello de gratia & libero arbitrio: *Liberi arbitrii conatus ad bonum caſſi ſunt, non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur.*

Accipit. Aliquando tardiùs, ne citò data vileſcant & contemnantur.

9. *Aut quis homo.* Græcè, *an quis homo*, ſuppl. quamvis immitis & malus.

11. *Cum ſitis mali.* Scilicet, tum naturali proclivitate in malum, quam contraxiſtis ex natura per peccatum corrupta, tum propriâ voluntate & vivendi ratione.

Noſtis. Id eſt, conſueviſtis.

12. *Omnia ergo.* Incipit Epilogus & compendium omnium, quæ ab initio capitis quinti hucuſque ſunt à Chriſto præcepta.

Quæcunque vultis. Id eſt, deſideratis voluntate non libidine, atque ita ſignanter dicit *vultis*; nam inter voluntatem & libidinem hoc intereſt ſecundum Cic. 4. Tuſc. Voluntas cum ratione deſiderat; quæ autem ratione adversâ incitata eſt, ea libido eſt vel cupiditas effrenata. Ergo deſiderium in bono voluntas dicitur, deſiderium in malo libido vocatur. Hieronymus Ep. 14. ad Celantiam ait, *Quaſi compendioſum quoddam commonitorium illa tibi Evangelii eligenda ſententia eſt, & ſuperſcribenda cordi tuo, quæ ad totius juſtitiæ breviarium dominico ore profertur: Omnia quæcunque vultis ut vobis faciant homines, ita & vos facite illis: cujus præcepti vires exprimens jungit, Hoc enim Lex et Prophetæ. Ad omnem actum, verbum, cogitatum hæc ſententia retractetur. Quæ tibi quaſi ſpeculum quoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum, qualitatem tuæ voluntatis oſtendat, ac etiam, vel de injuſto opere redarguat, vel de juſto lætificet.*

Hoc eſt enim, &c. Q. d. Dilectio proximi propter Deum, eſt ſumma omnium quæ in Lege Moſis & Prophetis præcipiuntur. Qui enim proximum propter Deum diligit, Deum magis diligit, proinde habet charitatem, quæ eſt finis omnis præcepti. Etenim omne præceptum eſt morale, vel ceremoniale, vel judiciale; ceremoniale ad dilectionem Dei, judiciale ad dilectionem proximi ſpectat; morale quoddam ſpectat ad dilectionem Dei, ut tria prima præcepta Decalogi: quoddam ad dilectionem proximi, ut præcepta ſecundæ tabulæ, ſeu, ſeptem poſtréma Decalogi præcepta. Cùm ergo utrumque præceptum charitatis, ſcilicet præceptum de diligendo Deo, & præceptum de diligendo proximo,

no, ita fit, ut neutrum ſine altero poſſit impleri, quod Dominus dicit infrà capite 22. *In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ* : poteſt indiſcriminatim vel de his ſimul ſumtis, vel de utrolibet ſeorſim ſumto intelligi.

13. *Intrate.* Id eſt, *contendite intrare*, ut loquitur B. Lucas, c. 13. v. 24.

Per anguſtam portam. Per portam & viam intelligitur vivendi ratio, quæ ſi ſit ſecundum Evangelium, arcta & anguſta dicitur, quia unica eſt & ita terminis charitatis circumſcripta, ut ne quidem latam unguem ad dexteram vel ſiniſtram fas ſit deflectere, ut ulli cupiditati fiat ſatis; unde & hæc via difficilis eſt inceſſu propter pronitatem naturæ corruptæ in carnalia, à quibus difficilè refrenatur. Iam qui poſt ſuas concupiſcentias eunt & vivunt ſecundum carnem, dicuntur intrare per latam portam & ſpatioſam viam, quia in hanc vivendi rationem prona eſt natura corrupta & per diverſiſſima vitiorum genera, ſive per exceſſum, ſive per defectum hæc via initur, multíſque & alte impreſſis conſpicitur calcata veſtigiis.

14. *Quam anguſta* Græcè, *quoniam anguſta.*

Arcta via eſt, &c. Sed quod anguſto initio incipitur, proceſſu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur; omnia ſæva & immania, prorſus facilia & propè nulla efficit amor. Quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis miteſcunt amantibus, qui nec ſentiunt quod laborant, & tunc plus ab eis laboratur, quando à labore prohibentur. Hinc dictum eſt : *Fugum meum ſuave & onus meum leve : Præcepta ejus gravia non ſunt* : ut cui gravia ſunt, conſideret divinitùs dici non potuiſſe, *gravia non ſunt*, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui gravia non ſunt, & petat quo deſtituitur, & impleat quod jubetur. Omnia fiunt facilia charitati, cui uni ſarcina Chriſti levis eſt, aut ea una eſt ſarcina ipſa, quæ levis eſt.

15. *Attendite.* Cùm dixiſſet Dominus paucos eſſe, qui inveniant anguſtam portam & arctam viam, ne Hæretici, qui ſe plerumque paucitate commendant, ſe hîc ſupponant ſignificatos nomine paucitatis, monet Chriſtus ut quærentes viam quæ ducit ad vitam, ab his diligenter caveamus.

A falſis Prophetis. Id eſt, à ſeductoribus, *qui veritatem refutantes inducunt verba falſa, interpretatores mali eorum, quæ bene dicta ſunt, ſimilia quidem nobis loquentes, diſſimilia verò ſentientes*, ut ait B. Iren. in præfatione operis ſui

Veniunt. Supple, nullum mandatum habentes prædicandi quæ docent.

In

In vestimentis ovium. Q. d. Manente luporum feroci, deponunt lupinam speciem, se mansuetudinis simulatione & verborum blandimentis veluti quibusdam velleribus obvolvunt, ut cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam dentium aculeos pertimescat. Dicuntur autem vestimenta ovium uno verbo μηλωτή, quibus amiciebantur vulgò Prophetæ, ut de Elia legitur 3 Reg. 19. v. 13. & de Eliseo in textu Græco 4 Reg. 2. v. 13. ubi Vulgatus habet, *pallium.* Itaque in Christi verbis est duplex allusio, una ad Prophetarum vestes, quas imitabantur falsi Doctores, ut pro veris haberentur: altera ad ovium mansuetudinem, quam externâ specie mentiebantur, cùm reverà essent lupis rapaciores; nam ut lupus toti gregi, ita toti Ecclesiæ falsus Doctor insidiatur, atque ut lupus inhiat ovium vitæ & sanguini, ita ille animabus, quas sanguine suo redemit Christus. Vide Ezech. 13. v. 18. Ut illum taceam vero pastori esse tam similem, quàm lupum cani, & quomodo per noctis tenebras grassatur lupus, & dum pastores dormiunt, gregem invadit, ita eum invadere Christi Ecclesiam, cùm Pastorum negligentiâ ignorantiæ tenebræ ingruentes videntur grassanti malo latam fenestram aperire.

16. *A fructibus.* Id est, ab operibus ipsorum doctrinam naturaliter consequentibus; simulatio enim, folia sunt, opera fructus; non autem arbor dignoscitur an bona vel mala sit ex foliis, sed ex fructibus.

Cognoscetis eos. Supple, infallibiliter: si enim ex doctrina alicujus sequitur, ut ipsi assentientes supercertent semel traditæ Sanctis fidei & in firma Scripturarum basi fundati nullis Novatorum dolis dimoveantur, doctrina illa bona est; sin verò natum sit sequi oppositum, ut nempe non adoretur Scripturæ plenitudo, & doctrina aliqua præter vel extra Scripturam tanquam ad salutem necessaria suscipiatur, certum est eos, quia talia docent nequaquam divino instinctu, sed proprio corde vaticinari, Dei Spiritum relinquentes, sequi spiritum suum, & propter fraudulentiam ac nequitiam vulpium similes decipere incautos simplicésque, & depopulari vineam Domini Dei Sabaoth, quæ est sancta Dei Ecclesia. *Fructus*, inquit autor operis imperfecti apud Chrysost. Hom. 19. in Mat. 7. *hominis est confessio fidei ejus, & opera conversationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera: si confessio ejus conveniat cum Scripturis, verus est Christianus. Si autem non est, quemadmodam Christus mandavit, falsus est.* Nihil reliquisse aut reticuisse Scripturam eorum quæ nobis conducibilia essent, vi-

videre est disertis verbis apud Chrysost. Serm. de Pseudo-Prophetis, & falsis doctoribus. Traditio seu ecclesiæ testimonium & ratio instrumenta fidei esse possunt, non fundamenta; sicut nec sensus.

17. *Arbor bona.* Adagio Christus suam sententiam confirmat. Q. d. Ab effectu naturaliter consequente dignoscitur causæ cujuivis bonitas. Vide infra cap. 23. v. 3.

21. *Non omnis, &c.* Cùm dixisset Christus quosdam non recipiendos propter dogmatum nequitiam, jam addit nec fidei integritatem sufficere ad salutem, nisi quam lingua loquitur, etiam moribus vita fateatur. Q. d. Non omnes, quorum Spiritus-Sanctus movet corda ad confessionem nominis mei, non omnes qui moti à Spiritu-Sancto prophetant & prodigia operantur per invocationem nominis mei, non omnes illi beatitudinem consequentur, sed ij duntaxat, quos Spiritus-Sanctus inhabitat. Itaque nemo Jesum confitetur nisi Spiritu Sancto movente, sed ij tantùm, qui faciunt voluntatem Dei, qui servant mandata, qui non negant factis, quem ore confitentur, & corde reverentur, moventur à Spiritu-Sancto inhabitante. Ita D. Th. 1 Cor. 12. Lect. 1. in hæc verba: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu-Sancto.*

22. *In illa die.* Quà scilicet venturus sum judicare vivos & mortuos.

23. *Confitebor. Signanter dixit, Confitebor: quia multo antè tempore dicere dissimulaverat.* Hier.

Nunquam novi vos. Id est, nunquam vos approbavi, ne tunc quidem dum prophetaretis, ejiceretis dæmonia & multas virtutes in nomine meo faceretis. Sic Cicero de legibus lib. 1. *Vereor ne istam causam nullus noscat:* id est, probet. Sic ars dicitur nescire vitia, cùm improbat vitia. Præclarè Greg. 11. Moral. c. 7. *Scire Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare; & scit iniquum, quia cognoscendo judicat; & tamen iniquum nescit, quia ejus facta non approbat; & novit ergo, quia deprehendit; & non novit, quia in sapientiæ suæ specie non recognoscit; sicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falsitatem nesciat, non quia, cùm vel ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat, sed eandem ipsam fallaciam & scit in examine, & nescit in amore, ut videlicet & ipse hanc non agat, quam actam ab aliis damnat.* Paulò aliter hunc locum exponit Augustinus in Epistola 47. ad Valentinum: *Quid est, Non novi vos, nisi, tales vos non feci? Quemadmodum illud quod dictum est de ipso Domino Jesu Christo, Quia non noverat peccatum, quid est (non noverat) nisi quia non fecerat?*

Ac

Ac per hoc quod dictum est : Vias quæ à dextris sunt novit Dominus : quomodo intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est, vias justorum, quæ sunt utique opera bona, quæ præparavit Deus (sicut dicit Apostolus) ut in illis ambulemus. Vias autem sinistras perversas, id est, vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi. Propter quod dicit : Odivi autem ego perversas vias malorum, ipsæ sunt à sinistris.

Discedite à me. Supple, in ignem æternum.

Qui operamini iniquitatem. Non dixit, Qui operati estis iniquitatem : ne videretur tollere pœnitentiam : sed, qui usque in præsentem horam cùm judicii tempus advenerit, licèt non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum. B. Hier.

24. *Omnis ergo, &c.* Q. d. Cùm tanta sit necessitas faciendi voluntatem Patris mei; concludite eum stulto labore consumi, qui verba mea audire satagit, & facere negligit; nullam enim parit fides, quæ ex auditu est, utilitatem, si fœda sit conversatio; eum verò lætari de labore suo, qui non solo auditu verba mea susceperit sed etiam opere impleverit. Hic autem idem sensus aliis verbis hîc, aliis Luc. 6, exprimitur.

29. *Potestatem habens.* Q. d. Omnes in admirationem rapiebantur, cùm Christus Legem in monte latam, in monte interpretaretur; talem enim Christus sua in doctrina promulganda majestatem exhibebat, ut se planè ἐξουσίαν, id est, authoritatem Regis ad jubendum, & Doctoris ad persuadendum habere ostenderet. Sermo enim Christi, licèt simplicissimus, vestitus erat majestate quadam regali, ac penitùs divinâ. Nam animæ medullam penetrabat ad electorum conversionem, & malorum convictionem. Scribarum autem & Pharisæorum doctrina talis non erat; sed ratione *materiæ* erat ut plurimum de rebus frivolis & infructuosis; & ratione *qualitatis*, laxior, fucata, & ad ostentationem, aut blandiloquium composita.

CAPUT.

CAPUT VIII.

2. *Et ecce leprosus. Post prædicationem*, inquit Hieron. *atque doctrinam signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula præteritus apud audientes sermo firmetur.* Hæc autem eadem leprosi miraculosè sanati historia narratur à Marco, c. 1. v. 40. & à Luca 5. v. 12. sed solus Matt. hujus miraculi tempus atque ordinem significat, his verbis : *Cùm ascendisset de monte* &c. *Et ecce* &c.

Veniens. Nempe, *cùm* Jesus *esset in una civitatum*, ut dicit Lucas, hoc est, prope unam civitatem, nam Levitic. 13. prohibetur leprosis urbes ingredi. Colligitur autem ex v. 5. hujus capitis, prope Capharnaum leprosum fuisse mundatum. Christum quoque esse passum dicimus in urbe Jerusalem, quia passus est prope urbem Jerusalem. Hebr. 9. v. 4. in Arca fuisse leguntur urna aurea mannâ plena, & virga Aaronis, id est, prope Arcam; nam in ipsa Arca nihil fuit præter duas Legis tabulas, ut dicitur 1 Reg. seu Sam. 8. v. 9. Sic Josue 10. v. 10. *in Gabaon*, id est, prope Gabaon; neque enim in ipsa urbe pugnatum fuerat, ut in ea hostes contererentur. Judic. 18. v. 12. castrametati dicuntur *in Cariathiarim*, id est, prope Cariathiarim; sequitur enim ibidem mox : *Qui locus, ex eo tempore, castrorum Dan nomen accepit, & est post tergum Cariathiarim*, id est, ab occidente ejus.

Adorabat. Scilicet *accidens ad genua* & *procidens in faciem*, ut dicitur Mar. 1. Luc. 5. Nam *adoratio*, ut ait D. Th. 22æ. q. 84. ar. 2. ad 2m. *principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit ; secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis : sicut genu-flectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum : prosternimus autem nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.* Est autem formatum adorandi verbum non ab *ador*, quod frumenti genus est, ut censet vulgus Grammaticorum, sed à veterum more, quod diis supplicantes admovebant oribus suis dextras, *primo digito in erectum pollicem residente*, ut expressit Apulejus lib. 5. Milesiarum. Unde Job 31. v. 26. & 27. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè : & osculatus sum manum meam ore meo :* id est, si lunam aut solem adoravi.

Si vis. Cùm Deus non promiserit bona corporalia nisi conditionatè, si animæ saluti expediant, orantibus concedenda, benè leprosus lepræ sanationem petens, totum Christi beneplacito committit; ipse enim novit quid sit sanitati animæ magis opportunum.

3. *Tetigit eum. Verbum indivisam se cum carne societatem habere persuasum volens, pleraque miracula & signa per corporis ministerium edidit.* Victor Antiochenus in cap. 1. Marci. Unde Cyrillus in Catena Græcorum Patrum in Luc. 4. ait quod *sicut ignis appositus vasi æneo imprimit ei propriæ caliditatis effectum, sic omnipotens Dei Verbum cùm templum sibi ex Virgine assumtum animatum & intellectuale veraciter univit, particeps illud suæ potestatis effecit.* Quamvis autem Christus videatur Legem solvere, quæ contactum leprosi vetabat Levitic. 13. revera tamen non solvit; Lex enim vetuit tangere lepram, non ut leprosi non sanarentur, sed ut tangentes non inficerentur; Christus verò infici non potuit, ideo tetigit, ut tangendo leprâ infectum mundaret, simúlque ostenderet non corporis sed animæ lepram esse fugiendam. Tetigit ut contra Manichæos humanæ naturæ, quam habebat, probaret veritatem. Tetigit & locutus est, ut omnibus constaret leprosum ab ipso fuisse mundatum.

Volo. Christus hac omnipotenti voluntate contra Photinum Syrmiensem Episcopum probat se non tantùm hominem esse, sed & Deum, cujus voluntate omnia fiunt.

Mundare. Id est, sis mundus: est enim in imperativo, ut patet ex textu Græco. *Imperat Christus, ut contra Arrium se ostendat non minorem Patre.* Amb. l. 5. in Luc.

Confestim. Id est, citra moram.

4. *Nemini dixeris. Redemtor noster per mortale corpus, omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuit, ut pro nostrarum virium modulo ejus vestigia sequentes inoffenso pede operis, præsentis vitæ carpamus viam; miraculum namque faciens, & taceri jussit, & tamen taceri non potuit, ut videlicet electi ejus, exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis, prodantur invitii, quatenus & magnæ humilitatis sit, quod opera sua taceri appetunt, & magnæ utilitatis sit, quod opera eorum taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit fieri quidquam, & minimè potuit. sed quid membra ejus velle debeant, quidve etiam de iis nolentibus fiat, doctrinæ magisterio exemplum dedit.* B. Greg. l. 1. Dialog. c. 9.

Sacerdoti. Marc. 1. v. 44. *Principi sacerdotum*, id est, ei, qui tibi primus occurrerit, sacerdoti; nam apud Marcum ipsum

ipsum in textu Græco habetur, *sacerdoti*, sicut hìc & Luc. 5. v. 44. etiam in Vulgato; tum etiam ut patet ex Levitic. 13. quilibet sacerdos leprosum considerare poterat, ut an mundus immundúsve esset, decerneret.

Offer &c. Hoc Christus ideo jussit, quia nondum in cruce obtulerat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus ejus est; non enim oportebat auferri ceremonialia Legis præcepta, nisi exhibitis his, quæ per ipsa ceremonialia præcepta promittebantur futura.

In testimonium illis. Q. d. Ut hoc sit illis testimonio, quoniam non veni solvere Legem, sed adimplere, & ipsà adimpletione auferre ea, per quæ adhuc promittitur implendum, quod jam à me fuerit impletum.

5. *Centurio.* Sic dicebatur, qui uni centuriæ præerat. Centuria centum homines continebat eósque pedites; turma verò sic dicta quasi terma aut terdena, triginta seu terdenos equites, quorum primi dicti sunt Decuriones. Gentilis hic Centurio erat, ut patet ex sequentibus & Luc. 7.

Accessit. Non per seipsum, sed primò per Seniores Judæorum, deinde per amicos, ut patet ex Luc. 7.

6. *Puer.* Id est, servus, ut patet ex Luc. 7.

7. *Ait illi* Id est, Judæis ejus nomine venientibus.

8. *Sub tectum meum.* Id est, in domum meam.

Dic verbo. Hebraismus, id est, jube unico verbulo.

9. *Nam & ego, &c.* Q. d. Si egò alteri subditus multa unico verbulo efficio, quid tu non possis, cui omnes serviunt potestates?

10. *Miratus est. Admiratio est, quando aliquis & videt effectum & ignorat causam.* D. Th. in Ps. 8. sed Christus qui fidem in Centurione fecerat, illius fidei causam ignorare non poterat. Unde dicit August. in 1. super Genesim contra Manichæos c. 8. *Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis Magistri.*

In Israël. Supple, *secundum carnem*; *nam & Centurio jam Israëlites erat secundum spiritum*, ut ait Aug. Ser. 6. de verbis Dom. c. 1. Itaque non confertur Centurionis fides cum fide eorum, qui tunc erant paucissimi Israëlitæ secundum spiritum; unde non potest inferri, fidem Centurionis fuisse majorem fide B. virginis, aut eorum, qui Christum sequebantur tunc temporis.

11. *Ab oriente*, &c. Id est, ex omnibus mundi partibus.

Recumbent, &c. Recumbere, seu, *discumbere est in æterna re quie refoveri*; *discumbere quippe nostrum*, *in regno quiescere est*. Greg. Hom. 13. in Evang. Regnum cœlorum comparatur convivio, in quo Abraham pater credentium primum locum tenet, ceteri verò convivæ unà cum Abrahamo recumbunt. Hinc putat doctissimus Camero, quòd quemadmodum honoratissimi habebantur, qui convivarum in sinu recumberent, ita qui præ ceteris beati sunt, dicuntur in sinu Abrahæ esse. Verùm magis arridet sententia Capelli dicentis quòd sinus Abrahæ non à more accumbentium mensæ dictus est, sed à puerulis, qui parentibus sunt charissimi, quos parentes in sinu, sive gremio fovent, in quo etiam suaviter interdum dormiunt. Pii nempe dormire dicuntur & quiescere à laboribus suis, dum moriuntur; ubinam autem quiescere & dormire potiùs dicentur, quàm in sinu patris omnium credentium?

12. *Filii autem regni.* Hebraismus, id est, qui ad regnum, seu, gloriam nati, destinatíque erant.

Ejicientur. *Quia jactantes se de semine Abrahæ, semen Abrahæ fieri noluerunt, ut essent filii promissionis, quia fidem novi Testamenti non receperunt, ubi justitiam Dei contemserunt, & suam constituere volentes, id est, tanquam de suis meritis & operibus præsidentes præverunt esse filii promissionis, hoc est, filii gratiæ, filii misericordiæ, ut qui gloriatur in Domino glorietur, credens in eum, qui justificat impium, hoc est, qui ex impio facit pium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, & impleatur in eo, non quod postulabat ejus meritum, sed quod à Domino promissum est beneficium.* August. Ep. 120. c. 20.

In tenebras exteriores. Utitur Christus hac loquendi formulâ, quia agit hîc de regno cœlorum sub similitudine cœnæ convivialis, quæ quia de nocte fit, solet copioso tædarum lumine celebrari, quod non solùm ad necessitatem & usum, sed etiam ad celebritatem & ambitionem adhibetur. Itaque qui in cœnaculo sunt, in magno sunt lumine; qui extra, in magnis versantur tenebris. Sic qui in regno cœlorum erunt, non egebunt lumine solis, neque lumine lucernæ, quoniam Dominus Deus illuminabit eos; qui verò extra regnum cœlorum erunt, quoniam non à Domino Deo illuminabuntur, respectu cujus lucis alia quævis lux, quanta quanta sit, tenebrarum nomen obtinet, in tenebris exterioribus fore dicuntur, sícque opponuntur tenebræ exteriores luci domesticæ, ex qua ejiciuntur.

Villalpandus in Apparatu Urbis ac Templi Jerosolymitani libri secundi c. 8. observat 1ò tenebrarum nomine carcerem compellari solitum in Scripturis, ut videre est Psal.

106.

106. v. 10. *Sedentes in tenebris & in umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro :* quæ omnia eorum ſunt, qui in carcere detinentur, quomodo intellexit Rabbi David Kimchi, & ante ipſum intelleXiſſe videtur Chaldæus. Præterea apud Eſaiam c. 49. v. 9. *Qui vincti ſunt, exite : qui in tenebris, revelamini :* repetitio ejuſdem facti eſt, quo de carcere educuntur vincti, & de tenebris ejus ad libertatem & lucem. Neque verò tantummodò carcer vocatur tenebræ, ſed & tanta eſt tenebrarum & carceris ſimilitudo, ut tenebras ipſas carcerem quemdam vocet Sapientia ; ſic enim de Ægyptiorum coercita arrogantia loquitur c. 17. v. 2. *Dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.*

Obſervat 2ò. Fuiſſe quidem Jeroſolymis, ut in quibuſvis, aliis grandioribus urbibus multos carceres leviorum ſcelerum reis detinendis aptiſſimos ; unum verò horridum, deterrimum & graviſſimâ capitis pœnâ mulctandis deſtinatum, extra pomœria civitatis ſitum, ne ſceleratorum afflatu, quod fortè cavendum populo maximè ducebant Hebræi, fœdaretur civitas. In hunc carcerem conjecti ſontes, tenebris, frigore, nuditate, fame, ſiti, ac omnium malorum maximo, perpetuo mortis timore torquebantur. Hunc carcerem vocatum putat Villalpandus, *Betiſo*, q. d. locum ſtercoris, quia malefactores qui urbium dicuntur ſordes, illuc conjiciebantur ; ſic arbitrantur nonnulli Portam ſtercoris dictam, quæ monti Calvariæ erat proxima, in quo monte plectebantur ultimo ſupplicio ſceleſti homines.

Hinc Chriſtus volens deſignare pœnas infernales, queis in impietate perſeverantium audacia eſt exercenda, ipſas deſignat per nomen Carceris, qui tunc temporis erat in maximo horrore, & ob denſiſſimas ipſius tenebras vocabatur *Tenebræ*, & ob ſitum dicebatur *Tenebræ exteriores*, & ob mala, quæ in hujuſmodi Carcere tolerabantur ab incluſis, addit Chriſtus : *Ibi fletus & ſtridor dentium.* Perpetuas hujus Carceris tenebras ſignificare videtur Lucas, dum Act. 12. ait : *Ecce Angelus Domini aſtitit & lumen refulſit in habitaculo Carceris* : quaſi novum & inauditum quidpiam eſſe inſinuat, quòd lumen in illo Carcere refulſerit ; ubi etiam obſervare eſt quòd ille Carcer extra civitatem ſitus erat. Hunc ſenſum ſecutus videtur Epiphanius in vita ſua apud Metaphraſtem his verbis Perſarum Regem alloquens : *Eſto juſtus apud Deum univerſorum, ne fortè judiceris in condemnatione, & cuſtodiaris in tenebris exterioribus, & tunc meorum verborum*

recorderis. Porrò ipsas hujus tetri Carceris densissimas tenebras maximi supplicii loco habitas probat illud Ps. 54. *Formido mortis*, id est, terror mortifer (ecce *fletus*) *cecidit super me. Timor & tremor* (ecce *stridor dentium*) *venerunt super me.* Et horum atque reliquorum omnium malorum quasi symbolum, imò quasi complementum & causa, *contexerunt me tenebræ.*

Ibi erit fletus, &c. Id est, summa tristitia & rabies, quarum signa sunt fletus & dentium stridor. *Si fletus oculorum est, & stridor dentium ossa demonstrat : vera est ergo corporum & eorumdem membrorum, quæ ceciderant, resurrectio.* B. Hieron. Ex hoc Scripturæ loco simul collato cum Job 24. v. 19. multi interpretes colligunt duplicem esse gehennam, scilicet nimii caloris & nimii frigoris. Tamen B. Greg. magnus illud Job, *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum ejus*, exponit de impiorum in omnibus immoderatione, qui à frigore infidelitatis transeunt frequenter ad calorem hæresis. Alii putant sensum Jobi esse, improbos à nimia frigiditate hujus vitæ transire ad calorem nimium infernalem, sive ut loquitur Emmanuel Sa, *ab una calamitate transire in aliam.* Textus Hebræus apud B. Job sic habet ad verbum : *Siccitas & æstus rapiunt aquas nivis, sepulchrum peccarunt :* Continent hæc verba πρότασιν & ἀπόδοσιν, & deest utriusque nota, quod in Jobo & Proverbiis insolens non est. Sensum expressit Mercerus his verbis : *Ut siccitas & calor quàm citissimè absumunt aquas nivis, ita & mors rapit eos qui peccarunt. q. d. Non contabescunt lentâ morte, ut magna ex parte probi, sed cùm totam vitam in sceleribus transegerint impunè, suaviter etiam moriuntur.* Toto enim c. 24. sententiam Eliphasi, qui asserebat Deum in hac vita semper punire impios, refutat B. Job testimonio experientiæ, quòd pii illud non videant, & quòd peccatores non ita moriantur, ut sentiant se mori, sed citâ & facili suavíque morte expirent. Similia dicuntur de morte peccatorum Job 21. v. 13. Ps. 72. v. 4.

13. *Centurioni.* Id est, nuntiis à Centurione missis.

Vade. Hebraismus Scripturæ familiaris, quo concedi solet quod petitur.

Sicut credidisti. Scilicet, me absentem corpore, præsentem majestate solo verbo posse puerum sanare.

In illa hora. Id est, in illo temporis puncto, quo hæc verba à Christo sunt prolata.

14. *Et cum venisset.* Scilicet ex Synagoga Capharnaitarum Bethsaidam civitatem in Decapoli ad mare Tiberiadis, quod

quod & Galilææ dicitur. Vide Marc. 1. & Luc. 4. Quæ autem hinc deinceps narrantur usque ad versum 35. capitis sequentis contigisse ante Sermonem Domini in monte jam diximus.

In domum Petri. Marc. 1. v. 24. *Simonis & Andreæ.* Sic dicitur hæc domus, vel quia eorum fuerat, antequam reliquissent omnia, vel quia patris eorum erat, vel quia ad Simonis socrum pertinebat, & in ea solebant hospitari.

15. *Tetigit manum ejus.* Id est, *elevavit eam, apprehensâ manu ejus,* ut dicitur Marc. 1. v. 31.

16. *Vesperè autem facto.* Id est, sabbato finito, ut patet ex Marc. 1. v. 32.

17. *Infirmitates nostras.* Scilicet tùm animi, tùm corporis; ut enim generatim loquitur Esaias, sic generatim accipiendus est de omnibus infirmitatibus. Quamvis autem Matthæus hoc Esaiæ vaticinium applicet ad morbos corporis, præsupponit tamen morbos animi, hoc est, ipsa peccata, eorúmque curam, ut sublatâ causâ effectum tolli demonstret.

Accepit. Id est, accipiendo abstulit; Christus enim animâ & corpore pœnas tùm animi, tùm corporis nobis debitas luit, nos ab iis liberaturus.

Portavit. Id est, portando asportavit. Christus enim portando miserias nostras ex uno peccati fonte derivatas, omnes à nobis sustulit, seu, meruit nobis omnium ablationem; non tamen omnes omninò aufert in præsenti vita, sed meritis passionum ipsius Christi auferentur à justis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur 1 Cor. 15.

19. *Accedens unus, &c.* Quod Matthæus hìc insinuat contigisse ambulantibus Jesu & discipulis in via, ut venirent ad fretum: hoc Lucas Capite 9. v. 57. insinuare videtur contigisse, dum Jesus ascenderet Jerusalem. Ut ut sit, aut Matthæus, aut Lucas ordinem temporis non servavit, licèt uterque hanc historiam his, quæ mox antè à se dicta sunt, annectat, ut nihil medium evenisse videatur.

Sequar te. An sit secuturus interrogat, quasi verò non hunc esse Christum, quem sequi esse utile, contineretur. Igitur infidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit, quia fidei assumtio non interroganda est, sed sequenda. Hilar. can. 7. in Mat.

20. *Vulpes, &c.* Q. d. Interrogabo te & ego unum sermonem, quem si dixeris mihi, dicam tibi, an sis me

ſecuturus. Potéſne ſummam illam rerum omnium abdicationem profiteri, quam ego profiteor? Eſt autem vulpes animal ſolivagum, quódque ἀλώπηξ & ἀλώπεκα dictum volunt ἀπὸ τῆς ἀλᾶσθαι, ab errando & divagando in ſolitariis locis. Inde Ezech. 13. v. 4. de Pſeudo-Prophetis dicitur: *Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſraël erant.* Thren. 5. v. 18. *Propter montem Sion quia diſperiit*, id eſt, deſolatus eſt, *vulpes ambulaverunt in eo.* Quin ut lateant magis, in ipſis terræ viſceribus luſtra habent ſua. Huc alludit Chriſtus hîc in præſenti verſu, & Luc. 9. v. 58. Vulpium foveæ uno verbo vocantur ἀλωπεκίαι. Si Iſidoro credimus apud Geſnerum, habitat vulpes in foveis, quas ipſa tamen non parat, ſed à taxo ſeu mele effoſſas dolo occupat, fœdo ſtercoris ſui odore illum inde pellens. At videtur id fabuloſum, cùm vulpium luſtra ſæpè ſint in locis, ubi nulli meles. Proinde vulpem alii ſcribunt ipſam ſibi luſtra altè fodere. Phædrus fabulâ 76.

Vulpis, cubile fodiens, dum terram eruit,
Egitque plures altiùs cuniculos,
Pervenit ad draconis ſpeluncam ultimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.

Sed non in hoc tantùm ſe prodit vulpis aſtutia, verum etiam in eo quòd latibulo ſuo ſeptem, ut Oppianus teſtatur, facit oſtia, ne ipſam venatores circa oſtium inſidiantes conjiciant in laqueos. Imò & ſcillâ luſtrum ſuum ambire dicitur à Zoroaſtre in Geoponicis lib. 15. & Alkazuinio Arabe, ut lupum (quem vulpi hoſtem eſſe obſervat Philoſophus Hiſtor. lib. 9. capite. 1. & Giahid apud Damirem Arabem) fuget, qui ſcillæ contactu convellitur, aut moritur. Quod Ambroſius (Hexaem. libri 6. cap. 4.) cur turturi tribuat, nullus capio; quia pullis turturis nullum eſt à lupo periculum, cùm turtur in locis celſiſſimis nidificare ſoleat; unde Origenes in Cantic. Hom. 2. *Semper in montium jugis, & in arborum verticibus commoratur*, ſcilicet, turtur.

Filius hominis. Hebraiſmus Scripturæ familiaris, quo indicari ſolet homo. Chriſtus autem commendans nobis quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis, nomen hoc ſæpiùs auribus noſtris inſinuat.

21. *Alius.* Cui ſcilicet Chriſtus dixerat, *ſequere me*, ut dicitur Luc. 9. v. 59. Unde hîc dicitur de diſcipulis Chriſti.

Permitte me, &c. Diſcipulus hîc non petiit, quòd patrem jam &c.

defunctum sepelirent, sed adhuc viventem in senectute sustentaret usque quo sepeliretur: quod Dominus non concessit, quia erant alii, qui ejus curam habere poterant, lineâ parentelæ adstricti. Cyrillus apud D. Th. 22æ. q. 101. ar. 4. ad 1m.

22. *Sequere me. Paterni funeris sepulturâ prohibetur, ut intelligas humana posthabenda divinis. Bonum studium, sed majus impedimentum; nam qui partitur studium, derivat,* id est, distrahit, *affectum, & qui dividit curam, differt profectum. Ergo prius obeunda quæ maxima sunt; nam & Apostoli ne occuparentur studio dispensandi, ministros pauperibus ordinarunt, & ipsis, cùm à Domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptum, non quò benevolentiæ displiceret officium, sed quò persequendæ devotionis intentio plus placeret.* Ambr. lib. 7. in Luc. 9.

Dimitte mortuos. Scilicet, quantùm ad animam. Scriptura passim inculcat eos, qui cupiditatibus serviunt, esse mortuos in peccatis. Si enim ex jure civili, *Servus, dum vivit, reputatur pro mortuo,* quidni ex jure divino servus peccati reputabitur pro spiritualiter mortuo, cùm amiserit Deum, qui est vita animæ?

Sepelire mortuos suos. Id est, sibi similes curare. *Non revocatur ab officio patris filius, sed fidelis à perfidi communione secernitur.* Ambr. loco mox citato.

24. *In mari.* Scilicet, Galilææ, seu Tiberiadis, seu in stagno Genezareth.

Dormiebat. Supple ex Marci. 4. v. 38. *In puppi super cervical.*

26. *Quid timidi estis.* Supple, me præsente, cujus nutu fiunt & cessant procellæ.

Modicæ fidei? Hanc increpationem sic exprimit Marcus c. 4. *Nondum habetis fidem?* Luc. verò c. 8. *Ubi est fides vestra?*

Imperavit. Nempe cum increpatione & minis, ut patet ex Mar. 4. & Luc. 8.

27. *Homines.* Scilicet tam discipuli, ut dicitur Luc. 8. quàm ii, qui erant in aliis navibus, quas Marcus dicit affuisse cap. 4.

Venti & mare obediunt ei. Non quidem sentiendo, sed motum ex imperio impressum suscipiendo & sequendo.

28. *Gerasenorum.* Quamdiu stetit Judæorum Respub. in Judæa nulli erant sues. Hinc 1 Par. 27. v. 29. & 30. David legitur alios habuisse præpositos *super boves* עַל חַבְקָר, alios *super camelos,* עַל חַגְמַלִּים, alios עַל חַצֹאן, *super oves & capras,* sed de subulcis nulla est mentio. Et Patriarcharum

triarcharum opes camelis, asinis, bobus, & capris constitisse cùm identidem memoret Moses, suum, quos habuerint, cum reliquo pecore, non meminit uspiam. Quin, in vicina Arabia, Job in tot pecudum millibus ne unum quidem suem possedisse legitur. Et cùm è vicinis gentibus armenta & greges sæpe abegerint Israelitæ, sues in præda bellica nusquam censentur. Quin Prophyrius in lib. De abstinentia à cæde animalium ullos in Judæa nasci sues disertè negat. Οὐδ' ὅλως, ait, ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο ὗς. Unde in Parabola Luc. 15. v. 11. filius acolastus porcos in Judæa non pavit, sed in regione longinqua. *Gergeseni* autem, quomodo vocantur in præsenti Matthæi loco in textu Græco, & in versione Arabica & Æthiopica tam hic, quàm Marc. 5. & Luc. 8. Sive *Gadareni*, ut in textu Græco vocantur locis laudatis Marci & Lucæ, & à Syro interprete apud tres Evangelistas, & ab Epiphanio adversus Manichæos, sive *Geraseni*, ut habet constanter Vulgatus interpres apud tres Evangelistas, fuere Græci, aut Syri, proinde porcis alendis eos contra morem Judæorum operam dedisse mirum non est. Josephus Antiq. lib. 17. cap. 13. Γάδαρα καὶ Ἵππος, Ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις. *Gadara & Hippos, urbes græcæ sunt.* Unde idem lib. 13. cap. 23. inter urbes peregrinas à Judæis tentas sub Rege Alexandro censet Gadara oppidum ab Alexandro post decem mensium obsidionem occupatum, ut habetur cap. 21. Et à Judæis dirutum Pompeius in liberti sui Demetrii Gadarensis gratiam restituisse narratur lib. 2. De bello Judaico cap. 5. Sed Augustus cùm regno Herodis attribuisset lib. 15. Antiq. cap. 11. Herode fatis functo, Romanorum provinciæ Syriæ adjunxisse dicitur lib. 17. Antiq. cap. 14. Syrorum oppidum Gerasa distinguit Josephus lib. 2. Belli Judaici cap. 19. & 20. à Gadara. Sed cùm Gadara & Gerasa vicina fuerint oppida, ab utrovis eadem regio potuit nunc Gerasenorum, nunc Gadarenorum nominari. Fortè etiam subinde appellabatur Gergesæorum, seu Gergesenorum, regio eadem à priscis illius incolis è stirpe Chanaanis, in cujus filiis Moses censet Gen. 10. v. 16. את הגרגשי, pro quo LXX, habent τὸν Γεργεταῖον. Itaque Gergesa pagus ibi ostendebatur. Hiero. in Locis *Gergesa, ubi eos, qui a dæmonibus vexabantur, Salvator restituit sanitati. Et hodiéque super montem viculus demonstratur juxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt.* Eugesippus in Tractatu de distantiis locorum Terræ sanctæ, *Decimo sexto milliari à Nazareth contra Orientem supra mare Galilææ, Gergesa viculus,* &c. Jam siquis objiciat id parum

vi-

videri verisimile, ut Christus excesserit extra Judææ limites in Græcorum aut Syrorum regionem Gadarenam, Gerazenámue, aut Gergesenam, cùm ipse profiteatur infrà. c. 15. v. 24. Se non fuisse missum, nisi ad oves perditas domûs Israelis, facilis est responsio. Cùm enim ea ipsa verba protulerit Christus extra Judæam in finibus Tyri &. Sidonis infrà cap. 15. v. 21, & Marc. 7. v. 24, & 31, potuit similiter ire ad Gergesenos, Gerasenósve, maxime cùm apud eos non fuerit nisi ad tempus brevissimum, & post patratum in ipso appulsu miraculum, quo edidit virtutis suæ documentum, rogatus ab incolis statim excesserit, ad suos postliminio redieturus.

Duo dæmonia habentes. Marcus, & Lucas non meminerunt nisi unius, vel quia unus erat sævior, ut ait Chrysost. Hom. 29. in Matth. vel quia ut ait Aug. lib. 2. de cons. Evang. cap. 24. unus erat clarior & famosior.

Sævi nimis. Id est, quàm sævissimi.

29. *Quid nobis & tibi.* Locutio tam Hebræis, quàm Græcis familiaris: Latinè diceretur, *Quid nobis tecum*, & subauditur, *rei?*

Jesu Fili Dei. Non voluntatis ista confessio est, quam præmium sequitur confitentis, sed necessitatis extortio, quæ cogit invitos. B. Hier.

Torquere nos. Tanta est dæmonum cupiditas nocendi, ut torqueantur, dum eis nocere non permittuntur, in quorum tortura delectantur. In die autem judicij dæmonum potestas ita coarctabitur ad inferos, ut nulli prorsus extra nocere possint; ne autem hic dies jam instaret verebantur dæmones ad præsentiam Christi.

Ante tempus. Id est, antequam putabamus; nondum enim diem judicii expectabamus.

30. *Erat autem.* Supple ex Marc. 5. partim circa montem, & ex Luc. 8. partim in monte.

Grex multorum porcorum. Nempe duorum circiter millium, ut indicatur Marc. 5. v. 13.

31. *Mitte nos &c. Super porcos potestatem non habet summa dæmonum cupiditas nocendi, multò magis nullum habet contra homines factos ad imaginem Dei: oportet ergo solum Deum timere, contemnere autem illos.* S. Athan. in vita S. Antonii.

32. *Ite.* Hæc vox non est jubentis, sed permittentis, ut patet ex textu Græco hîc, & etiam ex Vulg. Mar. 5. v. 13. & Luc. 8. v. 32. Permisit autem hoc dæmonibus Christus, ut eorum summa malitia & infirmitas innotesceret, ut miraculi

raculi fama latiùs vagaretur, & constaret ipsis dæmoniacis liberatis beneficii magnitudo.

Per præceps. Id est, præcipitans se ex abrupto loco Mari Genesareth imminente.

In Mare. Scilicet, Genesareth.

34. *Rogabant.* Scilicet Gadareni, seu Geraseni, seu Gergeseni, quia ut dicitur Luc. 8. v. 37, magno timore tenebantur, ne videlicet iterum damnum aliquod paterentur, sicut passi fuerant in submersione porcorum.

CAPUT. IX.

1. *Transfretavit.* Scilicet stagnum Genesareth, & rediit in oppositam ripam, unde ad regionem Gerasenorum, Gergesenorúmve, seu Gadarenorum venerat.

In civitatem suam. Hoc est, in Capharnaum, ubi sequens miraculum contigit; ut disertè tradit Marcus c. 2. v. 1. Tres enim patrias habuit Christus, Bethlehem in qua natus, Nazareth in qua educatus, & Capharnaum in qua frequentiùs versatus, postquam relictâ Nazareth eò commigrasset.

2. *Offerebant ei paralyticum.* Supple, à tecto demissum, quia præ turba undequaque circumfusa non poterat aliter offerri, ut apertè dicitur Marc. 2. & Luc. 5.

Videns, &c. Ex eo quod Christus fidem offerentium paralyticum misericorditer respexit, ut alienæ fidei suffragio animam priùs, deinde & corpus paralytici oblati curaret, optimè infertur à B. Ambros. in Luc. 5. ambiendum esse peccatori Ecclesiæ suffragium, *cujus contemplatione, quod ille Dominus negare posset, ignoscat.* At pessimè ego in priori hujus Commentarii editione tenebris errorum Ecclesiæ Romanæ obvolutus hîc scripseram duplex esse meriti humani genus, de congruo scilicet & de condigno, illud impropriè, hoc esse meritum propriè dictum. Nam ut ait Durandus 2. Sent. Distinct. 27. q. 2. *Meritum de condigno strictè & propriè acceptum actio est voluntaria, propter quam debetur alicui merces ex justitia, sic quod si non reddatur, ille ad quem pertinet*

reddere,

reddere, injustè facit, & est simpliciter & propriè injustus: & tale meritum de condigno invenitur inter homines, sed non est hominis ad Deum. Causa autem hujus est, & illud quod sumus, & quod habemus, sive sint boni actus, sive boni habitus, vel usus, totum est in nobis ex liberalitate divina gratis dante & conservante: & quia ex dono gratuito nullus obligatur ad dandum amplius, sed potius recipiens magis obligatur danti, ideo ex bonis habilibus, & ex bonis actibus sive usibus nobis à Deo datis, Deus nobis non obligatur ex debito aliquo justitiæ ad aliquid amplius dandum, ita quod si non dederit, sit injustus, sed potius nos, sumus Deo obligati. Et sentire, seu dicere oppositum est temerarium, seu blasphemum. Verbum *merere* seu *mereri* usurparunt Patres passim pro *impetrare* vel *adipisci*. Unde illud Fulgentii lib. De incarnatione & gratia Christi cap. 7. *Ipsum Deum hominem factum & concipere, & parere Maria, non humanis meritis, sed concepti, nascentisque ex ea summi Dei dignatione meruit.* Et celebre est illud Zozimi, *R. P. O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemtorem.* Meritum nullum præsupponens Dei promissionem, quod vulgò Romanenses vocant *de congruo* absurdum impietatis figmentum est; cùm enim nullum præmium Deus nobis rependat unquam propter condignitatem præstiti operis, sed ex mera liberalitatis suæ promissione, & in servandis promissis constantia, clarum est quòd quicquid non præsupponit Dei promissionem, non habet relationem ad præmium, proindéque nullam habet rationem meriti. Verùm ut Scriptura καταχρησικῶς *Mercedem* vocavit gratuitò & liberaliter promissa à Deo bonis operibus justificationem nostram in Christo consequentibus præmia, ita PP. καταχρησικῶς *Merita* vocavere ipsa opera bona, quæ sunt fructus fidei, & justificantem sequuntur; at verisatiores erant PP. in lectione Scripturæ, & religiosiores quàm ut vel somniaverint hanc blasphemiam, quâ ii dicuntur *propriè mereri*, seu *mereri de condigno* Dei respectu, quorum *omnes justitiæ tanquam pannus menstruatæ mulieris*, ut loquitur Vates, & omne *meritum miseratio Domino*, ut loquitur Bernardus Serm. 61. in Cant. *Quis enim nostrûm*, exclamat Ambr. in Ps. 118. Octon. 20. *sine divina miseratione potest subsistere? Quid possumus facere dignum præmiis cælestibus? Non ergo secundum merita nostra, sed secundum misericordiam Dei cælestium decretorum forma procedit. Neque enim*, inquit Bernardus Serm. 1. in Annunt. B. Mariæ, *talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus aliquam injuriam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, & ideo homo magis propter*

ter ipſa Deo debitor eſt, quàm Deus homini: quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior eſt Propheta, cui Dominus ipſe tam inſigne teſtimonium perhibet dicens, Virum inveni ſecundum cor meum? Verumtamen & ipſe neceſſium habuit dicere Deo, Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine. Nemo itaque ſe ſeducat. Præclare itaque Caſſiodorus lib. De anima cap. ultimo Deum ſic alloquitur: *Meritum noſtrum indulgentia tua eſt: dona quod offeram, cuſtodi quod exigas, ut velis coronare quod præſtas. Domine in nobis non eſt quod remunereris, ſed in te ſemper eſt quod largiaris. Contra peccata noſtra miſericordia tuæ munimen inſurgat. Petimus, quia jubes, ô altitudo pietatis! Clementiæ incomprehenſa profunditas dimitte peccata, & concede non debita.*

Confide, &c. Q. d. Cùm infirmitatis tuæ cauſa ſint peccata tua, jam mactè animo, & ſpera tibi ſanitatem reſtitutuam iri, quia remittuntur tibi peccata tua hoc ipſo dicto meo, quo ea remitti pronuntio.

Fili. Luc. 5. v. 20. *Homo.* Sed in hoc nulla eſt Evangeliſtarum antilogia, quia paſſim alter verba, alter ſenſum referre ſolet in his, quas recenſent hiſtorias.

3. *Dixerunt intra ſe. Intra ſe atque in corde ſuo dicere eſt cogitando dicere.* Aug. 15. Trin. c. 10.

4. *Ut quid cogitatis mala. Quod velis homines neſcire, ne feceris; quod Deum, ne cogitaveris.* B. Eucherius in Ep. De contemtu mundi. *Parietibus oculi hominum ſubmoventur, Dei autem divinitas nec viſceribus ſubmoveri poteſt*, inquit Seneca apud Lactantium lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 24.

5. *Facilius.* Id eſt, minori cum periculo famæ ſuæ. Tria Chriſtus hîc dicit paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua:* ſed hoc ſine ullo periculo convincendæ falſitatis, cùm Deus ſolus noverit quorum remiſſæ ſint iniquitates; Phariſæis & Scribis dixit. *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quod niſi eſſet Dominus ſcrutans corda & probans renes, dicere non potuiſſet, quin ab iiſdem Scribis & Phariſæis mendacii argueretur; tandem paralytico dixit: *Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam:* cujus dicti effectus cùm deberet eſſe manifeſtus omnibus, ab omnibus mendacii fuiſſet redargutus Chriſtus, niſi ſtatim coram omnibus ad ipſius Chriſti imperium ſurrexiſſet paralyticus, tuliſſet grabatum ſuum & abiiſſet in domum ſuam. Probat itaque Chriſtus fidem ſibi eſſe adhibendam in re, quæ palpabili effectu, probari non poteſt, ex veritate aſſertionis de re, quæ

quæ ſtatim atque prolata eſt, palpabilem requirit probationem.

8. *Timuerunt.* Scilicet timore admirationi adjuncto, ut patet ex Marc. 2. v. 12. & Luc. 5. v. 26. Unde in textu Græco habetur hîc : *Turbæ admiratæ ſunt.* Hoc ſenſu dicitur 3 Reg. c. 3. v. 28. *Timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.*

9. *Cùm tranſiret inde.* Supple ex Marc. 2. v. 13. *ad mare*, ſcilicet, Galilææ.

In Telonio. Telonium locus eſt in quo colligitur vectigal, quod Græcis eſt τέλος, unde & telonarius dicitur, qui vectigal colligit.

Matthæum, &c. *Ceteri Evangeliſtæ propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dixerunt, Levi. Duplici quippe vocabulo fuit. Ipſe autem Matthæus, ſecundum illud quod dicitur à Salomone : Juſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis. Et in alio loco : Dic tu peccata tua, ut juſtificeris : Matthæum ſe & Publicanum nominat : ut oſtendat legentibus nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora converſus ſit : cùm ipſe de Publicano in Apoſtolum ſit repentè mutatus. Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Auguſtus, vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum qui ſtatim ſecuti ſint Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti, cùm tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certè fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis occultæ; quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, ut annulos & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent : quanto magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat?* B. Hier.

Sequere me. Id eſt, meo diſcipulatui indivulsè inhærere

Secutus eſt eum. Supple ex Luc. 5. v. 27. *relictis omnibus.*

10. *In domo.* Scilicet Matthæi, ut patet ex Marc. 2. v. 15. & Luc. 5. v. 24.

Ecce multi Publicani. Fortè à Matthæo invitati, vel Matthæi exemplo ad meliora converſi, & Chriſti humanitate tracti, *erant enim multi*, qui, inquit Marcus, *& ſequebantur eum.*

Peccatores. Id eſt, homines vitæ apertè improbæ.

11. *Et videntes Phariſæi.* Id eſt, cùm id Phariſæi poſt con-

convivium audiiſſent; patet enim eos convivio non interfuiſſe.

Quare, &c. Lucas cap. 5. aliquantò differentius hoc videtur commemoraſſe ſecundum quem dicunt Phariſæi diſcipulis: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* non tantùm Chriſto, ſed ipſi & diſcipulis ejus objectum inſinuans, quòd cum peccatoribus manducarent. Verùm cùm diſcipulis dicebatur, magiſtro magis objiciebatur, quem ſectando imitabantur, unde Matth. & Marc. de Chriſto diſcipulis objectum narrant. Una ergo eſt ſententia & tantò meliùs à tribus Evangeliſtis inſinuata, quantò quibuſdam verbis, manente veritate, variata. Ita ferè B. Aug. lib. 2. de conſ. Evang. cap. 27.

12. *Non eſt opus*, &c. Q. d. Medicus ſum animarum, tolle animæ vulnera, tolle morbos, & nulla erit mei neceſſitas. Ovid 3. de Pont. Eleg. 4.

Firma valens per ſe nullúmque Machaoná quærit,
Ad medicam dubius confugit æger opem.

13. *Euntes autem diſcite.* Id eſt, ite, diſcite. Eſt autem hic Hebraiſmus Scripturæ familiaris, ut Exod. 10. v. 8. *Ite, ſacrificate.* Judic. 10. v. 14. *Ite & invocate Deos*, &c.

Quid eſt. Id eſt, quid ſibi velit iſta prophetica ſententia.

Miſericordiam volo & non ſacrificium. Id eſt, miſericordiam magis volo, quàm ſacrificium, ſeu præfero interna miſericordiæ ſacrificia externo religionis ſacrificio; *Talibus enim hoſtiis promeretur* (id eſt, delectatur) *Deus*, ut ait Apoſt. Hebr. 13. v. 16. Familiare autem eſt Scripturæ cùm unum alteri præfert, prælatum omninò affirmare, & id, cui præfertur, omninò negare. Sic dicitur Joan. 7. v. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me Patris*: Id eſt, mea doctrina non eſt tam mea, quàm Patris, &c.

Non enim, &c. Reddit rationem ejus, quòd dixerat v. 12. ut patet ex Marc. 2. v. 27. & Luc. 5. v. 32.

Veni. Id eſt, naturam humanam aſſumſi, & cum hominibus converſatus ſum.

Vocare juſtos. Hoc eſt, ut ſolverem præmia juſtis; omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. *Si vis curam, agnoſce languorem. Si vis miſericordiam, confitere peccatum.* Chryſol. Ser. 30.

Sed peccatores, ſupple ex textu Græco hîc & Marc. 2. v. 17. & ex ipſo textu Vulgato Luc. 5. 32. *Ad pœnitentiam.* Hinc

non

non minùs verè, quàm eleganter & ad mentem Evangelii B. Prosper in insigni illo carmine de ingratis cap. 17.

Usque adeò donum est, quod credimus, & data gratis
Gratia non meritâ dit at mercede vocatos:
Nec justorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit: útque legentèm
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos:
Insontes tantùm, justósque adsumere solos
Debuit, & veri cupidos, ac recta volentes.
Perversos autem, & scelerum assuetudine turpes
Deturbare procul, lucémque negare tenebris,
Atqui Salvator mundi non præmia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractúmque jacebat,
Quærere, & inventum reparare, & reddere curæ.

14. *Tunc accesserunt.* &c. Quòd Evangelistæ inducant in disceptatione de jejunio, nunc discipulos Joannis Christum interrogantes, ut Matth. nunc Pharisæos solos, ut Lucas, nunc verò utrosque ut Marcus, nulla dissonantia est. Satis ex contextu conjicere est Pharisæos præ invidia in Christum instigasse discipulos Joannis, & utrosque Christum interrogasse, diverso licèt animo.

15. *Filii sponsi.* Marc. 2. v. 19. *Filii nuptiarum.* Est autem Hebraismus, quo significantur ii, qui Judic. 14. v. 20. vocantur amici ac pronubi; qui familiares sponsi sunt, qui vocati ad ejus nuptias, eas variis lætitiæ argumentis celebrant. Simili Hebraismo dicuntur filii lucis, regni, tenebrarum, superbiæ, iniquitatis, &c.

Lugere. Id est jejunare, ut patet ex Marc. 2. v. 19. & Luc. 5. v. 34. Luctus ergo dicitur jejunium, vel quia jejunium facit homines mœstos, vel quia lugentes cibo abstinere solebant, ut constat ex Judic. 20. v. 26. 1 Regum 7. v. 6. 31. v. 13.

Quamdiu cum illis est sponsus. Joannes igitur jejunabat licèt amicus sponsi, ut dicitur Joan. 3. v. 29. quia cum illo non semper erat sponsus, sicut cum discipulis erat, qui eum sequebantur quocumque pergeret.

Cùm auferetur. Per mortem scilicet vel assumtionem in cælos.

Tunc jejunabunt. Eventus hanc Christi sententiam declaravit

ravit, ut videre est Act. 13. v. 2, & 3. 2 Cor. 6. v. 5.

16. *Nemo autem.* Probat exemplis prudenter à se imbecillitatis discipulorum habitam fuisse rationem in tradendo vitæ genere, ne ipsum relinquerent.

Immittit commissuram panni rudis. Id est, insuit frustum panni novi; hunc sensum his verbis expressit Lucas. 5. v. 36. *Nemo commissuram à novo vestimento immittit.*

In vetus vestimentum. Supple, reparandum.

Tollit enim. Scilicet, commissura panni rudis rigore suo.

Plenitudinem ejus. Hebraismus, id est, integritatem suam.

A Vestimento. Supple ex Marc. 2. v. 21. *veteri.*

Pejor. Id est major, proindéque restauratu difficilior. Addit Lucas & aliud incommodum, nempe ruptionem novi panni, seu vestimenti, & indecentiam commissuræ panni rudis, seu ut Lucas loquitur, *à vestimento novo*, in vestimento veteri.

Princeps. Supple ex Luc. 8. v. 41. *Synagogæ, cui nomen Jairus.* Hanc historiam Marcus & Lucas quoque narrant, sed quo præcisè tempore contigerit ex solis Matthæi verbis, *Hæc illo loquente ad eos, ecce,* &c. apparet.

Adorabat eum. Supple ex Marc. 5. & Luc. 8. *procidens ad pedes ejus.*

Filia mea. Supple ex Luc. 8. *unica annorum duodecim.*

Modò defuncta est. Quia Jairus unicam filiam unicè diligebat eámque graviter & periculosè laborantem reliquerat domi, potest præ magno affectu utrumque dixisse Christo, scilicet filia mea moritur, & ferè modò mortua est; vel verba Matthæi intelliguntur, ut plerumque fit, q. d. Mortua est nisi promtè venias; vel denique quod probabilius est, Matth. brevitati studens ultimam tantùm petitionem posuit, nuntiatà filiæ morte.

20. *Duodecim annis.* Advertit B. Hieron. lib. 18. in Isaiam tunc hæmorrhoissam ægrotare cœpisse quando nata est filia Archisynagogi, & quando ista sanata est, statim illam esse mortuam; *Divinóque ingenio*, ut Marianus loquitur, idem sanctus Doctor trahit hanc similitudinem ad duos populos, Judæorum scilicet & Gentilium: etenim surgentibus ad fidem Judæis gentes ægrotare cœperunt: sanatæ autem sunt istæ & ad fidem venerunt, cùm Judæi fidem in qua nati erant perdiderunt. Et ita ubi unus defiit populus alter cœpit.

Te-

Tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Fimbria vocantur fila dependentia in quatuor oris ſeu extremitatibus pallii, quæ juſſit Deus Judæos portare, ut eſſet inſigne diſtinctionis ſuæ à ceteris gentibus, & nota ſanctitatis. Vide Num. 15. v. 38. & Zach. 8. v. 23. *Hinc invictum argumentum pro Reliquiarum cultu deſumitur*, aiebam in prima hujus commentarii editione, ſuperſtitiosâ Romanenſium praxi abreptus, nec attendebam quàm ſtupidè ex eo, quod Hæmorrhoiſſa colens Chriſtum veſtimento indutum, fideliter eum tetigit per fimbriam veſtimenti, inferatur veſtimentum à Chriſto exutum eſſe adorandum, aut Reliquias Sanctorum eſſe colendas. Has tamen ſtupidiſſimas ſequelas non ut probabiles modò, ſed etiam ut neceſſarias & invictas intuebar, priuſquam Deus ineffabili benignitate ſuâ ſedentem in tenebris Romanenſium ad lucem Eccleſiarum ad Scripturæ normam reformatarum vocaſſet, quæ puritatem Evangelii ſectantes unicè, ſic Sanctos prædicant honorificâ æſtimatione venerandos ob pietatem, ut tamen *non ſit nobis religio cultus Sanctorum*, quomodo loquitur B. Auguſt. De vera religione c. 55. Corpora Sanctorum honorificè ſepelienda, quomodo viri timorati Stephanum, & diſcipuli Baptiſtam ſepelierunt, omnis Orthodoxus profitetur. At eadem corpora ſepulta effodere, ut effoſſa in capſis ſerventur, & in proceſſionibus circumferantur, oſculis, proſtrationibus, votis, oblationibus & ſupplicationibus colantur, non ſolùm improbamus, ſed inſuper dicimus eſſe μετάθεσιν τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τῶν πεποιηκότων ἐπὶ τὰ μιμήματα, quomodo idololatriam definit Gregorius Theologus Orat. 33. à qua cultûs tranſlatione abhorruit primitiva Eccleſia edocta ab Apoſtolo Rom. 1. v. 25. quàm ſevera fuerit Dei vindicta in eos, qui *coluerunt & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm creatori* dicenti Eſ. 42. v. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.*

22. *Fides tua te ſalvam fecit.* Id eſt, fides, quam miſericorditer in corde tuo ſum operatus, tibi impetravit ut virtus mea te ſalvam faceret effectivè.

Et ſalva facta eſt mulier in illa hora. Quâ ſcilicet fimbriam veſtimenti tetigerat, vel ſenſus verborum Matth. eſt, & confirmata eſt illi ſalus, quam conſecuta erat per contactum fimbriæ ex illo momento, quo Chriſtus illi dixit, *Fides tua te ſalvam fecit.* Vide Marc. 5. ubi præſens hæc hiſtoria fuſiùs narratur, & accuratiùs explicatur.

23. *Tibicines.* A gentibus ad omne funus lamentatrices & tibicines adhibere ſolitis videtur hic mos ad Judæos permanaſſe. Vide Jerem. 9. v. 17. & 18. Lucianum in

Dialogo de luctu. Ovid. 4. Fasto. B. Ambro. lib. 8. in Luc.

24. *Non est enim mortua puella, sed dormit.* Id est, non excessit è vivis ut non resurgat, nisi in novissimo die, sed mox resurget, unde ipsius mors tam brevi temporis spatio duratura, non tam mors est dicenda, quàm somnus seu mortis imago.

Deridebant eum. Scilicet, quia non capiebant sensum verborum ejus. Porro ambiguis verbis usus est Christus eadem de causa, quà teste Marco præcepit puellæ parentibus & iis qui secum erant, id est, ut patet ex Luc. c. 8. Petro, Jacobo, & Joanni, ne alicui dicerent.

28. *Venisset domum.* Id est, in civitatem Capharnaum, ubi domicilium elegerat.

Creditis. Qui cæcis reddere poterat visum, non ignorabat an crederent, sed ideo interrogavit, ut quam corde gestabant fidem ad justitiam, ore confiterentur ad salutem,

Possum. Supple, meâ authoritate.

29. *Secundum fidem, &c. Operatio miraculorum attribuitur fidei propter duo: Primò quidem, quia ordinatur ad fidei confirmationem: Secundò, quia processit ex Dei omnipotentia, cui fides innititur.* D. Th. 22.æ. q. 178. ar. 1. ad 5m.

30. *Aperti sunt oculi eorum.* Hebraismus, id est, cœperunt videre.

32. *Hominem mutum.* Apud Lucam ipsum dæmonium dicitur mutum, scilicet effectivè.

34. *In principe.* Id est ope, seu invocatione principis.

35. *Circuibat.* Anticipat Matthæus secundam peragrationem Galilææ, & missionem Apostolorum à Christo factam, ut videre est apud Marcum cap. 6.

Omnem languorem. Id est languorem omnis generis. Sic Gen. 2. v. 16. *Ex omni ligno Paradisi comede:* id est ex omni fructuum genere; ubi & arbor seu lignum est pro fructu arboris. Exod. 9 v. 6. *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum,* id est, ex omni animantium genere; sequitur enim ibidem v. 25. *Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum.* Similiter Apostolus dixit in Ep. ad Philip. c. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt:* Id est plerique omnes, seu plurimi, sive valde multi. Hanc signi universalis, *Omnis,* acceptionem esse Scripturis usitatam docent S. Hier. in cap. 1. Ep. ad Ephes. sub. finem, & S. Aug. in lib. de unitate Ecclesiæ. cap. 12. &c.

36. *Ve-*

36. *Vexati.* Id eſt, variis miſeriis afflicti.

Jacentes ſicut oves, &c. Nihil tam miſerum eſt quàm oves ſine paſtore, quod Scriptura toties repetit in veteri & novo Teſtamento; cum enim oves neque aſtu valeant, neque viribus, neque pedum celeritate, omnium animalium injuriis patent, cùm à paſtore deſeruntur.

37. *Meſſis quidem multa.* Proverbialis locutio quâ Chriſtus ſignificat populorum multitudinem & idoneorum magiſtrorum penuriam. Vide Aug. Serm. 42. de Sanctis cap. 1.

CAPUT X.

1. *Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis.* Supple, quos jam antè, ſcilicet in monte priuſquam prolixum Sermonem illum inciperet, qui *Sermo Domini in monte* dici ſolet, ex ceteris diſcipulis elegerat in Apoſtolos, ſeu ordinaverat ut non certo loco alligarentur, ſed mitterentur à ſe immediatè per totum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ, & Eccleſiam ſuam paulatim fundare ubique gentium. Hæc patent ex collatione eorum quæ hîc dicuntur v. 1. & 2. cum iis quæ dicuntur Marc. 3. v. 13, 14, 15. & 16. v. 7. Luc. 6. v. 12. & 13.

Dedit illis poteſtatem. Non ſuam, quâ phyſicè Chriſtus, utpote Deus verus, operabatur miracula, Apoſtolis indidit poteſtatem, aut communicavit, ſed externum miniſterium loquendi, & externa ſigna adhibendi tradidit: quibus ſuam efficaciam Chriſtus ut miraculorum autor addidit. Adeò ut verba Apoſtolorum, ſicut & Prophetarum, ad quæ miracula facta eſſe dicuntur, inſtrumenta moralia tantùm fuerint, indicantia quid Deus ipſis præſentibus operaretur, ſecundum promiſſionem de miraculis per ipſos futuris à Chriſto factam.

2. *Apoſtolorum.* Chriſtus cùm Syriacè loqueretur, voce Syriacâ uſus, שליחין duodecim ex diſcipulis ſuis appellavit, quos Evangeliſtæ Græcè ſcribentes Ἀποστόλους dixerunt. Gratis Baronius anno Domini 32. num. 5. Græcam vocem Ἀπόστολος vult civitate fuiſſe donatam à Judæis tempore Chriſti, & uſurpatam pro his qui verſarentur

assiduè cum summo Pontifice consulendi gratiâ. Nec id evincit, ut existimat ille Cardinalis, quod narrat S. Epiphanius hæresi 27. Judæorum sui temporis partem aliquam Tiberiade habitasse & in aliis Palæstinæ locis, quí dispersionis suæ caput agnoscerent, quem Patriarcham nominabant: huic fuisse velut Assessores quosdam adjunctos, qui Apostoli dicerentur. Hic certè Ephiphanii locus non evincit intentum Baronii. Primò quia Epiphanius loquitur de Assessoribus Patriarcharum suæ ætatis, non vero de Assessoribus summi Pontificis ætate Christi, qui summus Pontifex nusquam legitur Patriarcha appellari, imò id nomen non nisi post deletam Jerosolymam à Judæis Helleniſtis tributum Archisynagogis legitur. Secundò non dicit Epiphanius Judæos suæ ætatis, dum Hebraicè inter se colloquerentur, uti solitos his vocibus, *Patriarcha*, *Apostoli*, quod ne verisimile quidem est, cùm nulla extent harum appellationum vestigia in veterum Rabbinorum scriptis. Mens ergo Epiphanii est Synagogæ Præfectum & ipsius Assessores his nominibus solitos appellari Hebraicè, quæ Græcis vocabulis *Patriarcha* & *Apostoli*, respondeant. Hoc sensu & Lucas dixit c. 6. v. 13. *Quos & Apostolos nominavit.*

Primus. Petrus dicitur primus *propter Apostolatûs sui primatum*, ut August. loquitur Tractatu 124. in Joan. quo ipsi hoc personale privilegium est concessum, ut primus post Spiritûs-Sancti descensum annuntiaret Evangelium tam Judæis, ut patet ex Act. 2, & 3, quàm Gentibus, ut constat ex Act. 10, 11, & 15. ut ex utrisque in Christo unitis coalesceret Ecclesia Catholica. Erasmus testatur in multis Codicibus manu-scriptis Græcis etiam apud Marcum c. 3. v. 16. Petrum cognominari primum, quos Codices clarissimus Calvini discipulus Beza in sua versione Latina est secutus.

Simon qui dicitur Petrus. Apponitur cognomen ut distinguatur ab altero Simone, qui dicitur Cananæus à Cana vico Galilææ, ubi Dominus aquam in vinum convertit. Cana autem zelus interpretatur, unde hic Simon Cananæus dicitur Luc. 6. Zelotes. Scaliger tamen vult hunc Simonem Zelotem dictum, quia à secta Zelatorum, de quibus apud Josephum, ad Christum conversus fuit. Hic Simon Zelotes contra receptam sententiam ab Hegesippo & Eusebio creditur esse Simeon Jacobi fratris Domini in sede Jerosolymitana successor, qui cùm esset annorum 120. Trajano Imperatore, martyr occubuit.

3. *Jacobus Zebedæi.* Supple, filius. Addit Evangelista Jacobi hujus patrem, ut distinguatur à sequente Jacobo Alphæi, supple, filio, qui *minor* à Marco vocatur cap. 15.

Bartholomæus.

Bartholomæus. Rupertus & alii non levibus conjecturis existimant Bartholomæum Apostolum eundem esse cum Nathanaële, cujus laus est in Joannis Evangelio cap. 1.

Thomas & Matthæus. Ceteri Evangelistæ Matthæum præponunt Thomæ in conjunctione nominum, sed Act. 1. Matthæus conjungitur cum Bartholomæo cui postponitur, & utrique præponitur Thomas.

Publicanus. Ceteri Evangelistæ Matthæum nominantes, Publicani nomen non ascribunt, *ne antiquæ conversationis recordantes sugillare Evangelistam viderentur; Matthæus verò se nominat Publicanum, ut ubi abundavit iniquitas, superabundet & gratia.* B. Hier.

Thaddæus. Thaddæum Apostolum, Ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abagarum Regem Chosdroënæ, qui ab Evangelista Luca Judas Jacobi dicitur, & alibi appellatur Lebbæus, quod interpretatur corculum; credendumque est eum fuisse trinomium, sicut Simon Petrus, & filii Zebedæi Boanerges & firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. B. Hier.

4. *Iscariotes.* Sic dicitur Judas proditor, qui de tribu Ephraim, & de vico ejusdem tribûs Iscarioth, non longè à Samaria Orientem versus, ortus erat. B. Hier. in Esa. 28. v. 1.

5. *In viam Gentium* Hebraismus, id est, ad Gentes. Sic autem Apostolis præcepit Dominus ante resurrectionem suam, quia juxta altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei oportebat Judæis primùm prædicari verbum Dei, & cùm repellerent illud, & indignos se judicarent vitæ æternæ, oportebat post Christi resurrectionem converti ad Gentes, ut dicitur Act. 3. v. 46. Rom. 15. v. 8.

Samaritanorum. Samaritani dicuntur Gentes, quas è locis sinui Persico (qui pars est Maris Rubri) vicinis Asor-Haddan, ut vocatur 1 Esd. 4. v. 2. Seu Asbazareth, quomodo appellatur 3 Esd. 5. v. 69. Assyriorum rex collocavit in civitatibus Samariæ pro decem tribubus Israël inde à decessore suo Salmanasar in Assyriam translatis, 4 Reg. 17. v. 6. Hæ Gentes à ceteris distinguebantur propter nonnullum cultum veri Dei, & expectationem veri Messiæ. Regio autem pulcherrimo & uberrimo loco sita, licèt nec Judææ, nec Galilææ magnitudine conferenda, à Regia urbe nominis ejusdem nomen arcessit, sed urbs ipsa appellationem trahit à Somer ejus agri domino, quem Amri Rex Israël emit duobus talentis argenti ad urbem hanc maximam, pulcherrimam & munitissimam, inter decem tribuum urbes extruendam. Vide 3 Reg. 16.

6. *Perierunt.* Id est, à via salutis aberrarunt.

8. *Gratis date.* Ille gratis præest, & pascit gregem, qui nec lucrandi, nec ditescendi animo id facit: quanquam victum sibi necessarium à grege, id est, ab Ecclesia accipit, quemadmodum docet & Christus versu decimo mox sequenti, & Paulus 1 Cor. 9. 2 Cor. 11.

9. *Nolite possidere aurum*, &c. Id est, ne solliciti sitis possidere, seu, ut vertit Beza, *Comparare* aurum ceteráque ad iter quàm commodissimè conficiendum requisita, sed nullà interpositâ morâ, abjectáque prorsus rerum omnium istarum curâ, ita ut eltis, baculis videlicet, quos manu, & soleis, quas pedibus nunc gestatis, contenti, vos è vestigio in viam date. Quod autem Dominus in hac profectione præcepit Apostolis, præcepit & aliis septuaginta duobus discipulis Luc. 10. v. 1. Itaq; apud Matthæum & Lucam non interdicitur baculi aut solearum usus, qui apud Marcum permittitur cap. 6. v. 8, & 9. sed vetatur ne solearum, baculíve commodioris quærendi causà vel temporis puncto iter differatur. Unde optimè hîc vertit Portus-Regius, *Ne vous mettés point en peine d'avoir de l'or*, &c. Quibus verbis satis indicatur non prohiberi possessionem auri, & ceterorum, quæ sequuntur, sed eorum sollicitam ambitionem, studiosamue comparationem, quâ præceptum iter tantisper retardetur.

In Zonis. Veteres pecuniam in zonis reconditam gestabant; unde apud Plautum in Mercatore adolescens jam jam profecturus ait: *Zonam sustuli.* Et in Truculento: *Solve Zonas.* Hinc & castrense proverbium, *zonam perdidit*, usurpatur de iis, qui nihil habent nummorum.

10. *Peram.* Ponitur hîc continens pro contento.

Dignus est enim operarius cibo suo. Luc. 10. v. 7. *mercede suâ.* q. d. Prohibui vobis sollicitam omnium vitæ sustentationi in itinere necessariorum provisionem, quia do vobis potestatem vivendi de Evangelio, qui Evangelium annuntiatis. *Uni nostro operi duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria: una quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustiùs tendatur. Verus ergo quisque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat: sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat, ut hîc vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æternâ procul dubio mercede se privat. Quisquis verò vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur: vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur: huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil*

obstat

obſtat in patria, quia ſumtus ſumſit in via. Greg. Hom. 17. in Evang.

11. *Interrogate*, &c. *Hoſpes famâ eligendus eſt populi & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamiâ deturpetur.* B. Hier.

12. *Dicentes*, &c. Cùm hæc abſint à textu Græco, videntur hîc addita ex Luc. 10. v. 5. ut ſequentia meliùs cohærerent, in quibus fit mentio pacis. Salutatio autem apud Hebræos fit pacis precatione; unde hæc additio nihil mutat in ſenſu, cùm *ſalutare* idem ſit, ac precari alicui pacem.

13. *Siquidem fuerit domus illa digna.* Luc. 10. v. 6. *Si ibi fuerit filius pacis*, id eſt, aliquis pace dignus, *requieſcet ſuper illum pax veſtra. Nobis quidem tunc incipit eſſe quiſque filius pacis, cùm obedierit & crediderit Evangelio, & ex fide juſtificatus pacem ad Deum habere cœperit: ſecundum autem prædeſtinationem Dei, jam filius pacis erat. Neque enim dictum eſt: Super quem requieverit pax veſtra fiet filius pacis: ſed, Ubi fuerit, inquit, filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra. Jam ergo & antequam illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, ſicut eum noverat atque præſcierat non Evangeliſta, ſed Dominus. Ad nos ergo qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque diſcernere, ſed velle omnes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem; neque enim metuendum eſt, ne perdamus eam, ſi ille cui prædicamus non eſt filius pacis, ignorantibus nobis: ad nos enim revertetur, id eſt, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi; ſi autem ſuper eum pax prædicata requieverit, & nobis & illi.* Aug. De corrept. & grat. cap. 15.

14. *Excutite pulverem de pedibus veſtris.* Marc. 6. additur, *in teſtimonium illis:* Hoc eſt, teſte Origene Hom. 18. in Gen. ut illis oſtendatis illum ipſum pulverem, quem ex itinere propter ipſos ſuſcepto collegiſtis, in die judicii teſtem contra eos futurum, qui vos recipere, ſeu, ſermones veſtros audire noluerunt.

15. *Tolerabiliùs*, &c. Ratio hujus ſententiæ patet ex cap. 11. v. 23. Porrò ea quæ deinceps ſequuntur in hoc capite vel ſæpiùs dicta ſunt à Chriſto, vel Matthæus, ut paſſim ſolet, ob argumenti ſimilitudinem, ſimul congeſſit, quæ, ut ex aliis videtur colligi Evangeliſtis, non ſimul à Chriſto dictata fuerunt.

16. *Mitto vos ſicut oves*, &c. Id eſt, infirmos, inermes, & ab omnibus auxiliis humanis imparatos, nec lupi unius furori expoſitos atque obvios, ſed plurimorum. Quot enim inter Judæos, quot inter Gentiles fuerunt veritatis ignari, tot hoſtes habuerunt primi Evangelii præcones, quorum conatibus

bus quid opponerent nihil illis fuit præter Christi promissionem: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quod si unus lupus sufficit magno gregi perdendo & devastando, in medio tot luporum quomodo evasisset Christi pusillus grex, nisi illum servasset idem, qui Danielem inter leones?

Luporum. Hoc nomine hîc & alibi sæpe intelliguntur tyranni & bonorum persecutores propter rabiem insitam & morum immanitatem, quâ fit ut, luporum instar, sanguinem populi sitiant, neque eo satientur unquam. Metu luporum ejusmodi fugiunt pastores mercenarii, id est, qui avaritiâ ducuntur, non zelo gloriæ Dei, & oves per illorum defectionem rapiuntur & dissipantur. Tamen illos ipsos lupos quandoque mutat in oves, aut in pastores etiam, vis Spiritûs flexanima, ut patet ex Pauli exemplo; & tum impletur quod Esaïas prædixerat, fore ut lupus & agnus unà degerent, & simul pascerentur, hoc est, in eadem Ecclesia.

Prudentes sicut serpentes. Prudentiæ serpentis quatuor argumenta profert S. Epiphanii Physiologus. Primum quòd cùm senium præsensit, quærit petram, & Ῥαγαδαστεύει προκύψας δὲ διὰ τῆς ὀπῆς ὠθεῖται, καὶ ἐκβάλλει τὸ γῆρας. *in rimam se insinuat, pronúsque per foramen transire nititur, & senectutem exuit.* Atque id omnes uno ore asserunt. Secundum, quòd cùm ab homine vestito fugiat, eundem nudum κατὰ θαῤῥεῖ, *aggreditur confidenter.* Contrarium omninò disertè docent Eustathius in Hexaëmero, Autor Epistolæ ad Præsidium sub Hieronymi nomine, S. Isidorus Hispalensis lib. 12. Orig. cap. 4. & id se non rarò expertum scribit Olaus Magnus, quòd hominem nudum & dormientem non lædant serpentes. Tertium, quòd ab homine appetitus solum caput servat illæsum, & reliquum corpus objicit. Quartum, quòd cùm ad fontem venit ut bibat, virus antè deponit, atque ita aquam ex fonte bibit, *ne eum venenum aquâ concretum occidat*, ut loquitur autor Epistolæ ad Præsidium apud Hieronymum. His ex Plinio addi queat serpentem, hybernâ latebrâ visu obscurato, oculos marathro inungere, ac refovere; si vero squammæ obtorpuerunt, spinis juniperi scabere: & draconem vernam nauseam lactucæ succo restinguere.

Simplices. Grecè ἀκέραιοι, quòd à quibusdam vertitur, *mites*, quia secundum Grammaticos ἀκέραιον de animali dictum significat excorne, benignum, & innoxium, quæ Epitheta optimè quadrant in columbam, quæ, ut ait Cyrillus Alexandrinus in lib. 15. de adoratione, Πρὸς ἄκρον ἥκει

πρα-

πρασίητος, *suprèmum mansuetudinis fastigium attingit*; unde & quidam mansuetudinem advertentes & vesicam fellis propè jecur non habere, tradiderunt eam felle carere, cùm tamen reverâ in tergo fel habeat intestino junctum, ut testantur Horus Hierogl. lib. 2. cap. 45. Plinius lib. 11. c. 37. & Galenus in lib. de atra bile post Philosophum Historiæ lib. 2. c. 15. Sed licèt verum sit columbam esse *placidam*, ut eam vocat Ovidius Metamorph. lib. 7. Fabulâ 12. tamen in præsenti loco Evangelistæ, non debet contra mentem SS. PP. & ipsorum Mahumetanorum Doctorum exponi *ἀκέραιον* de mansuetudine columbæ, maximè cùm nullus locus Prophetarum occurrat, ubi columba mitis vocetur, sed occurrat locus Osee 7. v. 11. ubi columba dicitur פתה *simplex*, sicut serpens dicitur ערום *prudens* Genes. 3. v. 5. Maximè autem est advertendum quòd nec serpentis prudentia, nec columbæ simplicitas laudantur à Christo solæ & ab invicem divulsæ, sed tum demum laudantur, cùm simul conjunctæ sunt; ita ut una suppleat quod deest in altera, aut corrigat quod excedit, quomodo ex duobus pharmacis, quæ separatim noxia, tertium componitur, quod utile est & salutare, quia se mutuò temperant. Unde B. Greg. Nazian. de patre suo Oratione 19. *Τὸ γὰρ τοῦ ὄφεος φρόνιμον, περὶ τὸ κακὸν τῷ τῆς περιστερᾶς ἀκεραίῳ πρὶ τὸ καλὸν ἀναμίξας, οὐδὲ τὸ φρόνιμον εἴασε κακοῦργον γενέσθαι, οὔτε τὸ ἁπλοῦν ἀνόητον, ἀλλ' ἐν ἀρετῆς εἶδος, ὡς μάλιστα ἐνῆν, ἐξ ἀμφοτέρων ἀπηκριβώσατο. Cùm serpentis ad malum prudentiam cum columbæ ad bonum simplicitate conjunxisset, ita se comparavit, ut nec prudentiam in versutam improbitatem, nec simplicitatem in stoliditatem degenerare sineret: verùm ex ambabus, quoad ejus fieri poterat, unam virtutis speciem efficeret numeris omnibus perfectam & absolutam.* B. Hieron. ad Paulinum de institut. Monachi: *Habeto*, inquit, *simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis.* Hoc sensu etiam B. Paulus Apost. Rom. 16. v. 19. *Volo*, inquit, *vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Sic Faustus Rhegien. de liber. arbi. lib. 2. c. ultimo: *Faciamus*, inquit, *hominem simplicem, faciamus astutum: simplicem ne malum callidus inferat, astutum, ne incautus incurrat.* Sic Martialis lib. 10. Epig. 47.

Prudens simpliscitas, pares amici.

Sicut columbæ. Simplicitatem columbæ & Arabes, & SS. PP. testantur in eo maximè apparere, quòd illa pullis sublatis non avolat, verùm in iisdem locis remanet, & B. Hieron. in Osee 7. v. 11. *Aves*, inquit, *ceteræ pullos suos etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant, & cùm ad nidum suum accipitrem,*

colubrum,

colubrum, corvum, ſive cornicem accedere viderint, huc illúcque volitant, & immittunt ſe morſu, & unguibus lacerant, & dolorem parentis querulâ voce teſtantur; ſola columba ablatos pullos non dolet, non requirit. Hoc licèt verum ſit in pleriſque columbarum ſpeciebus, non tamen in omnibus verum eſt. Nam Damir Arabs teſtatur quoddam columbæ genus tanto affectu fervere erga pullos ſuos, ut quandoque ſeipſam mater interimat, cùm illos videt in manu aucupis. Imò & in genere Scriptores columbam commendant ab amore in prolem, ut videre eſt apud Plin. lib. 10. c. 34. Ariſtot. Hiſt. lib. 9. c. 7. Ælianum Hiſt. lib. 3. c. 45. Athenæum lib. 9. c. 11. &c. Hinc alii in eo patere aſſerunt columbæ ſimplicitatem, quod retia non evitat, neque laqueos ſibi paratos, cùm ſe demittit ad cibum. Ut ut ſit, hanc columbæ ſimplicitatem, & Ethnici ſcriptores agnoverunt, unde ad illud Juvenalis, *Vexat cenſura columbas*, dicit vetus Scholiaſtes, *columbas retulit ad ſimplicitatem.*

17. *Cavete autem ab hominibus?* Id eſt, nolite confidere in hominibus.

Tradent enim vos. Scilicet, examinandos, judicandos, & puniendos.

In Conciliis. Scilicet, Synedriis. De iis egimus ſuprà, c. 5.

18. *In teſtimonium illis & Gentibus.* Id eſt, ut teſtes ſitis Judæis & Gentibus veram eſſe fidem, pro qua acerbiſſima quæque ſupplicia ſubire eſtis parati, & juſtè eos aliquando eſſe damnandos, qui eam vobis prædicantibus recipere noluerint.

19. *Nolite cogitare, &c. Sacra ergo ad nos eloquia fruſtrà mandata ſunt, qui repleti Spiritu verbis exterioribus non egemus? ſed aliud eſt, quod anguſtiati perſecutionis tempore abſque dubitatione conſidere, aliud quod in tranquillitate Eccleſiæ agere debemus; oportet enim nos per Spiritum hunc modò legendo percipere quæ poſſumus: ſi contigerit cauſa in nobis eſſe, etiam patiendo demonſtrare.* B. Greg. lib. 2. Epiſt. 37. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum.

20. *Non enim vos eſtis, &c.* Hebraiſmus, id eſt, non enim tam vos eſtis, qui loquimini, quàm Spiritus Patris veſtri, & conſequenter meus, qui loquitur in vobis; *Neque enim*, inquit Auguſt. Epiſt. 105. *hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis; adjutorium igitur Spiritus Sancti ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod ut faciamus facit.*

22. *Eritis odio omnibus.* Eſt diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum. q. d. Eritis odio Gentibus & Judæis, viris, ac fœminis, nobilibus ac ignobilibus, cognatis & extraneis. Hinc Autor de voc. Gent. l. 2. c. 2.

Appa-

Apparuit, ut ait Apoſtolus, Tit. 2. v. 11. Gratia Salvatoris noſtri Dei omnibus hominibus, & tamen miniſtri gratiæ odio erant omnibus hominibus; & cùm alii eſſent qui oderant, alii qui odiis perſequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privabatur, habente quidem ſalutis ſuæ damnum, rebellium portione, ſed obtinente plenitudinis cenſum Fidelium dignitate. Dicit etenim Joann. Apoſt. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſt. juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. B. Fulgent. lib. de Incar. & gratia, c. 31. *Dicit*, inquit, *Propheta* Pſal. 85. v. 9. *Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum. Dominus autem ſuis Fidelibus dicit: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Numquid ergò contrariis ſibi repugnat Scriptura divina ſententiis? abſit! Sed & illos omnes, & iſtos omnes veraciter dicit, id eſt, & omnes Fideles qui nomen Domini in omnibus gentibus glorificant, & omnes incredulos qui per eaſdem omnes gentes, in odio nominis Chriſti Fideliúmque ejus, mortiferâ impietate perdurant.*

Qui autem perſeveraverit. Supple, in patientia, unde Marc. 13. dicitur, *Qui ſuſtinuerit in finem*, hoc eſt, qui ad mortem uſque Chriſto conſtanti fide adhæſerit, licèt ab impiis habeatur perditus, & malè mulctetur.

23. *Fugite*, &c. B. Hilarius Can. 10. in Matth. hæc interpretatur de ſecunda miſſione Apoſtolorum poſt Chriſti reſurrectionem, ut ſenſus ſit: fugite de civitate Judæorum, in civitatem gentium, prædico enim vobis quòd non ſitis neque per vos, neque per ſucceſſores veſtros conſummaturi, ſeu ad perfectionem Evangelii perducturi civitates Iſraël, antequam veniat Filius hominis, ſcilicet ad judicium, ſeu ante conſummationem ſeculi. Quicunque iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium miniſterium illo perſecutionem fugiente, non deſit, facit quod Deus hîc præcepit, ſive permiſit; qui autem ſic fugit, ut gregi Chriſti ea, quibus ſpiritualiter vivit, alimenta ſubtrahantur, mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem & fugit, & non eſt ei cura de ovibus, ita Aug. Epiſ. 180. ad Honoratum, ubi fuſiſſimè, doctiſſimè, & quàm ſubtiliſſimè diſputat quando paſtores Eccleſiæ in perſecutione fugere vel remanere debeant. Nam de privatis perſonis, certum eſt quòd poſſint ad periculum Chriſti negandi vitandum, quantùm potuerint, fugere.

Non conſummabitis, &c. Id eſt, non percurretis omnes Iſraëlitarum civitates de alia in aliam fugiendo, donec veniat Filius hominis, ſcilicet, ad judicium, hoc eſt, uſque ad conſum

ſummationem ſeculi. q. d. Non deerunt civitates quò fugiant ſectatores mei, quandocunque perſecutionem paſſi fuerint. Ita ferè B. Aug. lib. 1. contra Epiſt. Gaudentii Donatiſtæ Thamugadenſis Epiſcopi c. 18.

Civitates Iſraël. Sic vocat Chriſtus eas, in quibus Deus Iſraël tutò, liberè, palàm, & ritè colitur, *ubi*, ut loquitur Aug. loco mox citato, *tanquam in portu poſſint Fideles à perſecutionum tempeſtate requieſcere.*

24. *Non eſt diſcipulus*, &c. Proverbialibus locutionibus apud Rabbinos uſitatis hortatur Chriſtus ſectatores ſuos ſuis ut inſiſtant veſtigiis. q. d. Nolite vos ſervos & diſcipulos putare melioris conditionis, quàm ego Magiſter & Dominus fui, qui pro vobis paſſus ſum, vobis relinquens exemplum.

25. *Patrem-familias.* Id eſt, Patrem meum, & illius familiæ, cujus ſum caput, & in cujus virtute dæmonia ejicio.

Beelzebub. Id eſt, principem dæmoniorum vocaverunt, dùm ſuprà cap. 9. v. 34. dicebant me in principe dæmoniorum ejicere dæmonia. *Beelzebub*, inquit Hier. *idolum Accaron, quod vocatur in Regum volumine, idolum muſcæ. Beel, ipſe eſt Bel, ſive Baal, Zebub autem muſca dicitur; principem ergo dæmoniorum ex ſpurciſſimi idoli vocabant vocabulo: qui muſca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat ſuavitatem olei.* Probabilius tamen eſt Deum Accaronitarum dictum Beelzebub, quòd abigeret muſcas ab æde ſua, quod & Herculi tribuunt Plinius & Solinus. Fortè in hac parte diabolus fujt Dei veri ſimia, in cujus Templo, ſi creditur Talmudicis, nunquam conſpecta eſt muſca.

Domeſticos ejus. Supple, convitiis laceſſent.

26. *Ne ergo*, &c. Id eſt, nihil ad perſecutorum impetus paveatis; quidquid enim moliantur, non poſſunt niſi corpori vitam auferre, imò nec poteſtatem adverſum corpus habent ullam, niſi detur eis deſuper à Patre veſtro cœleſti, *Qui nec exigui*, ut loquitur Aug. 5. de Civit. Dei c. 11. *& contemtibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia dereliquit.* Quidquid moliantur, Evangelium quod à me docti eſtis occultè, ipſis invitis à vobis uſquequaque prædicabitur.

27. *In tenebris.* Id eſt, in Allegoriarum obſcuritatibus. B. Greg. Hom. 6. in Ezech.

In lumine, Id eſt, apertè. B. Greg. ibid.

In aure. Id eſt, in occulto, ſeu privatim.

Prædicate ſuper tecta. Hinc. B. Epiph. hær. 45. exponit illud Chriſti Joan. 18. v. 20. *In occulto locutus ſum nihil*; q. d. Nihil dixi quod occultatum vellem; cùm de ſeorſim enarratis dixe-

rim,

rim, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta:* Supple, quamdiu aliqua ſpes ſucceſsûs affulget, & ii quibus prædicatis non ſunt prorſus immorigeri. Ita ferè & B. Aug. Tracta. 113. in Joan.

28. *Animam autem non poſſunt occidere.* Id eſt, animæ nec ſubſtantiam vivendi, nec qualitatem vivendi, ſeu nec vivere, nec beate vivere poſſunt auferre. Vide B. Greg. lib. 6. Epiſt. 31. ad Eulog. Alexand. ſub finem.

In gehennam. Græcè, *in gehenna. Anima itaque mortalis & immortalis eſſe intelligitur; mortalis, quia beatè vivere amittit; immortalis, quia eſſentialiter vivere nunquam deſinit, & naturæ ſuæ vitam perdere non valet, nec cùm in perpetua fuerit morte damnata; illic enim poſita beatè eſſe perdit, & eſſe non perdit; qua ex re ſemper cogitur ut & mortem ſine morte, & defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur; quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.* B. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 45. Auguſt. de verbis Apoſt. Serm. 18. Conſiderans timorem gehennæ hîc apud Matthæum, & vehementiùs apud Lucam c. 12. v. 5. nobis incuſſum; *Cùm*, inquit, *Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum* apud Lucam cap. 12. v. 5. *comminationem geminaverit, dicturus ego ſum malè times? iſta non dicam; planè time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te, ſi non te videret Deus, quando facis, nec quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? tu te vide; non enim potes ad omnia verba mea reſpondere, inſpice teipſum, faceres? Si faceres, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas, charitatem nondum habes, ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni, ſed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iſte, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te: et ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit: eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus Legis, litera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen te timor iſte, dum non facis timendo, & venit charitas; intrat in cor tuum, & quantùm intrat illa, tantùm timor exit. Timor enim id agebat ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiam ſi impunè poſſis admittere.* Idem ibidem, Serm. 13. c. 3. *Qui adhuc ideò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios, utinam tamen vel pœnam timeat; timor ſervus eſt, charitas libera eſt. & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum. Fac, fac, vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ, veniet domina, & ſervus abſcedet, quia conſummata charitas foràs mittit timorem, non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore.* Novum

Teſta-

Teſtamentum eſt, non vetus; vetera tranſierunt, & ecce nova facta ſunt omnia, omnia autem ex Deo.

29. *Nonne*, &c. Providentiam Dei erga ſuperiora & majora probat Chriſtus ex eo quod infimarum & minimarum rerum curam gerit. Cùm ergo Apoſt. dicit 1 Cor. 9. quòd Deo non eſt cura de bobus, non ſimpliciter negat boves Deo curæ eſſe, ſed tantùm vult Deum hanc legem de non ligando ore bovi trituranti, non tam propter boves, quàm propter homines condidiſſe, & hoc præcipuè reſpexiſſe, ut nos doceret unumquemque ex labore ſuo vivere oportere, ut manifeſtè patet ex eodem Apoſt. 1 Tim. 5. v. 17, & 18. Familiare autem eſt Hebræis dum unum alteri præferunt, prælatum ſimpliciter affirmare, & id cui præfertur ſimpliciter negare, ut ſuprà advertimus ad illud Prophetæ: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Sic Philo Judæus Paulo coævus in lib. de ſacrificiis, agens de lege, quæ præcipit ut Deo victimæ eximiæ, integræ, puræ, atque ab omni labe immunes offerantur, ait non de victimis, ſed de offerentibus legem eſſe ſollicitam, ne quod eis vitium inſideat. Similiter R. Menachem Ricinenſis ad illud Deuteron. 22. *Non accipies matrem cum pullis*; *Intentio*, inquit, *præcipientis non eſt miſereri avium, ſed propter homines hoc voluit, quos ita voluit aſſuefacere ad manſuetudinem & commiſerationem.*

Duo paſſeres aſſe væneunt. Id eſt, nunquid paſſeres ſunt res viliſſimi pretii; unde Matth. non eſt contrarius Lucæ referenti cap. 12. Chriſtum dixiſſe: *Nonne quinque paſſeres væneunt dipondio*, id eſt, duobus aſſibus; nam eumdem ſenſum, licèt aliis verbis expreſſit Luc. ac Matth. contrarietas autem penes ſenſum, non penes verba attenditur.

Cadit ſuper terram. Ἐπὶ γῆν, B. Epiph. adverſus Marcionem & B. Chryſoſt. legerunt Εἰς παγίδα, *in laqueum*; hoc alicubi ſecutus videtur B. Hieron.

Sine Patre veſtro. Id eſt, ſine Patris veſtri ordinatione, decreto & voluntate. Huc facit locus, quem ex Talmude Jeroſolymitano profert clariſſimus Buxtorfius Lexici Talmudici pag. 113. *Rabbi Simeon Ben Jochai latebat in quadam ſpelunca. Die quodam ſedens ad oſtium ſpeluncæ, & videns aucupem aves capientem, & rete extendentem, audivit filiam vocis* (oraculum) *quæ cùm dicebat* דיומוס (id eſt, *liberatio*) *tum evadebat avis. Quando verò filia vocis dicebat* סמיקולא (id eſt, *ſententia mortis,*) *tum avis capiebatur. Proinde dixit oraculum,* צפור שנלכדי שמיא לא יבדא כל שכן בר נשא, *Avicula ſine cælo* (id eſt, ſine Dei voluntate, & providentia) *non perit, Quantò minùs homo?* Pro יבדא lege יאבד.

31. *Veſtri*

30. *Vestri autem capilli.* Græcè, *vestri etiam capilli*, supple, qui abjici & contemni solent.

Numerati sunt. Hinc teste Aug. 2. de Civit. Dei c. 19. patet quòd illud Lucæ 21. v. 18. *Capillus de capite vestro non peribit*: aptiùs de numero quàm de longitudine capillorum intelligitur.

Præclarè itaque Hilar. Can. 10. in Matth. *In numerum*, inquit, *aliquid colligi diligentiæ ac sollicitudinis cura est, neque enim dignum negotium est peritura numerare. Ut igitur nihil ex nobis periturum esse cognosceremus, quia multò pæsseribus meliores sumus, ipso capillorum nostrorum supputatorum numero indicatur, salvis nobis ex solido futuris, cùm quod innumerabile in nobis sit, conservandi & affectu & potestate numeretur.*

32. *Qui confitebitur me.* Id est, me & verba mea quæ corde seu voluntate credit, ore & opere confiteri non erubuerit. Vide Marc. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. 12. v. 8. Ex hoc loco factum est ut professiones fidei, quæ non fuerunt morte sigillatæ, *confessiones* appellarentur, & qui eas ediderant, *confessores*. Hic autem mandatur nobis, ut fidem nostram testatam faciamus, non solùm coram bonis ac piis, verùm etiam coram ipsis veræ & puræ religionis professis hostibus.

Confitebor. Id est, ut patet ex locis mox cit. in die judicii palàm agnoscam pro meo.

33. *Negaverit.* Scilicet, verbis vel factis.

Me. Supple ex locis cit. vel verba, seu, præcepta mea.

Negabo. Id est, non cognoscam esse de ovibus meis.

34. *Non veni pacem mittere.* Id est, concordiam, quam solam mundus novit & æstimat pacem, quæ consistit in fruitione rerum caducarum sine molestia litium & bellorum.

Sed gladium. Id est, discordiam, seu *separationem*, ut loquitur Lucas c. 12. v. 51. *Conjunctio cœlestis*, inquit Chrysolog. Serm. 104. *est in ista separatione terrena, nemo potest connecti terræ & jungi cœlo; grata ergo & chara sit ista terrena separatio, quæ nos sic à terrenis separat, ut inserat nos divinis.*

35. *Veni enim separare*, &c. *Hic locus propè iisdem verbis in Michææ Propheta scribitur c. 7. & notandum quod ubicunque de veteri Testamento testimonium ponitur, non refert utrum sensus tantùm an & verba conveniant.* Hier. Sensus itaque Christi est q. d. Occasione Evangelii mei tale orietur dissidium inter filios & parentes, & alios sanguine junctos, quale fuit olim tempore Michææ Prophetæ apud Judæos; sicut enim tunc, ita etiam nunc impii conspirabunt in ruinam piorum; Infideles in everfionem Fidelium, nullo habito respectu, seu sanguinis, seu propinquitatis, solo odio virtutis, & opum extorquendarum cupidine impulsi.

Hominem. Hebraismus, id est, filium.

37. *Qui amat patrem*, &c. *Qui antè præmiserat: Non veni pacem mittere, sed gladium, & dividere homines adversus patrem, & matrem, & nurum & socrum: ne quis religioni pietatem anteferret, subjicit dicens: Qui amat patrem & matrem plus quàm me. Ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem, ama matrem ac filios, si autem necessitas venerit ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, & non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum sit. Non ergo prohibuit amare patrem aut matrem, sed signanter addidit, Qui amat patrem aut matrem plus quàm me.* B. Hier. Idem est sensus Lucæ. 14. v. 26. licet alia adhibeat verba.

Non est me dignus. Supple, præceptore, unde Luc. loco mox citato additur: *Non potest meus esse discipulus.*

38. *Qui non accipit crucem*, &c. Luc. 14. v. 27. *Qui non bajulat crucem suam. Duobus modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus.* Greg. Hom. 32. in Evang. & Hom. 37. D. Hieron. lib. 3. in Matth. 16. *Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, denegat semetipsum dicens; Vivo autem, non ego, vivit verò in me Christus: Tollit crucem suam & mundo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus est sequitur Dominum crucifixum.*

Et sequitur me. Bajulare crucem, & post Dominum ire, est vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximo pro studio æternæ intentionis exhibere; nam quisquis pro temporali intentione hæc exhibet, crucem quidem bajulat, sed ire post Dominum recusat. Greg. Hom. 37. in Evang.

39. *Qui invenit animam suam.* Supple ex Joan. 12. v. 25. *in hoc mundo*, id est, in hac vita; dicitur autem in hoc mundo amare, invenire seipsum, seu phrasi Hebraicâ, invenire, amare animam suam, qui non nisi hujus mundi quærit sibi commoda, & fugit incommoda; perdere verò & odisse qui gravissimas hujus mundi calamitates, afflictiones & angustias propter Christum, propter Evangelium, propter justitiam fortiter tolerat. Confer hunc locum cum eo quod dicitur Joan. 12. v. 25.

Perdet eam. Supple, in vita æterna, id est, vitæ æternæ jacturam faciet, seu morte æternâ mulctabitur.

Qui perdiderit animam suam. Clariùs Joan. loco citato, *Qui odit animam suam in hoc mundo.*

Propter me. Martyrem Christi non facit pœna, sed causa.

Inveniet eam. Supple, in vita æterna, ut patet loco cit. Joan. Porrò in hac & similibus sententiis anima synecdochicè usurpatur pro toto homine, phrasi apud Hebræos & in veteri

Testa-

Teſtamento uſitatiſſimâ. Hinc quod Matth. 16. v. 26. dicitur: *Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, Lucas proprietatem Hebraicam explicans dicit c. 9. v. 25. *Seipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat.*

40. *Qui recipit*, &c. *Ordo pulcherrimus: ad prædicationem Chriſtus diſcipulos mittit, docet pericula non timenda, affectum ſubjicit religioni, aurum ſuprà tulerat, as de zona excuſſerat; dura Evangeliſtarum conditio; unde ergo ſumtûs, unde victûs neceſſaria? Auſteritatem mandatorum ſpe temperat promiſſorum, Qui recipit, inquiens, vos, me recipit, ut in ſuſcipiendis Apoſtolis unuſquiſque credentium Chriſtum ſe ſuſcepiſſe arbitretur.* Hieron. lib. 1. in Matth. 10.

Recipit eum qui me miſit. Id eſt, Deum Patrem.

41. *In nomine Prophetæ.* Id eſt, ideò tantùm, quia Propheta dicitur & exiſtimatur; eodem penitùs ſenſu in verſu ſequenti intelligitur, *tantùm in nomine diſcipuli*, ut patet ex Marc. 9.

Mercedem Prophetæ accipiet. Id eſt, qui aliquem hoſpitio accipit, non alia de cauſa, quàm quia Propheta eſſe dicitur & exiſtimatur, tunc etiamſi hoſpitio exceptus reverà Propheta non fuerit, excipiens tamen eandem recipiet mercedem ſuæ hoſpitalitatis, atque ſi verum Prophetam excepiſſet.

42. *Uni ex minimis iſtis.* Supple, qui in me credunt, ut exprimitur Matth. 18. vel, fratribus meis, ut Matth. 25. hoc eſt, ex infimis & contemtiſſimis Fidelibus. Hîc indicatur quòd, ut Apoſtolus docet Galat. 6. v. 10. quamvis ad omnes bonum operari debeamus, maximè tamen ad domeſticos fidei.

Calicem aquæ frigidæ potum dederit. Id eſt, vel abjectiſſimum miniſterium exhibuerit; ponitur enim pro more Scripturæ unum vile miniſterium determinatum pro indeterminato.

CAPUT XI.

1. *CUM consummasset*, &c. Id est, cùm Jesus finem fecisset præcipiendi, seu officii Apostolici præscribendi tam præceptis, quam consiliis & prædictionibus.

Transiit inde. Scilicet, ab Apostolis nunc primùm à se ad prædicandum Evangelium missis se separavit; quid autem Apostoli sic à Christo dimissi fecerint narrat Marc. c. 6. v. 12. Lucas c. 9. v. 8.

In civitatibus eorum. Id est, Apostolorum. Sic dicuntur civitates Galilææ, quia in eis nati, educati & ut plurimùm Apostoli sunt conversati.

2. *Joannes Baptista*, &c. Quæ hîc narrantur & Matth. 14. de Joanne contigerunt ante missionem Apostolorum; ut patet ex Luc. 7. v. 18. & opinione Herodis de Christo, quàm ipse Matthæus c. 14. testatur fuisse causam secessûs Christi in desertum cum Apostolis ex missione reversis. Vide Luc. 9. à v. 7. ad 11. Marc. 6. v. 3. & 31.

3. *Tu es qui venturus es*, &c. *Joannes non suæ sed discipulorum ignorantiæ consulit; ipse enim venturum in remissionem peccatorum prædicavit. Sed ut scirent non alium à se prædicatum, ad opera ejus intuenda discipulos suos mittit: ut autoritatem dictis suis illius opera conferrent, neque alius Christus expectaretur, quàm cui testimonium opera præstitissent.* Hilar. Can. 11. in Matth.

4. *Euntes renuntiate*, &c. Non dicit eis expresse, Ego sum, sed ducit eos magis ad rei certitudinem, ut congruâ ratione sumentes fidem ipsius revertantur ad eum qui misit eos, unde non ad verba sed ad propositum mittentis responsum exhibuit. Q. d. Narrate Joanni quæ quidem audistis per Prophetas, consummari verò vidistis à me; ea enim tunc agebat, quæ prædixerant Prophetæ David Psal. 145. & Esaias c. 35. eum facturum.

5. *Pauperes Evangelizantur. Vel pauperes spiritu, vel certè opibus pauperes, ut nulla inter divites & egenos in prædicatione distantia sit. Hæc magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem; quando omnis apud eum, qui salvari potest, æqualis est.* Hier. Alludit Christus ad illud Esaïæ 61. v. 1. *Ad annuntiandum mansuetis misit me:* pauperes enim à fastu & ferocitate divitum remotiores esse solent, & mansuetudini Evangelicæ aptiores & propinquiores. *Beatus.*

6. *Beatus*, &c. Tacitè notat Joannis discipulos, quos habuisse aliquid mordacitatis ex livore & invidia adversus Christum, patet ex Matth. 9. v. 14. & Joan 3. v. 26. ubi dicunt Joanni; *Cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Q. d. Nos deserimur, hic raritas est, ad illum turba concurrit. Hier. lib. 1. in Matth. cap. 11. & Epist. 151. ad Algasiam quæst. 1.

Scandalizatus. Id est, scandalum passus. Scandalum proprie lapsus & offensio est pedis. In sacra Scriptura sæpè transfertur à corpore ad animum, & sumitur pro dicto aut facto ex se malo, vel mali speciem habente, quod alicui ruinæ spiritualis occasionem præbet, & dicitur scandalum activum, vel datum; vel sumitur pro ipsa ruina, quâ quis propter dictum aut factum alterius spiritualiter ruit, & dicitur scandalum passivum vel acceptum; quod scandalum passivum, si non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia ruentis oriatur, Pharisaicum dicitur, quia Pharisæi tale scandalum in vera Christi doctrina & bonis moribus passi sunt.

7. *Illis autem abeuntibus. Non enim*, inquit Simeon in Catena Græcorum in Luc. 7. *præsentibus Joannis discipulis proferre volebat Christus Joannis præconia, ne blandientis verba esse putarentur.*

Quid existis. Supple, toties.

Arundinem, &c. q. d. Numquid ob hoc exiistis toties in desertum ad Joannem, ut videretis hominem levem & instabilem, dapibus affluentem, mollibus vestitum?

8. *In domibus Regum sunt. Ostenditur rigidam vitam & austeram prædicationem vitare debere aulas Regum, & mollium hominum Palatia declinare.* B. Hier.

9. *Etiam. Nam ab ipso matris utero prophetavit, & positus in tenebris, lumen, quod jam venerat, non ignoravit*, ut loquitur B. Isidorus Pelusiota in Ep. 33. ad Prunichium.

Plusquam Prophetam. Tantus enim est Joannes inter Prophetas, ut de eo tanquam de nobilissimo Prophetarum ceteri Prophetæ prophetaverint; *hic est enim de quo scriptum est*, &c.

10. *Mitto Angelum. Angelum hîc dici Joannem non putemus naturæ societate, sed officii dignitate: id est, nuntium: quòd venturum Dominum nuntiavit.* B. Hier.

Ante faciem tuam. Hebraismus, id est, ante te; sex enim mensibus ante Christum conceptus & natus est Joannes, & totidem circiter ante Christum prædicare cœpit.

Præparabit. Id est, *Pervia reddet tibi corda auditorum, tæ itentiam prædicando & baptizando.* D. Th. in Catena ex Glossa.

11. *Surrexit.* Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, extitit.

Major. Supple ex Luc. 7. v. 8. *Propheta*; ut enim ait S. Maximus Taurinenſis Hom. 3. in Nat. S. Joannis Bap. Joannes *idcirco in hoc ſeculum ſuperna diſpenſatione directus eſt, ut non ſolùm ipſe prophetali ſublimaretur gloriâ: ſed ut & omnium etiam per eum Prophetarum præconia firmarentur, qui ſpeciali quadam gratia, ob hoc Redemtorem mundi noviſſimus prophetavit, ut oſtenderet eum primus.* Neque obſtat quod dicitur Deut. 34. *Non ſurrexit ultrà Propheta in Iſraël ſicut Moyſes*; ut enim ait D. Th. 22. Q. 174. Ar. 4. ad 3. *Joannes pertinet ad novum Teſtamentum, cujus miniſtri præferuntur etiam ipſi Moyſi, quaſi magis revelatè ſpeculantes, ut habetur* 2. Cor. 3.

Minor eſt. Scilicet, tum nativitate, ut intelligit Auguſtinus, tum hominum opinione, ut exponit Hilar.

In regno cælorum. Id eſt, in Eccleſia juſtorum ſive militante, ſive triumphante.

Major eſt illo. Nimirum, poteſtate, Divinitate, majeſtate, charitate, ut exponit Aug. Tract. 13. in Joan & lib. 2. contra Adverſ. Legis & Prophetarum cap. 5. Alludere videtur Chriſtus ad illud: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.*

A diebus. Supple, prædicationis.

12. *Uſque nunc.* Id eſt, uſque ad præſens tempus, quo ego Joanni in prædicatione ſuccedo.

Regnum cælorum, &c. Dominus *ire Apoſtolos, ad oves Iſraël perditas juſſerat, ſed hæc omnis prædicatio profectum Publicanis & peccatoribus afferebat. Aliis Chriſtus prædicatur, & ab aliis agnoſcitur, aliis naſcitur, & ab aliis diligitur. Sui eum reſpuunt, alieni ſuſcipiunt. Proprii inſectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptio expetit, familia rejicit. Teſtamentum filii repudiant, ſervi recognoſcunt. Itaque vim regnum cælorum patitur, inferentéſque diripiunt illud, quia gloria Iſraël patribus debita, à Prophetis nunciata, à Chriſto oblata, fide gentium occupatur, & rapitur.* B. Hil. Can. 11. in Mat.

13. *Omnes enim*, &c. Lex dicitur duraſſe uſque ad Joannem, quia ab illo incepit doctrina clarior Lege & Prophetis; nam principium Evangelii à Joanne ducitur Marc. 1. v. 1. Luc. 1. v. 77. & hoc nomine major Prophetis eſt Joannes miſſus ad dandam ſcientiam ſalutis plebi Dei, & ad multa evangelizanda populo, ut dicitur Luc. 3. v. 18. Evangelium autem, ſeu Lex nova, regnum dicitur, quia Legem regni nomine appellare Hebræis mos eſt; dicitur autem regnum cœlorum, ſeu regnum Dei, quia per doctrinam Evangelii Deus regnat in Eccleſia, & vileſcunt Fidelibus omnia, quæ habentur in terris. Hæc doctrina cœpit à prædicatione

dicatione Joannis, & consummata est à Christo Salvatore diffundente charitatem in cordibus Fidelium per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.

Prophetaverunt. Id est, obscuris figuris prædixerunt, quæ & quanta sint quæ nobis promittuntur in superna felicitate.

14. *Si vultis recipere.* Hæc locutione utitur Christus ad significandum improprium sensum sententiæ sequentis.

Ipse est Elias. Non personâ, sed spiritu & virtute; quod enim ab Elia in Christi adventu faciendum prædixit Malachias cap. 4. v. 6. hoc à Joanne in spiritu & virtute Eliæ faciendum interpretatus est Angelus Luc. 1. v. 17.

15. *Qui habet*, &c. Solet Christus hac uti phrasi, cùm de re maximè seria, & quæ maximè auditores attingit, verba facit, ut attentionem & studium auditorum excitet, simúlque indicet, non omnes habere aures audiendi, id est, donum Dei, quo intelligitur id quod dicitur, dictóque obeditur, quia non omnibus datur ab eo, qui de se dicit Baruch 2. v. 31. *Dabo eis cor & intelligent, aures & audient.*

16. *Similem æstimabo.* Id est, comparabo.

Generationem istam. Id est, istud hominum genus.

Similis est, &c. Q. d. Simile quid accidit in hoc hominum genere, atque si pueri ludentes in foro cœtaneis seu sodalibus suis morosis acclamarent: Nec cantu ad saltandum, nec planctu ad lamentandum, vos movere potuimus; nam Legisperitos & Pharisæos neque Christi facilitas, neque Joannis austeritas ad pœnitentiam adduxit.

18. *Neque manducans.* Supple ex Luc. 7. v. 33. *panem.*

Neque bibens. Supple ex Luc. 7. v. 33. *vinum.*

Dæmonium habet. Hoc est, dæmonis virtute tam austeram vitam agit.

Manducans & bibens. Id est, vulgari mensâ & ratione vivens cum hominibus. *Joannis escam & potum novimus; non enim dictum est quòd omninò non biberet, sed quòd vinum & siceram non biberet: bibebat ergo aquam; cibus autem ejus non omninò nullus erat, sed locustæ & mel sylvestre. Unde ergo dictus est, non manducans neque bibens, nisi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ille non utebatur: hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione manducans bibénsque diceretur.* Aug. contra Faustum, lib. 16. c. 30.

Et justificata est sapientia. q. d. Sed sapientissima Dei providentia & Joannis austeritate, & Christi comitate Judæos ad pœnitentiam revocantis probata & laudata, seu justa declarata est.

A filiis suis. Divina Scriptura operationum studiorúmque, quibus

bus ſe homines impendunt, ipſos filios eſſe dicit ac proles. Sic ſapientiæ filios vocat ſapientes, & lucis filios, qui ſcientiâ veritatis ac virtutis operibus ſunt illuminati. Quia etenim qui alicujus filii ſunt à parente eſſe habent, quo exiſtunt: quique adeò imbuti qualitate ſunt, ex eâ, quæ illis acceſſit, qualitate nanciſcuntur ut tales ſint; meritò itaque ſic imbuti qualitate, qualitatis filii nuncupantur ac nati. Didymus Alexandrinus contra Manichæos.

20. *Tunc cœpit exprobare.* Hanc exprobrationem inſerit Lucas c. 10. Sermoni Chriſti ad LXXII. diſcipulos, fortè quòd illi in mentem veniſſet occaſione verborum Chriſti pronuntiantis Sodomis remiſſiùs fore, quàm illi civitati, quæ diſcipulos ſuos non recepiſſet, quibus verbis ſimilia in hac exprobratione hîc v. 24. continentur. Cùm autem, ſi exprobrationis verba apud Lucam à Chriſti ad diſcipulos Sermone demſeris, antecedentia & conſequentia optimè inter ſe cohæreant, probabilius eſt hanc exprobrationem ſuo loco hîc referri à Matthæo, cùm adhuc Dominus verſaretur in Galilæa, & ut apparet Capharnai, ad quam urbem ideò ſpecialiter ſua verba dirigit.

Væ. Non eſt vox maledicentis, ſed plangentis & futura prædicentis.

Corozaim. Civitas eſt in Galilæa, una inter urbes Decapoleos ſita in conſpectu Capharnai, ſed ad alteram eámque orientalem Jordanis ripam in dimidia tribu Manaſſe.

Bethſaida. Galilææ civitas eſt in Decapoli, ſita in tribu Zabulon ad mare Tiberiadis, quòd & Galilææ dicitur.

Quia ſi, &c. His verbis ſuis Dominus Jeſus altius nobis myſterium prædeſtinationis oſtendit. Aug. de bono perſeverantiæ c. 9. *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant, & tamen ſi Dei altiore judicio à perditionis maſſa non ſunt gratia prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia vel viderent.* Idem. ibid. c. 14.

In Tyro & Sidone. Tyrus & Sidon urbes ſunt conterminæ Galilææ, nunquam à Judæis poſſeſſæ, ideóque Gentiles & Idololatræ in littore maris Mediterranei, mercimoniis totius orbis opulentiſſimæ, deliciis Deſque contemtu plenæ. Hinc & Baſilius Seleuciæ Orat. 20, quæ eſt in Chananæam, animadvertit Tyrum & Sidonem unam & eamdem eſſe *impietatis ſedem, dæmonum olim diverſoria, idolorum cubilia, idololatriæ ſedes, accuſationis Prophetarum argumentum.* Diſtabat autem

Sidon

Sidon à Tyro ſtadiis ferè ducentis, teſte Strabone. Homerus plurimis in locis Sidonis & Sidoniorum, nunquam Tyri meminit, unde colligitur Sidonem eſſe vetuſtiorem. Trogus ſcribit Sidonem à piſcium ubertate nomen habere; quòd non eſt improbabile, cùm Hebræi nos doceant Sidonem eſſe ad mare piſcoſiſſimum, & צִיד, id eſt, *piſcatio*, hodiéque dicatur, ut Galilææ oppidum *Bethſaida*, id eſt, *domus piſcationis*.

Olim. Id eſt, jam diù, q. d. Simul ac prædicationem audiviſſent & ſigna apud ſe facta vidiſſent.

In cilicio & cinere. Cilicium & cinis ſunt arma pœnitentium, ut per aſperitatem & compunctionem cilicii vindictam in ſe excerceant, & per aſperſionem cineris in memoriam revocent mortis ſententiam, quâ in pulverem redire tenentur.

Pœnitentiam egiſſent. Quæras prudens Lector & dicat: Si Tyrus & Sidon & Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Salvatoris, ſignorumque miracula, non ſunt in culpa, quòd non crediderunt, ſed ultium ſilentii in eo eſt, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. Ad quod facilis & aperta reſponſio eſt: ignorare nos judicia Dei & ſingularum diſpenſationum ejus ſacramenta neſcire, B. Hier. hîc, cui ſuccinit Aug. in lib de bono perſeverantiæ c. 11. *Proinde ſicut Apoſtolus ait: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc eſt nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus; & majoribus etiam his, quos prævidit ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed juſtè aliud judicavit; non enim eſt iniquitas apud Deum, ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: Univerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas. Itaque miſericordiam ejus in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur ſine dubitatione credamus: neque inſcrutabilia ſcrutari neque inveſtigabilia veſtigare conemur.*

22. *Tyro & Sidoni remiſſiùs erit.* &c. *Quòd Tyrus & Sidon naturalem tantùm Legem calcaverint: Corozaim verò & Bethſaida poſt tranſgreſſionem naturalis Legis & ſcriptæ, etiam ſigna, quæ apud eas facta ſunt, parvi duxerint.* B. Hier.

23. *Et tu Capharnaum nunquid,* &c. Græcè hîc & in Vulg. Luc. 10. v. 15. ſine interrogatione legitur: *Uſque ad cælum exaltata. Et eſt duplex intelligentia. Vel ideo ad inferna deſcendes: quia contra prædicationem meam ſuperbiſſimè reſtitiſti. Vel ideo, quia exaltata uſque ad cælum meo hoſtitio, & meis ſignis*

atque

atq; virtutibus, tantum habens privilegium majoribus plecteris ſuppliciis, quòd his quoque credere noluiſti. B. Hier.

Fortè manſiſſent. Cauſæ indifferentis certa cognitio vocatur etiam conjecturalis notitia effectus, idcircò Deus ſermone ad captum noſtrum abjecto, quod de cauſa compertum habet, id ſæpè veluti dubitabundus de effectu pronuntiat, ut Exod. 23. *Non habitent in terra tua, ne fortè te peccare faciant.* Jerem. 2. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant,* &c. Imò quæ ipſe Deus facturus erat, ideóque indubitata erant, quaſi dubitanter ipſe diſſerit, ut voluntatem creaturæ, vel libertatem illæſam ſignificet. Sic loquitur Jerem. 6. *Erudire Jeruſalem, ne fortè te ponam terram deſertam.* Sic hîc dicit: *Fortè manſiſſent,* &c. Itaque ſæpè Deus loquitur ſecundum ordinem cauſarum ſecundarum, & non ſecundum ſuam præſcientiam, quâ novit quid præter ordinem rerum ſit eventurum ex ipſius decreto.

25. *In illo tempore.* Quo ſcilicet ex miſſione reverſi ſunt ad Chriſtum LXXII. diſcipuli, ut patet ex Luc. 10. v. 20.

Reſpondens. Hebraiſmus, id eſt, in verba prorumpens, ſeu loqui incipiens.

Confiteor. Id eſt, gratias ago.

Domine cœli & terræ. Audiant qui Salvatorem non natum, ſed creatum calumniantur, quòd Patrem ſuum vocet cœli & terræ Dominum. Si enim & ipſe creatura eſt, & creatura conditorem ſuum Patrem appellare poteſt: ſtultum fuit non & ſui & cœli ac terræ Dominum vel Patrem ſimiliter appellare. B. Hier.

Hæc. Scilicet, adventûs mei Sacramenta.

A ſapientibus, &c. *Sapientes quidem ſuperbos, & alta de ſe ſentientes, parvulos verò dixit humiles. Quorum certè alia Scriptura meminit, dicens: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Reſiſtit namque ſuperbis, ne æterna bona intelligant, ſed parvulis gratiam dat, ut eadem bona æterna, ipſo revelante, cognoſcant.* B. Greg. lib. 4. in 1 Reg. cap. 4. *Deus autem humiles, quibus dat gratiam, non ante datam humiles invenit, ſed dando gratiam humiles facit.* B. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 18.

Parvulis. Qui non ſubjunxit, ſtultis, ſed parvulis, tumorem ſe damnaſſe innotuit (id eſt, notum facit) *non acumen.* B. Greg. 27. Moral. cap. 7.

26. *Ita Pater.* Locutio Chriſto familiaris, quâ aliquid vehementer confirmare ſolet. Vide Luc. 10. v. 21. 11. v. 51. &c.

Quoniam ſic fuit placitum ante te. Q. d. *Tuo placito ſunt id quod ſunt, non ſuo merito; nec enim invenis merita, ſed prævenis.* B. Bern.

Bern. Ep. 146. ad Burchard. Abbatem. *Nemo ergo discutiat, cur stante Judaico populo, dudum in infidelitate Gentilium jacuit, & cur ad fidem Gentilitate surgente, Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio sit apertæ rationis. Unde & in Evangelio Dominus cùm de hujus rei causa loqueretur, ait: Confiteor tibi Pater, &c. atque mox tanquam rationem quandam absconsionis ac revelationis adjungens, ait: Quia sic fuit placitum ante te; quibus nimirùm verbis exempla humilitatis accipimus ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus. Cùm enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest, quod placuit justo; unde & in vinea laborantibus mercedem reddens, cùm quosdam operarios inæquales in opere æquaret in præmio, & plus in mercede quæreret, qui labori amplius insudasset, ait: Nónne ex denario convenisti mecum, volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi, an non licet mihi quod volo facere? In cunctis ergo, quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultæ justitia voluntatis.* B. Greg. lib. 25. Moral. cap. 18.

27. *Omnia mihi tradita sunt.* Id est, mihi, per quem absque carne facta sunt omnia, in carne manifestato tradita sunt in tempore tanquam Mediatori omnia instauranda per & propter carnem assumtam & sanctificatam, quâ opus erat pro sacrificio crucis.

A Patre meo. Ideóque, & a me ipso, quâ Deus sum.

Novit Filium. Id est, *Quis sit Filius*, ut explicat Lucas c. 10. v. 22. Videtur autem Christus alludere ad illud Proverb. 30. v. 4. *Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus, dic, si nosti?*

Nisi Pater. Supple, & cui voluerit revelare Pater. Sic Petrus novit quis esset Filius, quia quod secretum caro & sanguis revelare non potuit, Filii Pater qui in cœlis est per gratiam cœlitùs inspiravit, ut dicitur infrà c. 16. v. 17. Particula exclusiva, *nisi*, hoc loco minimè à notitia Patris & Filii Spiritum-Sanctum excludit, sed tantùm creaturas omnes, hoc est, quidquid ejusdem cum Patre & Filio essentiæ non est; est autem Spiritus-Sanctus ejusdem essentiæ cum Patre & Filio, unde & ab Apostolo ipsi Spiritui-Sancto tribuitur perfectissima Dei Patris cognitio, 1 Cor. 2. v. 11. quippe qui est in ipso Patre. Fallacia igitur esset ex ignoratione figuræ dictionis, & phraseôn Scripturæ, si quis argumentaretur à particulis exclusivis in loco præsenti & in loco laudato Pauli ad personas sanctissimæ Trinitatis; alioquin

apud

apud Paulum à notitia Dei Patris excluderetur Filius, quia ait Paulus: *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*; imò & hîc & apud Lucam Filius & similiter Pater excluderetur à cognitione sui, quia dicitur: *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Intentum itaque Scripturæ est particulis istis exclusivis, non omnia simpliciter, sed illa tantùm excludere, quorum causâ instituta est oratio, & quæ cum altera parte comparantur. Sic apud Paulum mortalium omnium causâ institutus est sermo de sapientia Evangelii in mysterio abscondita; eam scilicet absconditam esse omnibus hominibus, ita ut nisi Spiritus-Sanctus eam revelet, ipsam percipere nequeant, quia solus Spiritus novit quæ sunt Dei. Quis ibi non videat hac dictione (*nemo*) non excludi Filium, qui non cum Spiritu confertur, cùm de Deo nullus ibi sit sermo, sed de solis hominibus, qui ibi cum Spiritu Dei comparantur. Sic & Christus de hominibus propriè loquens, quorum causâ in mundum venerat, ut illis Patrem, Patrisque voluntatem revelaret; hoc illis esse necessarium dicit, quia nemo, scilicet horum hominum novit Patrem, nisi per revelationem Filii. Non venit autem Christus ut doceret Spiritum-Sanctum, sed homines, proinde minimè Spiritus-Sanctus a notitia Dei excluditur. Est igitur semper spectandum quanam de re agatur, & quænam inter se conferantur. Quare certum est quotiescunque in Scripturis aliqua divinæ illius essentiæ persona creaturis, fictitiisve diis opponitur, tunc reliquas Deitatis personas minimè ab ea re, quâ persona illa à creaturis distinguitur, sive ea res sit scientia, sive Deitas, sivè aliud quidpiam ad essentiam Dei pertinens, excludi.

28. *Venite.* *Nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis. Ipse namque ait: Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Et paulò post: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. In corde ergo esse gressus insinuat, quando & ut veniamus vocat, & tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denunciat.* B. Greg. 21. Moral. c. 4.

Ad me. Supple, cui soli est datum præstare quietem venientibus ad se, quam mundus dare non potest.

Omnes. Ne quis dicat se non audere ad Christum unum mediatorem Dei & hominum accedere, & Romanensium instar ad Sanctos confugiat, Christus omnes ad se vocat.

Qui laboratis & onerati estis. Scilicet, peccatis, ærumnis, sollicitudinibus, & Legalibus sarcinis, quas neque vos potestis, neque patres vestri portare potuerunt.

Reficiam

Reficiam vos. Id est, vos exonerabo & in perfecta quiete constituam.

29. *Tollite jugum meum.* Jugum Christi est ipsius Evangelium, quod Judæos & Gentes in unitate conjungit; hoc autem secundum Rabbanum jubemur tollere, seu super nos sumere, id est, in honore habere, ne fortè subtùs ponentes, id est, illud pravè contemnentes lutulentis pedibus vitiorum conculcemus.

Discite à me. Id est, disciplinam meam subite, quia non tyrannus, sed benignus & mansuetus sum accedentibus ad me. Ita author operis imperfecti apud Chrysostomum. Communiùs tamen, *à me*, exponitur, exemplo meo. Signanter dicit, *à me*, quem Prophetæ & Apostoli & medius inter eos Præcursor Joannes sub agni typo exhibent. *A me*, cui licèt data sit omnis potestas in cœlo & in terra, & penes me habeam plusquam duodecim Angelorum legiones, quorum unus posset omnes hostes meos dissipare & pessumdare, tamen non veni ut ministrer, sed ut ministrem & dem animam meam redemtionem pro multis. *A me*, qui sum leo tribûs Juda, mirâ metamorphosi ex leone factus sum agnus innocentiâ, lenitate, humilitate & patientiâ. *A me*, in quo ænigma Samsonis abunde impletum est, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo:* carne enim meâ vos alam, sanguine potabo, lavabo, redimam, lanâque meâ induam, imo me ipso vos induam. Hinc Christum induere dicimur Rom. 13. v. 14. & Gal. 3. v. 27. & vestes albas à Christo accipere, quibus nuditatis nostræ confusio obtegatur, Apoc. 3. v. 18.

Humilis corde. Ad hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionúmque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditionis nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemtionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemtor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. B. Greg. 24. Mor. cap. 22.

Invenietis requiem animabus vestris. Id est, quietem, quam percipere in æternitate desideratis, in tempore per tranquillitatem mentis degustabitis.

30. *Jugum enim meum suave est & onus meum leve.* Jugum est instrumentum illud, quo boves alligantur, ad trahendum

dum aratrum, aut currum: hìc metaphoricè designat Legem Christi Evangelicam, quæ Christianis suavissima ac maximè commoda redditur, quia cordi inscribitur, & Spiritus-Sanctus vires præbet efficacissimas ad eam implendam, certáque præstat, ac ampla implentibus eam præmia.

CAPUT. XII.

1. *Sabbato.* Scilicet propriè dicto, sive die septimo hebdomadæ; nam illo tantùm & expiationis die nihil operis facere, non solùm servilis, sed neque necessarii ad parandos cibos licebat Judæis, ut videre est Exod. 35. & Levit. 23. Hoc autem Sabbatum, quo præsens historia contigit, appellatur Luc. 6. v. 1. δευτεροπρωτῳ, *secundo-primum*, quòd, ut docet Josephus Scaliger 6. de emendat. temp. cap. 6. Paschatis diem secundum proximè sit secutum, à quo secundo die numerabantur septem hebdomades usque ad Pentecosten, ita ut prima hebdomas vocaretur secundo-prima, & ejus Sabbatum secundo-primum; secunda hebdomas vocaretur secundo-secunda, & ejus Sabbatum secundo-secundum, & sic deinceps. Certum atque indubitatum Scaligeri fundamentum est in verbis Mosis Levit. 23. v. 15. ubi jubet Dominus intervallum, quod inter secundam Paschatis diem & sextam mensis סיון interjectum est, & à Græcis Pentecoste dicitur, numerari ἀπὸ τῆς ἀυτίεως τῦ πάσχα τος. Quia verò secundà Paschatis die, ut dicitur Levitic. 23. v. 15. offerebatur Deo עומר, id est, manipulus primitiarum, ipsa dies secunda Paschatis decima sexta mensis ניסן dicta est *Omer*, & numerum intervalli, quod inde ad festum Pentecostes numeratur, hodiéque Judæi vocant æram עומר.

Cæperunt vellere spicas. Hoc in agris alienis facere permittitur Deut. 23. v. 25.

2. *Dixerunt ei.* Nempe, Christo. Luc. 6. v. 2. habetur: *Dixerunt illis:* nempe Christi discipulis. Verùm à diversis & ipsi Domino & discipulis hæc potuerunt objici, & cuicunque sint objecta, ad ipsum Dominum maximè respiciunt.

3. *Quando esuriit.* Marc. 2. v. 25. *Quando necessitatem habuit*, supple, similem necessitati meorum discipulorum.

Et qui cum eo erant. Hinc & ex Luc. 6. v. 4. patet Davidem

dem in hoc non fuiſſe mentitum, quòd 1 Sam. ſeu, Reg. cap. 21. Achimelecho interroganti, *Quare tu ſolus & nullus eſt tecum*, reſponderit *Pueris condixi in illum & illum locum.*

4. *Intravit in domum Dei.* Id eſt, in atrium Tabernaculi; nec enim laicis, qualis erat David, ſed ſolis Sacerdotibus licebat ingredi Sanctum, & ſoli ſummo Pontifici ſemel in anno Sanctum Sanctorum. Porrò Tabernaculum fuiſſe tum in civitate Sacerdotum Nobe patet ex 1 Sam. ſeu, Reg. 21. v. 7. Arca tamen tunc erat, non in Silo, ut putat Maldonatus, ſed in domo Abinadab Cariathiarim, ut conſtat ex 1 Sam. ſeu, Reg. 7. Quòd autem Marc. 2. v. 26. David dicitur introiiſſe domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum, id eſt, ſummo Pontifice, cùm tamen id ſub Achimelecho contigiſſe narretur 1 Sam. ſeu, Reg. 21. cujus filius erat Abiathar; ratio eſt quia pater & filius binomines erant, ut colligi poteſt ex 2 Sam. ſeu, Reg. 8. v. 17. 1 Paralip. 18. v. 16. & 24. v. 6. ubi filius appellatur Achimelech, ſeu Abimelech, & pater Abiathar. Scribit doctiſſimus Iprenſis Epiſcopus Janſenius, dum hæc hiſtoria contigit, Arcam fuiſſe in Gabaa; ſed Joannes Tarnovius in Exercit. Biblicis meritò negat Arcam unquam ſubſtitiſſe in Gabaa. Nam Abinadab, in cujus domum tranſlata eſt Arca ex oppido ſacerdotali Bethſames, non habitabat in Gabaa, quæ eſt civitas in tribu Benjamin, ut dicitur Judic. 19. & 1 Sam. ſeu, Reg. 22. ſed in Cariathiarim, ut patet ex 1 Reg. ſeu, Sam. 6. v. 21. 7. v. 1. & 2. 1 Paralip. 13. v. 6. Cariathiarim autem (quæ & alio nomine Joſue 15. v. 60. & 18. v. 14. Cariathbaal, & 1 Paralip. 13. v. 6. in textu Hebræo בעלה dicitur) ſita erat in tribu Juda, ut diſertè traditur in locis mox citatis; unde 2 Regum ſeu, Sam. 6. v. 2. appellatur בעלי יהודה, cujus proprii nominis ibi Vulgatus exhibet interpretamentum, vertens Hebræum *Mibaale-Juda*, *de Viris Juda*: quod ne obſcuritatem pariat, vocabulum *Viris* ſcribendum eſt ibi principe literâ majuſculâ; atque ita David qui dicitur 1 Paralip. 3. v. 6. in textu Hebræo contendiſſe cum toto Iſraële בעלתה, (Vulgat. *ad collem*) quæ eſt Cariathiarim, ut Arcam inde in Sionem aveheret, deſcribitur 2 Regum ſeu, Sam. 6. v. 2. egrediens è Baala, ad quam contenderat cum toto Iſraële, ut Arcam abduceret. Hinc, licèt vox גבעה alibi ſit nomen urbis, tamen 1 Regum ſeu, Sam. 7. v. 1. ubi viri Cariathiarim dicuntur intuliſſe Arcam in domum Abinadab בגבעה, & ſimiliter 2 Reg. ſeu, Sam. 6. v. 3. & 4. ubi idem dicitur, juxta primariam ſuam ſignificationem pro *colle* accipitur, unde & LXX. vertunt ἐν τῷ βουνῷ, ſic & Chald. & alii. Germanus frater meus Ludovicus

vicus de Compiegne de Veil Doctor Artium, in notis ſuis ad Tractatum de ædificio Templi c. 1. exiſtimat urbem Cariathiarim in clivo fuiſſe ſitam, *ex quo fiebat* inquit, *ut pars ejus ſuperior, quæ fortaſſis arx erat, Gaba, ſeu Gabaa nominaretur; quippe quæ vox Hebraica collem, ſeu locum præcelſum atque eminentem ſonat. In hac urbis ſuperiori parte habitabat Abinadab, ad quem Arcam de Bethſamitis reportarunt incolæ Cariathiarim.*

Panes propoſitionis. Sic vocati ſunt, non quia ponebantur in menſa, ſed quia ponebantur coram Domino; quos enim LXX. vocant panes propoſitionis, Hebraica veritas vocat לחם הפנים, *panem facierum*, id eſt, ante faciem, ſeu conſpectum Arcæ, quæ præſentiam Domini ſignificabat. In epiſtola ad Hebræos 9. v. 2. per Hypallagen *propoſitio panum* vocantur *panes propoſitionis*. Rationem verò, quam dixi, Dominus ipſe Moyſi præcipiens aſſignat. Exod. 26. ubi enim Vulgat. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper:* Hebraicè habetur ad verbum: *Et dabis ſuper menſam panem facierum ad facies meas jugiter.* Quod quidam volunt fuiſſe dictos panes facierum, eo quòd ordine duplici collocati ſe mutuò reſpicerent, præter Scripturam dicitur.

Niſi ſolis Sacerdotibus. Id eſt, ſed ſolis Sacerdotibus; ſic enim paſſim particula (*niſi*) non ſumitur exceptivè, ſed adverſative. Sic, ut alia loca omittam, 4 Reg. 5. dicit Naaman Syrus ad Eliſæum: *Non faciet ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino*: Id eſt, ſed Domino. Cicero lib. 13. Epiſt. fam. epiſt. 73. *De re nihil poſſum judicare, niſi* (hoc eſt, ſed) *illud mihi certè perſuadeo, te talem virum nihil temerè feciſſe.* Jam ut ad ſeriem Evangelici contextûs redeamus, dicimus Chriſtum quatuor argumentis purgare diſcipulos ſuos.

Primum eſt. Qui invictâ neceſſitate legem violat poſitivam, à peccato excuſatur, ut patet exemplo Davidis. *Neceſſitas*, inquit Seneca, *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium. Quicquid cogit, excuſat*: atqui diſcipuli mei invictâ famis neceſſitate legem poſitivam de Sabbato violaverunt, ergo à peccato excuſantur.

Secundum eſt. Qui violat legem communem poſitivam, ut obſervare poſſit legem magis particularem ab eodem Legiſlatore ſibi præſcriptam, excuſatur à peccato; ſic Sacerdotes ſine crimine violant Sabbatum in Templo, ut impleant miniſterium ſibi præſcriptum, Num. 28. v. 9. Atqui diſcipuli mei violaverunt Sabbatum vellendo ſpicas, ut earum grana fame coacti comederent, ſícque mihi, qui dignior ac ſanctior Templo ſum, præceptum illis miniſterium in prædicando

dicando regno Dei possent exhibere, ergo à peccato excusantur.

Tertium est. In illa occasione legis positivæ violatio excusatur à peccato, in quâ ejus observatio contraria est humanitati; Deo enim magis misericordia placet, quàm sacrificium, id est, quilibet cultus externus; atqui in hac occasione, cùm scilicet discipuli famelici per sata ambularent Sabbato, non avellere spicas ut fami cogenti subvenirent, Sabbati observatio fuisset contraria humanitati, ergo in hac occasione Sabbati violatio excusatur à peccato.

Quartum est. Illa legis positivæ violatio est sine crimine, quæ fit ad servandam illius vitam, cujus causâ lex lata est; atqui lex de Sabbato sanctificando lata est hominis causâ, seu, ut Marcus loquitur cap. 2. v. 27. *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum: Itaque dominus est filius hominis etiam Sabbati*, q. d. Unde homo, qui Hebraismo Scripturæ familiari vocatur בן אדם, habet Sabbatum in sua potestate, ut possit pro vita sua conservanda illud violare, præferens, ut decet, legis διάνοιαν τῷ ῥητῷ. Ergo sine crimine discipuli mei fame pressi ad vitam suam servandam Sabbatum violarunt.

7. *Sciretis.* Id est, animo impressum haberetis; non enim tam ignorantiæ speculativæ, quàm practicæ Pharisæos redarguit Dominus.

9. *Venit.* Supple ex Luc. 6. v. 6. *in alio Sabbato.*

10. *Manum.* Supple ex Luc. 6. v. 6. *Dexteram.* Prætermittit Matthæus, quod Lucas & Marcus narrant Christum dixisse habenti manum aridam, *Surge & sta.*

Licet Sabbatis curare? Christus ut propositam à Pharisæis quæstionem solveret, aliam eis quæstionem proposuit, quam referunt Marc. 3. v. 4. & Luc. 6. v. 9. *Licet Sabbatis benefacere, an male?* innuens tacitè eum malè facere, qui non benefecerit proximo, cùm possit & debeat.

11. *Ipse autem.* Supple ex Marc. 3. v. 4. Pharisæis tacentibus.

12. *Magis melior.* Pleonasmus Scripturæ familiaris. Sic suprà, c. 6. v. 26. *magis pluris*, &c.

Benefacere. Id est, beneficentiæ opera exercere; neque enim Pharisæi negabant quæcumque bona opera fieri posse die Sabbati, ut orare, sacrificare; sed ea quæ impendebantur proximis, quamvis officia beneficentiæ forent. Hæc autem fieri posse Sabbato probat Christus à minori ad majus, scilicet ex eo quòd ovem fortè delapsam in foveam non dubitarent extrahere etiam in Sabbato.

13. *Tunc.* Supple ex Marc. 3. v. 5. *Circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.* Vera fuit ira in Christo; & notandum aliter in nobis, aliter in Christo, aliter in Deo iram esse. In nobis ira est perturbatio obnubilans & præveniens frequenter rationem, mentisque quietem conturbans. In Christo est affectus appetitûs irascibilis plenè subjectus rationi, atque à ratione imperatus, quo insurgit contra peccatum hominis tanquam punitione & vindictâ dignum. In Deo ira figuratè ponitur; irasci enim dicitur quando id facit, quòd homines irati solent, id est, cùm punit, & vindicat; sicut pœnitentiâ duci dicitur, quando opus suum destruit, quod solent homines, operis pœnitentiâ ducti.

Ait homini. q. d. *Non ego te tango, ne habeant Judæi quod calumnientur, ne attingere illis idem sit ac operari; quod si verbum opus efficax, admirationi sit ille, qui hoc verbum dixit: Extende manum tuam.* Athan. Hom. de Semente. *In Evangelio* (inquit hîc B. Hier.) *quo utuntur Nazareni & Ebionitæ: quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus & quod vocatur à plerisque Matthæi authenticum, homo iste qui aridam habet manum cæmentarius scribitur ejusmodi verbis auxilium precans: Cæmentarius eram manibus victum quæritans: precor te Jesu ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.*

14. *Exeuntes.* Scilicet, è Synagoga.

Pharisæi consilium faciebant. Supple ex Marc. 3. v. 6. *cum Herodianis*, quos aiunt fuisse corycæos & emissarios Herodis, qui quid à singulis diceretur sedulò explicarentur.

Perderent. Id est, occiderent.

Sciens. Id est, virtute divinâ secretas Pharisæorum cogitationes cognoscens.

Recessit inde. Supple, ad mare Galilææ. Vide Marc. 6. v. 7.

Curavit eos omnes. Qui, scilicet, sanatione egebant, quos multos fuisse dicit Marc. 3. v. 10.

18. *Ecce puer.* Id est, servus. *Non solùm in præsenti loco, sed ubicumque de veteri Instrumento Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerunt, diligentiùs observandum est non eos verba secutos esse, sed sensum, & ubi Septuaginta ab Hebraico discrepant, Hebraum sensum suis expressisse sermonibus. Puer igitur Dei omnipotentis juxta dispensationem carnis assumptæ, quâ ad nos mittitur, Salvator est appellatus, ad quem & in alio loco dicit Pater: Magnum mihi est vocari puerum meum, ut congreges tribus Jacob; hoc est vinea Sorec, quæ interpretatur, Electa; hic est Filius amantissimus, in quo sibi benè complacuit anima Dei; non quòd Deus animam habeat, sed quòd in anima omnis Dei monstretur affectus; & non*

mirum

nimus si in Deo anima nominetur, cum universa humani corporis membra secundum legem Theologiæ & diversas intelligentias habere dicatur. Hieron. Epist. 151. ad Algasiam q. 2.

Ponam Spiritum meum super eum. Q. d. Non super eum ficut super omnem carnem effundam de Spiritu meo, quasi ad mensuram, sed Spiritum meum, seu plenitudinem Spiritus, *quasi principium quoddam universale*, ut loquitur D. Th. ex quo procedit & profluit in membra Ecclesiæ omnis varietas donorum Spiritus-Sancti.

Judicium gentibus manifestabit. Id est, omnes gentes judicabit; non enim Pater judicat quemquam per præsentiæ suæ manifestationem, sed omne judicium dedit Filio secundum visibilem judicis majestatem exercendum.

19. *Non contendet, &c.* Significatur Christi mansuetudo, & in docendo lenitas, & benignitas. Hæc autem de causa hoc Esaiæ testimonium profert Matthæus.

Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Non est hoc contrarium ei quod Luc. 13. v. 26. dicitur quo fidem dicturos Domino: *in plateis nostris docuisti*; non enim Esaias negat Christum in plateis docturum, qui prout occasio ferebat passim docebat, vel in Templo, vel in Synagoga, vel in plateis, vel in deserto, vel in navi, vel in via; sed prædicit Christi mansuetudinem, animique moderationem & tranquillitatem, ut qui clamosus & contentiosus futurus non esset; talium enim est vox, licet intus in domo sint, foris atque in plateis audiri solet.

20. *Arundinem quassatam.* Id est, jam frangi cœptam.

Linum fumigans. Id est, cilychnium lucernæ extinctionis proximum.

Non extinguet. Supple, תרצה, &c. more Hebræorum. Vide supra c. 4. v. 15. His autem adagialibus locutionibus incredibilis Christi humanitas, & in omnes lenitas exprimitur.

Donec ejiciat ad victoriam judicium. Id est, donec proferat judicium illud ultimum, quo adversarios suos vincat. Quasi diceret, usque ad consummationem seculi. In textu Esaiæ cap. 42. v. 2. habetur: *Donec ponat in terra judicium.*

21. *In nomine ejus gentes sperabunt.* Id est, in Christo Salvatore omnes spes suas collocabunt. *Apud Hebræos* (inquit Hier.) *legitur: In lege ejus sperabunt insulæ: sed Mambem sensum pro verbi quidem varietate interpretans, pro lege & insulis omnes posuit & gentes.* Hanc autem Esaiæ Prophetiam tam Chaldæus Paraphrastes, quam cæteri Judæi de Christo, seu de Messia accipiunt, soli LXX. de Jacob exposuerunt, unde Evangelista,

dimissâ eorum interpretatione, quasi Hebræus ex Hebræis, & in Lege Domini doctissimus, ea gentibus protulit, quæ in Hebræo legerat. Ita Hieron. Epist. ad Algasiam 151. q. 2.

22. *Tunc.* Hæc vox non pertinet hîc ad tempus rei proximè narratæ, non enim in secessu, sed in domo coram Pharisæis contigit sequens historia, ut colligitur ex Marc. 3. v. 20, 21, & 22. simul collatis. Licèt autem Marcus non faciat mentionem demoniaci cæci & muti, & Luc. c. 11. v. 14. reticeat dæmoniacum fuisse cæcum, ex iis tamen verbis, in quibus Matthæus, Marcus, & Lucas conveniunt, sicut in historiam consequentibus, patet eandem historiam ab illis tribus enarrari.

Oblatus est, &c. Ab hoc insigni miraculo redit Matthæus ad continuandam narrationem eorum quæ post secundum Christi è Judæa in Galilæam reditum contigerunt, cùm horum pleraque anticipasset; Lucas verò idipsum seriùs narrat, nimirum post missionem septuaginta discipulorum, ita verò ut nullam cohærentiam significet.

Cæcus & mutus. Non naturæ vitio, sed dæmonis maleficio; unde Luc. 11. v. 14. ipsum dæmonium dicitur mutum, scilicet effectivé.

Curavit eum. Supple ex Luc. 11. v. 14. à dæmonio.

23. *Stupebant omnes.* Quia ut dicitur Marc. 1. in potestate spiritibus immundis imperabat, & obediebant ei.

24. *Beelzebub.* Deum Accaronitarum, sic dictum volunt Græci Patres, quasi Deum muscam, quòd nimirum ille Deus muscæ habuerit imaginem; sed multò probabiliùs Beelzebub dictus est, ut Latini Patres volunt, quasi Princeps muscarum, adeo ut, *Zebub*, non sit in Nominativo, sed Genitivo casu; quòd nimirum, hic Deus muscas abigeret à suo Templo. In textu autem Græco idem appellatur in Evangelio *Beelzebul*, quasi Dominus stercoris, seu Deus stercoreus, quod probabiliter est nomen interpolatum à posterioribus Judæis contemtûs causâ. Illud autem maximè notandum est, Pharisæos hîc & Luc. 11. v. 15. *Beelzebub*, seu *Beelzebul* dæmonum Principem asserere, qui Hebræorum aliis est *Asmodæus*.

Principe dæmoniorum. Quatuor sunt dæmonum principis nomina in Scripturis, *draco*, *serpens antiquus*, *diabolus*, & *satanas*, & à Scripturæ consuetudine recedunt, qui omnes dæmones, quos Scriptura passim *dæmonia* vocat, diabolos appellant. Multi etiam è veteribus diabolum, hoc est, dæmoniorum principem, vocant zabolum, à verbo ζαβάλλειν, quod idem est ac διαβάλλειν, unde diabolus, id est, decipere, calumniari.

Sciens

Scicus cogitationes. Nempe, ex quibus prodiret ſiniſtra illa interpretatio Phariſæorum, *quibus Dominus non ad dicta, ſed ad cogitata reſpondit: ut vel ſic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordia videbat occulta.* B. Hier.

26. *Si ſatanas ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt.* In his verbis non ſignificantur diverſi dæmones, quorum alter alterum ejiciat, ſed unus & idem dæmonum princeps qui ſeipſum ejiciat, unde dicitur: *Adverſus ſe diviſus eſt:* & apud Lucam habetur, *Si autem & ſatanas in ſeipſum diviſus eſt.* Dicitur autem ſe ipſum ejicere, ſi ſuos miniſtros, per quos exequitur ſui regni negotia, ejicit; ſicut Rex ſeipſum ejiceret, ſi miniſtros ſuos, ſine quibus populum in officio continere non poteſt, ejiceret. Itaque ex hoc loco non poteſt ſtatui quòd nomen ſatanæ inferioribus etiam dæmonibus in Scriptura tribuatur, & non ſoli dæmoniorum principi.

27. *Filii veſtri,* &c. Non Apoſtoli hîc intelliguntur, qui à Phariſæis unà cum Chriſto accuſabantur, ſed Exorciſtæ Phariſæorum diſcipuli, qui ex more ad invocationem Dei ejiciebant dæmonia. *Altiſſimi & omnipotentis appellationi omnia ſubjecta ſunt: & hujus invocatione etiam ante adventum Domini noſtri ſalvabantur homines, & à ſpiritibus nequiſſimis, & à dæmoniis univerſis..... Et propter hoc Judæi uſque nunc hac ipſâ advocatione dæmonas effugant, quando omnia timent invocationem ejus, qui fecit ea.* B. Irenæus lib. 2. cap. 5.

28. *In Spiritu Dei.* Lucas digitum Dei dicens, ubi Matthæus Spiritum Dei dixit, docet quemadmodum intelligamus, ubicunque in Scriptura legerimus digitum Dei.

Igitur pervenit in vos regnum Dei. q. d. Ergo verum eſſe teſtatur miraculis Spiritus-Sanctus appropinquaſſe & veniſſe regnum Dei, ſicut ego, Joannes Baptiſta, & Apoſtoli mei prædicavimus.

29. *Aut.* Id eſt, alioquin, niſi hæc vera ſint.

Vaſa. Hebraiſmus, id eſt, quidquid eſt ſupellectilis.

Alligaverit forſitan. Id eſt, refrænaverit ejus potentiam & vires imminuerit. Alludit autem Chriſtus ad illud Eſaïæ 49. v. 24. *Numquid tolletur à forti præda,* &c. Niſi ergo priùs vincat diabolum, & alliget, quomodo vaſa ejus, id eſt, à diabolo, quoad animam, vel quoad corpus poſſeſſos diripiet & direptos Deo ejuſque Eccleſiæ adunabit? Hinc præclarè Aug. Ep. 107. *Mediator intrat in domum fortis, id eſt, in hoc ſeculum mortalium ſub poteſtate diaboli, quantùm ad ipſum pertinet, conſtitutum. De ipſo quippe ſcriptum eſt, quòd poteſtatem habeat mortis: intrat in domum fortis, id eſt, in ſuo dominatu habentis genus humanum, & priùs alligat eum, id eſt,*

ejus coërcet & cohibet potestatem potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa ejus quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus potestate liberans, ut illo non impedimento credant in ipsum liberâ voluntate.

30. *Qui non est mecum, &c.* Id est, qui mihi per fidem non conjungitur, is mihi contrarius est. Hac sententiâ Christus Pharisæos nec miraculis suis, nec doctrinæ suæ credentes fugillat. Huic sententiæ è diverso respondet alia Christi sententia Luc. 9. v. 50. *Qui non est adversum vos, pro vobis est*, vel ut Græcâ & Latina multa exemplaria habent *nos, nobis*: sensus est; Quicunque non est nobis seu vobis contrarius, is per fidem nobis seu vobis conjungitur, etiamsi corporaliter non adunetur. Quibus verbis Christus innuit neminem sine aliqua fide in ipsum posse in ipsius nomine dæmonia ejicere, vel alia miracula facere, unde Marc. 9. v. 38. *Nemo*, inquit, *est, qui faciat virtutem*, id est, aliquod miraculum, *in nomine meo, & possit citò*, id est, facilè, *malè loqui de nomine meo*, id est, de authoritate mea detrahere, mihi seu prædicationi Evangelii mei adversari. Et in Actis Apostolorum, filii Scevæ principis Sacerdotum, tentabant ejicere dæmonia invocato Jesu, quem Paulus prædicabat, ut dicitur Act. 19. v. 13. & 14. Constat autem ex utraque Christi sententia, nihil esse medium inter hæc duo, esse cum Christo, & esse contra Christum. *Non est ullus ulli locus medius ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, inquit Aug. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 28.

Qui non congregat mecum. Id est, qui congregat homines, sed non mecum, seu non ita, ut mihi adhæreant, sed sibi, ut Pharisæi & Hæretici omnes.

Spargit. Ut enim, ait Aug. lib. 2. de baptismo contra Donatistas, c. 31. *Spargunt oves Christi, qui eas ad mortem suorum labem pravâ imitatione perducunt.*

31. *Ideo.* q. d. Cùm constet me non diabolicâ virtute, sed in Spiritu Dei, ejicere dæmonia; primòquidem per hoc quòd satanas contra seipsum non dividitur; deinde exemplo aliorum qui dæmonia ejiciebant per Spiritum Dei: tum quia dæmonium expellere non possem, nisi ipsum vicissem virtute divinâ; postremò quia nulla convenientia in operibus nec in effectu est mihi & satanæ, cùm satanas dispergere cupiat, quos ego collecturus adveni.

Dico vobis. Id est, apertè declaro.

Blasphemia remittetur. Id est, verbum in contumeliam Dei prolatum, est remissibile, quia utcunque excusabile.

Spiri-

Spiritûs autem blasphemia. Id est, blasphemia, quâ quis contra veritatem intus in animo sibi à Spiritu-Sancto (cui veluti proprium officium tribuunt Scripturæ *docere omnem veritatem*) patefactam, ex destinata malitia adinstar Pharisæorum impiè dicere audet ea esse à diabolo, quæ persuasus & convictus in conscientia cognoscit esse opera Spiritûs-Sancti, hoc est, opera divinæ bonitatis, quæ Spiritui-Sancto appropriantur. Hunc esse genuinum hujus loci sensum patet ex Marc. 3. v. 30.

Non remittetur. q. d. Irremissibilis est, seu, non habet in se unde remittatur, quia nullâ ratione excusari potest; unde rarissimè Deus talibus gratiam pœnitentiæ impertit.

32. *Quicunque dixerit, &c.* Clarius mox à se dicta explicat Christus.

Verbum. Supple, contumeliosum.

Qui autem dixerit. Scilicet, sciens & volens ex destinata malitia.

Contra Spiritum-Sanctum. Supple, in cujus virtute Filius hominis operatur.

Neque in hoc sæculo neque in futuro. Hoc est, *in æternum*, ut loquitur Marcus c. 3. v. 29. Ut enim ait Aug. Ser. 11. De verbis Domini c. 8. *Aliis verbis, & alio loquendi modo eadem ipsa est expressa sententia.* Proverbialem locutionem à Matthæo usurpatam Drusius sub Lege natam censet, dum Hebræi Legis tempus vocarunt *hoc*, id est, præsens, *sæculum*, & tempus Messiæ *futurum sæculum*, quo credebant remissum iri omnia peccata. Hinc ab Angelo dictum suprà c. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

33. *Aut facite.* Reprehendit hîc Christus Pharisæorum hypocrisim, quòd cùm arbor bona videri vellent, malos tamen fructus facerent: aut cùm mala arbor essent, bonos videri vellent fructus facere, jubétque aut apertè malos, aut apertè bonos esse. q. d. Non oportet esse tepidos in negotio pietatis: aut serio cum Deo esse agendum, aut planè abeo discedendum; non enim habet opus hypocrisi, non amat tepidos illos, oportet esse calidum, aut planè frigidum: proinde vobis optionem offerens dico, Estote ingenui, & palam boni; sin id non placeat, apertè præstat esse malos. Quid opus istâ claudicatione? Simile est Eliæ dictum ad Israëlem, 3 Reg. 18. v. 21. *Usque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si Baal, sequimini illum.* Et quod Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scriptum, Apoc. 3. v. 15, & 16. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam*

frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

34. *Progenies*, &c. *Pharisæos ostendit arborem malam, & tales afferre fructus blasphemiæ redundantes, qualia habeant semina diaboli.* B. Hier.

Quomodo poteritis. Supple, facilè; magis enim difficultatem, quàm impossibilitatem significat Christus, & familiari proverbio confirmat. Nam, ut ait Sanctus Prosper in responsione ad sextam objectionem Vincentianam, *Multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum; sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.*

Ex abundantia enim cordis. Cor in Scripturis figuratè, sed usitatissimè nunc intellectum, nunc voluntatem, ut hîc, significat, quod facilè dignoscitur per adjuncta.

Loquitur. Id est, loqui solet.

35. *Bonus homo*, &c. q. d. Homines id quod maximè ipsis intùs allubescit, libenter ex cordis penu reconditum depromunt: & quidem si boni sint, bona; si verò mali sint, mala.

36. *Dico*, &c. Ostendit Christus argumento à minori ad majus, quale judicium de Pharisæorum blasphemiis contra Spiritum-Sanctum sit ferendum.

Omne verbum otiosum, &c. Syntaxis Hebraica, quâ nominativus redundat. Judæorum Doctores eò procedebant fastus & arrogantiæ, ut pronuntiare auderent etiam מימרה בטלה *otiosum sermonem* Doctoris profecturum discipulis. De hoc inter cæteros Kimchius ad Ps. 1. Definitur autem verbum otiosum à B. Hier. hîc, *Quod sine utilitate & loquentis dicitur & audientis.* A B. Greg. Mag. Hom. 6. in Evang. *Quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret;* & 3. p. Pastoralis admon. 15. *Quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.* Denique à B. Bern. in Serm. de triplici custodia manûs, linguæ, & cordis, verbum otiosum definitur, *Quod nullam rationabilem causam habet.*

37. *Ex verbis enim tuis.* q. d. Non ex operibus tantùm, sed etiam ex verbis tuis justus aut reus declaraberis in die judicii, prout judicis examen de te feret.

Justificaberis. Varia est in Scripturis justificationis acceptio. 1. Justificari dicitur propriè, qui ex injusto fit justus, & justificare qui ex injusto facit justum. Hinc verbale justificatio, est motus seu transitus ab injustitia ad justitiam. 2. Justificari est justitiam conservari, augeri, perfici, quod vocari solet justificatio secunda; hinc & bona opera & Dei præ-

præcepta, quorum exercitio ſolet augeri & conſervari juſtitia. juſtificationes in Scripturis dicuntur. 3. Juſtificari eſt juſtum oſtendi, prædicari, declarari; quo ſenſu in præſenti verſiculo accipitur. Ab hac ſignificatione non longè recedit, dum quandoque ſignificat defendi, excuſari; unde & juſtificatio Job. 27. pro apologia ſumitur.

Condemnaberis. Id eſt, reus pronuntiaberis, ſeu punieris.

38. *Tunc*, &c. Multò magis cohæret narratio Matthæi, quam Lucæ; veriſimilius enim eſt hanc primam ſigni petitionem contigiſſe eo ordine, quo à Matthæo narratur, nempe poſt gravem Phariſæorum reprehenſionem de blaſphemia, quàm antè, ut legitur apud Lucam cap. 11. Item cùm dixiſſet Chriſtus Jonam fuiſſe ſignum Ninivitis, potiùs videtur primò ſubjeciſſe comparationem Ninivitarum, ut apud Matthæum, quàm Reginæ Auſtri, ut apud Lucam legitur.

Quidam. Diverſi ſcilicet ab iis, quorum jam calumniam confutarat, ut patet ex Luc. 11. v. 15, & 16.

Signum. Supple ex Luc. 11. *de cœlo. Vel in morem Eliæ, ignem de ſublimi venire cupiebant: vel in ſimilitudinem Samuëlis, tempore æſtivo contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere, quaſi non poſſint & illa calumniari, & dicere ex occultis & variis aëris paſſionibus accidiſſe. Nam qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, utilitate ſentis: quid facturus es de his quæ de cœlo venerint? utique reſpondebis, & Magos in Ægypto multa ſigna feciſſe de cœlo.* B. Hier.

39. *Generatio mala & adultera.* q. d. Natio adulterina & degener à fide & moribus Patriarcharum; illi enim in Chriſtum crediderunt venturum, qui hi præſentem & tot miraculis ſe probantem agnoſcere nolunt. Similem ſenſum expreſſit Daniel, c. 13. v. 56. hac phraſi, *Semen Chanaan, & non Juda.*

Signum quærit. Supple, ex Luc. 11. v. 16. *tentans.* Duplici modo tentatur Deus; nonnunquam infirmitate fidei, quæ ſentiens ſe labaſcere, confugit ad miracula quibus fulciatur & ſublevetur: quomodo qui titubat baculum petit quo ſuſtentetur. Nonnunquam etiam inſitâ animi pervicaciâ tentatur Deus ab his, qui non ſolùm increduli ſunt, ſed & prorſus infideles, nec miraculum petunt ut credant, ſed ne credant: quia de Dei potentia & providentia quicquid dicitur inter fabulas rejiciunt, & verbo ejus non acquieſcunt, quin ut futile & abſurdum irrident. Priorum exemplum nonnulli ſtatuunt Gedeonem, Judic. 6. v. 36, 37, & 39. Ezechiam, 4 Reg. 20. v. 8. Poſteriorum exemplum ſunt Scribæ & Phariſæi, qui

ſignum

signum à Christo petebant, quem omnino rejiciebant; neque illis signis contenti, quæ multa & valde illustria in terris ediderat, alia petebant edi cœlitùs quæ ut priora despexissent & insuper habuissent. Venerant enim ad eum tentantes, id est, sperantes sic se aliquid in eo reperturos, unde justæ reprehensionis occasionem acciperent.

Nisi. Hæc particula hîc & alibi passim in Scripturis non exceptivam, sed adversativam vim habet, éstque idem, atque, *sed tantùm.* Petebant enim signum de Cœlo, quale non erat signum Jonæ, sed magis de mari in Jona, vel de terra in Christo. Sensus itaque præsentis versiculi est, Hæc generatio quærit signum de cœlo, at non dabitur ei signum de cœlo, sed tantùm dabitur ei signum in Jona Propheta præfiguratum, quale non quærunt, quia erit eis ingratum. Per id enim manifestè confundetur, & redarguetur eorum ambitio. Signum illud fuit resurrectio Filii hominis. Eundem sensum Marc. expressit c. 8. v. 12. oratione ecliptica juxta phrasim Hebræis usitatissimam, his verbis; *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum!*

40. *In ventre ceti.* Cetum Hebræi iisdem nominibus appellant, quibus draconem, nempe תנין & לויתן, aut ob formæ similitudinem, aut ratione molis, & quia cetus in aquatilibus tantùm præstat, Oppiano teste. Halieut. lib. 1.

Ὅσσον δ' ἐρετμώδων ἐν ἰχθυσὶν ἔξοχα πέφυκε
Quantum in reptilibus præstant virtute dracones.

Cetus vel propriè dicitur, vel impropriè. Cetus propriè dictus est viviparus; non oviparus ut pisces. In ceto insuper corium durum est, caro firma & compacta, ossa solidissima, pulmo etiam & guttur, & vera vox, virga denique maribus, & lac & mammæ fœminis, quibus omnibus caret pisces. Ceti papillæ in mammis receptæ tanquam in vaginis conduntur: unde illas educunt ut lactent catulos suos, ut observavit Scaliger, Exercit. 104. Quò procul dubio respexit Jeremias Thren. 4. v. 3. ubi secundum veritatem Hebraicam habetur, *Etiam cete mammam educunt, ut lactent catulos suos.* Vulgat. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos:* ubi minùs commodè pro *cete* legitur *lamiæ*, cùm lamia piscis mammam non habeat, lamia autem fera, vel fœmina fabulosa sit. Sed & inter se cete multùm differunt; minora sunt, phoca (quæ, licèt sit quadrupes, dicitur ab Homero Odyss. 4. sine pedibus, quòd exiguos pedes habeat: ita in avibus Cypseli dicti sunt apodes à brevitate pedum) hippopotamus, (quem sub

sub nomine Behemoth describi, Job. 40. & 41. egregiè probat doctissimus Bocharius) & delphin; majora, pristis, orca, & balena; rursus phoca & hippopotamus pilos pedésque & collum habent: at balena & delphin corium glabrum, & pinnas pro pedibus, & pro collo fistulam in fronte, quâ de superiori parte trahunt aërem. Porro quia ingens est cetorum moles, qui in vulgo piscium sunt reliquis majores cetacei dicuntur, & in iis qui sunt multò maximi, ut lamiæ, maltha μάλθα (pro quo corruptè Æmilius Portus edidit μάλθων apud Suidam) zygæna (quæ caput jugi, aut, quod idem est, vectis instar habet ex transverso situm, & leviathan dicitur impropriè, quomodo cetus à Græcis, Esa. 27. v. 1.) thynnus (cujus nomen videtur factum ab Hebræo תנין, quo cetus significatur, ut valdè sit verisimile, hanc thynnis appellationem venisse à Phœnicibus, quos thynnorum piscatione celebres cùm alii testantur, tùm maximè Aristoteles in lib. Mirabilium) & alii maximi quique cetaceorum piscium ex usu apud probatissimos autores recepto, licèt impropriè, solent tamen dici esse sine addito. Sic Jonas hîc dicitur fuisse in ventre ceti, cùm tamen non fuerit in ventre ceti propriè dicti; ut enim ceti vastæ sint bellux, tamen gulæ meatus habent angustiores, quàm ut possint solidum hominem transglutire; nempe quot-quot animalia pulmone spirant, iis gulæ meatus coarctari necesse est, quomodo collum in follibus, ut ex iis angustiis spiritus per fauces majore nisu erumpat. Itaque cetus in cujus ventre fuit Jonas dicitur, Jonæ 2. v. 1. *piscis grandis*; nempe is fuit verus piscis, sed ita ingens, ut ratione molis suæ cetis ascribi meruerit, húncque probat doctissimus Bocharius fuisse ex ea canis marini specie, quam carchariam alii vocant ab asperitate dentium & acumine, alii lamiam & lemnam ἀπὸ τῆς ἀγρίου μήνης καὶ λαίμου, à gulæ vastitate.

Tribus diebus & tribus noctibus. Supple, ut postea vivus evomeretur. Est autem Hebraica hæc Scripturisque frequens periphrasis dierum trium naturalium, qui die & nocte, seu luce & tenebris constant.

In corde terræ. Hebraismus, id est, intra terram. Sic Ezech. 27. v. 3. Tyrus, quæ non procul abest à littore, dicitur sita in corde maris.

Tribus diebus & tribus noctibus. Supple, ut inde vivus resurgat. Fuit autem Christus in sepulchro per tres dies naturales Synecdochicè. Synecdochen hanc explicat S. Leo Ser. 7. De resurrectione Domini, dicens de Christo: *Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam triduî moram, tam mirâ celeritate brevisavit, ut dum ad integrum secundum*

dum diem pars primi noviſſima & pars tertii prima concurrit, & aliquantùm temporis ſpatio deceſſerat, & nihil dierum numero deperiret.

41. Condemnabunt. *Non ſententia poteſtate, ſed comparationis exemplo.* B. Hier. Sic Sap. 4. *Condemnat juſtus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs conſummata longam vitam injuſti.* Sic inquit B. Hilarius in Pſ. 2. *Sancti quique intelligendi ſunt eſſe judices terræ, quorum vita atque fides infidelium iniquorumque judicii vice ſit ..... cùm per meritum adeptæ beatitudinis, criminoſorum vitam, ſanctitas comparata condemnet.*

42. *Regina Auſtri.* Periphraſis eſt Reginæ Sabæ; nam Sabæa regio, quæ à Romanis Scriptoribus Arabia aromatifera vulgò vocatur, Arabicè dicitur יָמָן, *jeman*, & cum articulo אַלְיָמָן *aljeman*, id eſt, *auſtrum*, ut teſtantur Aben-Ezra in Dan. 11. v. 6. Nubienſis Geographus Clim. 1. part. 6. Rabbi Benjamin Tudelenſis in Itinerario nuperæ editionis pag. 73, & 82. & Rabbi Abraham Zacuth in libro יוחסין fol. 14. B. & 135. A. Eſt autem regnum Saba ſitum ad Auſtrum Judææ, longóque diſſitum terrarum intervallo, Arabiæ adeóque terrarum extima occupans verſus Mare Rubrum. Quare meritò Sabæorum gens *longinqua* vocatur à Domino apud Joëlem Prophetam, cap. 3. v. 8.

Surget in judicio. Ergo ibi erit diverſitas. Nec mirum, quia ubi vera caro, ibi diſtinctio membrorum & perſonarum; ubi verò talis diſtinctio, procul dubio & Joannes Joannes eſt, & Maria Maria eſt. B. Ambr. in Symb. cap. 43.

Hîc. Adverbium loci, non pronomen intelligas, q. d. *In præſentiarum, inter vos.* B. Hier. ſimiliter ſuprà v. 6. & 41. *Hîc*, adverbium eſt loci non pronomen.

43. *Cùm autem, &c.* Q. d. Cùm quis à diaboli obſeſſione liberatus eſt, diabolus, cui unica quies eſt hominem lædere, inſtar hominis in exilium terræ aridæ & deſertæ relegati fruſtrà locum ubi quieſcat quærit. Atque ita ſtatuit reverti in hominem, quem obſederat, eúmque inveniens virtutibus vacuum, & deturpatum peccatis, (quæ diabolo propter ejus pravitatem ſunt inſtar nitoris & ornatûs, quo delectatur, ſicut porci luto, aliiſque ſordibus) juſto Dei vindicis judicio permittitur regredi, eum conſtanter obſeſſurus cum plenitudine vitiorum, quæ plus nocet homini obſeſſo, quàm ipſa diaboli obſeſſio, ideóque deterior illius viri conditio eſt, quàm fuerat ante ipſius liberationem à diaboli obſeſſione, propter ingratum illius liberationis contemtum.

44. *Septem alios Spiritus.* Sic ſeptem ſpiritus dixit Joannes de Spiritu Dei, Apoc. 1. v. 4. Nempe quicquid in ſuo genere ad plenam menſuram pervenit, eo numero ſignificatur, ut

ut 1 Sam. seu, Reg. 2. v. 5. Es. 4. v. 1. Septem spiritus Glossa Ordinaria hîc interpretatur *plenitudinem vitiorum.* Sic venerabilis Beda in Luc. 11. v. 26. *Per septem malos spiritus, universa vitia designari* ait: *Universitas enim hoc numero aliquoties comprehenditur*, inquit B. Ambros. in Luc. 11. Porro totum hoc exemplum Judæos, aut Judæorum Pharisæos & Scribas spectare declarat sequens clausula:

Sic erit generationi huic pessimæ. Q. d. Sic pejora erunt Pharisæorum & Scribarum, quos suprà v. 39. meritò nominavi generationem malam & adulteram, novissima, quàm priora; multò quippe magis rei sunt Scribæ & Pharisæi in Spiritum-sanctum blasphemi, ex destinata malitia opera, quæ à me in Lege & prophetis promisso Messia in Spiritu Dei fieri, intùs in animo convicti agnoscunt, Beelzebub dæmoniorum principi ascribentes, quàm si veritatis lumen eis in peccatorum suorum poenam nunquam illuxisset; meliùs enim est non agnoscere viam justitiæ, quàm agnitam detinere in injustitia, & falsitatis damnare. Vide 2 Pet. 2. v. 21.

46. *Adhuc eo loquente.* Scilicet mulieri, quæ audiens Christum exclamaverat: *Beatus venter qui te portavit, &c.* ut narratur Luc. 11. v. 27.

Ecce mater, &c. Hunc adventus matris & fratrum, id est, cognatorum Christi Lucas non servans ordinem temporis refert, c. 8. v. 19. post parabolam seminantis.

Stabant foris. Quia non poterant præ turba ad eum adire in domum, in qua ei oblatus est dæmoniacus mutus & cœcus curandus, ut patet ex iis quæ hîc sequuntur, & ex Marc. 3. v. 20. & Luc. 8. v. 19.

48. *Quæ est mater mea*, &c. *Si matrem & fratres eos fecit qui non erant, quomodo negavit eos, qui erant? Sed in semetipso docuit qui patrem aut matrem aut fratres præponeret verbo Dei, non esse dignum discipulum. Nihil magnum, si fidem sanguini* (id est, sanguinis affectui) *præposuit, quem non habebat.* Tert. lib. 4. adversus Marcionem c. 19. *Solet id adimplere Christus, quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nunciatâ matre & fraternitate desereret? Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* Idem in lib. de carne Christi. c. 6.

49. *Extendens, &c.* Formam se ipsum universis agendi sentiendique constituit Christus.

50. *Quicunque fecerit*, &c. *In quo numero profectò etiam ipsam sanctam Mariam benignus inclusit, faciebat enim & illa voluntatem Patris ejus. Ita optimus magister atque divinus & maternum nomen quod ei quasi privatum propriúmque nunciaverant, quia terrenum*

num erat, in comparatione cœlestis propinquitatis abjecit, & eandem cœlestem propinquitatem, in discipulis suis commendaret, quo sibi vnrsum consortio generis cum cæteris sanctis Virgo sancta coheresset efficeret. Et eo ipso salubernimo magisterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, admiculum errori occideret, quo matrem habuisse à quibusdam negatur, alio loco discipulos monuit se se patrem in terris dicant habere, ut quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cujus tamen terrenæ cognationis contemtu, cohortemur eum talium necessitudinum discipulis præberet exemplum. B. Aug. Ep. 38. Lett. de contemtu mundi, quæ epistola à nonnullis tribuitur S. Paulino.

Ipse meus frater & soror & mater est. Has sibi omnes propinquitates in populo quem redemit spiritualiter exhibet, fratres & sorores, habet sanctos viros & sanctas fœminas, quoniam sunt illi in cœlesti hereditate cohæredes. Mater est ejus tota Ecclesia, quia membra ejus, id est, fideles ejus per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus fœcundissimâ charitate, in iis quos parturit donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodò mater est, spiritualiter autem & soror & mater, ac per hoc illæsa virgo fœmina, non solum spiritu, verùm etiam corpore & mater est & virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri quod est ipse Salvator, ex quo illa magis spiritualiter nata est, quia omnes qui in eum credidérint in quibus & ipsa est, rectè filii sponsi appellantur; sed planè mater membrorum ejus quod nos sumus, quia cooperata est charitate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt; corpore verò mater ipsius capitis: oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura. Sola ergo Maria & spiritu & corpore mater & virgo, & mater Christi & Virgo Christi: Ecclesia verò in Sanctis regnum Dei possessuris, spiritu quidem tota mater Christi est, tota virgo Christi: corpore autem non tota, sed in quibusdam virgo Christi, in quibusdam mater, sed non Christi. Et conjugatæ quippe fideles fœminæ, & virgines Deo dicatæ, sanctis moribus & charitate, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, quia voluntatem Patris faciunt, Christi spiritualiter matres sunt. Quæ autem conjugali vinculo corporaliter pariunt, non Christum, sed Adam pariunt, & ideo currunt ut Sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum, quoniam quid peperierint norunt. B. Aug. in lib. de sancta Virginitate c. 5, & 6.

CAPUT

CAPUT XIII.

1. *Mare*, Scilicet, Galilææ.

3. *In parabolis.* Luc. 8. v. 4. *per similitudinem. Parabola ab eo vocatur, quod alteri* παραβάλλεται, *hoc est, assimilatur, & quasi umbra prævium veritatis est.* B. Hier. Ep. 151. ad Algasiam q. 6. Quod cæteri Evangelistæ parabolam dicunt seu similitudinem, ab uno Joanne dicitur ubique παροιμία, hoc est, celebre dictum, seu ut habet Vulgat. *proverbium.*

10. *Et.* Supple, ex Marc. 4. v. 10. *cùm esset singularis.*

Discipuli. Id est, qui cum eo erant duodecim, ut loquitur Marcus loco citato, utique quia hæ parabolæ dictæ sunt post constitutum Apostolorum numerum; quare quod idem Marcus post parabolas narraturus sedatam maris tempestatem, subdit: *& ait illis in illa die cùm sero esset factum:* Id intelligi non potest de die dictarum parabolarum, hæc enim tempestas sine dubio contigit ante vocationem Matthæi, nec ullus in lectione Evangelistarum est adeo hospes, ut id ignorare possit.

11. *Vobis datum est.* Singulari Dei dono. *Christus hac meritò responsione donum gratiæ cœlestis aperuit*, ut B. Fulgentius loquitur, lib. 1. de ver. præd. c. 22.

Nosse. Supple, clarè & distinctè.

Mysteria regni Dei. Id est, arcana ad regnum Dei pertinentia; non enim hìc agitur de præceptis Evangelicis, quæ cùm nemini debeant esse ignota, coram turbis in Sermone Domini in monte, clarissimè ab ipso fuerunt exposita.

Illis. Addit Marcus c. 4. v. 11. *qui foris sunt*, id est, phrasi Talmudicis familiari, qui non sunt de populo Dei; cùm enim filiis Israël ex promissione Domini in sortem obtigisset terra Chanaan, omnes Gentiles signare solebant hac phrasi, *qui foris sunt*, scilicet extra Terram sanctam, nec ullum in eam jus habent.

12. *Qui enim habet.* Id nempe, quod habere debet, usum videlicet bonum donorum Dei.

Dabitur ei. Magis atque magis in remunerationem. *Quis autem habet cui dabitur, nisi cui datum est? Quis autem non habet, nisi cui non est datum? Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De pro-*

profundo nescio quo judiciorum Dei, quæ perscrutari contemplari-que non possumus, procedit omne quod possumus: de profunditate, inquam, nescio quæ judiciorum Dei; quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus, procedit omne quod possumus. Quod possum video, unde possim non video, nisi quia & hoc hactenus video quod novi esse à Deo. Quare autem illum & non illum? Multum est ad me, abyssus est, profundum crucis est, admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Gentes illuminantur, Judæi excæcan-tur..... Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis pro-fundæ factæ sunt cogitationes tuæ: & sequitur, Vir imprudens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc. Quid non intelligis stultus & imprudens? Quia vel profundum est. Nam si stultus non intel-ligit, & sapiens intelligit, non est nimis profundum. Sed si sa-piens intelligit quia profundum est, stultus non intelligit quia vel profundum est. Ideo multi de isto profundo quærentes reddere ra-tionem, in fabulas vanitatis abierunt. B. Aug. Serm. 7. de verbis Apostoli.

Abundabit. Scilicet, *incrementis profectûs sui*, ut loquitur Hilarius.

Qui non habet. Nempe bonum usum donorum Dei.

Quod habet. Ipsa videlicet dona Dei.

Auferentur ab eo. Supple, in pœnam delicti, quòd vide-licet donis Dei non sit bene usus.

13. *Videntes.* Oculis corporis; quæ ego facio mira-cula.

Non vident. Oculis cordis.

Audientes. Corporis sensu, quæ egò profero oracula.

Non audiunt. Cordis assensu. Sensus itaque Matthæi est idem ac si diceret: Quia clarissimis miraculis quæ vident, & sermonibus apertissimis quos audiunt, nolunt credere & obe-dire, justo judicio eis per parabolas loquor; qui enim videre nolunt cùm possunt, Deo puniente, etiam cùm volunt vi-dere, non possunt. Unde Aug. in lib. De natura & gratia. c. 22. ait quòd prævaricatorem Legis dignè lux deserit veri-tatis, *quâ destertus, utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatúsque non surgat, ut ideò tantùm audiat vocem Legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Sed difficultas oritur ex Marco & Luca, qui per particulam finalem dicunt Christum eis in parabolis loqui, *ut videntes non videant, &c.* Cui respondetur Matthæum causam supplicii meritoriam, alios Evangelistas non causam finalem, sed eventum exprimere, quamvis non desint, qui etiam causam finalem

finalem significari velint; sicut enim verum est Deum quosdam propter peccata velle damnare, & reipsa damnando nolle etiam ut salvi fiant: ita etiam verum est propter peccata Deum quibusdam obscurè loqui, ne ipsius mysteria intelligant, idque in quibusdam quia illis dare non vult gratiam conversionis; in quibusdam verò ut convertantur & salvi fiant. Nam ex divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem quorumdam qui excæcantur, ut scilicet cæcitate suâ sibi displicentes & se dolentes, & ex hoc humiliati atque commoti ad confitenda peccata sua & piè quærendum Dominum excitentur, sicut nonnullis usque ad Deicidium excæcatis post Christi passionem contigit. Quorundam enim superbia debet etiam ipsâ cæcitate & peccatis inde consequentibus edomari ac frangi. Dici etiam potest Christum loquutum in parabolis ut videntes non videant, quia noverat illos quibus loquebatur contemtores esse veritatis, sicque si extra parabolas illos fuisset alloquutus, sanctum dedisset canibus, & margaritas projecisset ante porcos, qui ipsum Filium Dei conculcaverunt. Ne autem mirum videretur sic puniri populum, qui tantâ aviditate Messiam promissum videre atque audire cupiebat, probat Evangelista hoc prædictum ab Esaïa.

14. *Auditu audietis, &c.* Esaïas in textu Hebræo & in Vulgato vaticinium suum per imperativum exprimit, partim quia imperativus idiotismo Hebraico pro futuro usurpari solet; partim ad significandum quòd cæcitas & obduratio sæpe ab irato Deo infligitur in pœnam peccati, sicque vaticinium Esaïæ est quasi prolatio justæ sententiæ. Præclarè itaque Aug. lib. 1. contra Julianum. c. 3. *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur*, & lib. 1. Operis imperfecti, nunc perfecti: *Eadem cæcitas, si peccati pœna non esset, non diceretur: Excæcavit illos malitia eorum. Quod si Dei judicio non veniret, non legeremus: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Itaque harum pœnarum infictionem à divina voluntate exprimit Esaïas in textu Hebræo & Vulgato, & Joan. 12. v. 40. quarum causam meritoriam Matthæus dicit fuisse ipsos Judæos. *Ad perfectionem hujus intelligentiæ sciendum quòd excæcatio & obduratio duo important: quorum unum est motus animi humani inhærentis malo & aversio à divino lumine; & quantùm ad hoc Deus non est causa excæcationis & obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur quòd mens*

divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum: Et quantùm ad hoc Deus est causa excæcationis & obdurationis. Est autem considerandum quòd Deus est causa universalis illuminationis animarum secundum illud Ioan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sicut sol est universalis causa illuminationis corporum. Aliter tamen & aliter: Nam sol agit illuminando per necessitatem naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem, licèt quantùm est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum; sicut patet de domo cujus fenestræ sunt clausæ: Sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol, non enim suo judicio agit, ut lumen interiùs non immittat, sed causa ejus est solùm ille qui claudit fenestram: Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit: Unde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit: & per hunc modum Deus est causa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis: quæ quidem distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono sapientiæ, & affectum emollit igne charitatis: & quia ad cognitionem intellectûs maximè deserviunt duo sensus, scilicet visus & auditus, quorum unus deservit inventioni, scilicet, visus, alius disciplinæ, scilicet auditus, ideo quantùm ad visum ponitur excæcatio; quantùm ad auditum, aurium aggravatio; quantùm ad affectum, obduratio. D. Th. 12æ. q. 79. ar. 3.

15. *Incrassatum est.* Quæ Hebraicè imperativè exprimuntur, per præteritum vel futurum hîc exprimuntur, ut lectori innotescat hujusmodi loquutiones, quæ imprecationes esse videntur, à Prophetis non optantis animo, sed prophetanis mysterio efferri. *Est autem hîc metaphora à crassitudine corporali; sicut enim crassitudo corporalis efficit corpus minùs agile, minúsque mobile, sic crassitudo cordis, quæ est carnalitas, quâ quis terrenis voluptatibus totus inhiat, reddit animam veritatum cœlestium incapacem, acediosam ac tenebrosam.* Dionys. Carth. in Act. 28.

Oculos suos clauserunt. Græcè ἐκάμμυσαν. Familiare est sacris Scriptoribus hoc verbum Καμμύω pro Καταμύω per Poëticam syncopen. Hujusmodi homines, qui ideo cæci sunt, quia sponte claudunt oculos ne videant, seu qui videre se dissimulant, quod vel inviti cernunt, vocantur. Job. 24. v. 13. *Rebelles lumini.* Esaiæ 33. v. 15. qui fic claudit oculos vocatur phrasi planè Gallica, qui, *fermer, firmare*, est claudere, עוצם עיניו, *firmans oculos suos*, id est, claudens. Cui simile id Apuleii lib. 7. *Pertica, quâ stabuli fores affirmari*

mari solebant, id est, claudi. Hujusmodi homò dicitur à B. Dionys. lib. de Ecclesiastica Hierarchia c. 2. & à B. Pet. in Ep. 2. c. 1. v. 9. μυωπάζων, pro quo Vulgatus interpres & Æthiops vertentes *manu-tentans*, videntur legisse μυοπάζων, quasi ὑπὸ τῶν ὀπῶν τῶν μυῶν, à murium latibulo. Malè etiam Syrus & Arabs vertunt, *cæcus & lumine luscus*, & alii, *minus benè videns*, seu *proxima, & quæ ferè sunt sub oculis videns*; dicitur enim μυωπάζειν, oculis nictare, connivere, quasi μύειν τοὺς ὄπας oculos claudere. Hinc μύων dicitur, qui cùm infirmus est visu, palpebras in angustum cogit; *Visus enim cùm prodit confertus, magis videt, at diducto oculo, dissipabitur*; ut ait Philosophus in Problematis. Hinc & asilus, culicis genus, quo boves infestantur, μυών dicitur, quòd in boum oculos involans ad continuas oculorum nictationes eos adigit.

Ne quando. Hebraicè & Act. 28. *ne fortè.*

Videant, &c. Esse quosdam homines usque adeo obcæcatos, ut nolint à suis concupiscentiis liberari, testatur illud Psaltis: *Noluit intelligere, ut bene ageret*: id est, ne bene ageret; testatur & humillima ista Augustini de se confessio, lib. 8. confess. c. 7. *At ego adolescens miser valdè, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram à te castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modò. Timebam enim, ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui.*

Sanem eos. Id est, ignoscam eis, ita ut ex peccati reatu tanquam ex morbo convalescant. Unde Marc. 4. v. 12. pro, *& sanem eos*, habetur; *& dimittantur eis peccata.* Ita etiam Psaltes ait: *Sana animam meam*: id est, ignosce mihi; hinc 2. Paralip. c. 30. Vulgatus vertit, *placatus est populo*, quod in textu Hebræo est: *& sanavit populum*: id est, Dominus pii Regis Ezechiæ oratione pacatus ignovit verè conversis, qui ante esum agni Paschalis à legali immunditia sua se non purificaverant secundum ritus Lege cerimoniali præscriptos.

16. *Vestri autem beati oculi.* Scilicet in comparatione eorum, qui Christi venturi tantùm obscuram habuerunt notitiam; sunt enim tres gradus notitiæ Christi considerandi, in quorum infimo consistit obscura notitia, quam habuerant de Christo Prophetæ ac cæteri priorum temporum justi. Secundum gradum tenet evidens ejusdem Christi per sensum notitia, qualis fuit Apostolorum & omnium eorum, qui Christum in carne assumta oculis corporeis videntes, in eum credidérunt. Tertius gradus est ejus notitiæ, quâ Christus cognos-

citur per præsentiam in vita immortali. Medius ergo gradus respectu primi insigne bonum erat, ac vehementer optabile, ut observat Augustinus in Conc. 20. in Psal. 118. Beati igitur dicuntur oculi Apostolorum, non quia meliores, quo sensu dicuntur *beati qui non viderunt, & crediderunt*, sed quia magnum bonum eis obtigit, quod antiquis Prophetis non obtigerat. Huic loco contrarium non est, quod Paulus dicit 2 Cor. 5. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.* Sensus enim Apostoli est se non gloriari de nobilitate generis, sicut Pseudo-Apostoli, quòd Hebræi, quòd Israëlitæ, quòd semen Abrahæ essent, ut dicitur 2 Cor. 11. v. 22. hoc enim Apostolus ibidem v. 18. appellat *gloriari secundum carnem.* Dicit ergo Apostolus: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum:* hoc est, etsi aliquando magnum & glorioſum putavimus gentilem & consanguineum esse Christi secundum carnem: *sed nunc jam non novimus:* id est, nunc ita penitùs mortui sumus affectibus vitæ veteris, ut non amplius in hujusmodi re gloriandum censeamus, cùm ipse dixerit matrem & fratrem ipsius esse, qui verbum Dei audit & facit. Similiter in Ep. ad Philip. c. 3. agens adversus Pseudo-Apostolos in carne fiduciam habentes, ait se quidem se habere unde confidere possit in carne, sed universam illam in carne gloriandi, seu in cognatione confidendi materiam æstimasse propter Christum ut detrimenta & stercora.

17. *Cupierunt videre.* Magnam jucunditatem habebant sancti Prophetæ, cùm ea videbant in Spiritu futura, quæ Apostoli videbant præsentia. Avidissimè tamen ac vehementissimè cupiebant ab origine generis humani usque ad manifestationem verbi incarnati oculis videre præsentia quæ à longè salutabant, hoc est, non exire de hac vita, priusquam viderent incarnatum, quem credebant incarnandum, teste sanctissimo sene Simeone, qui cùm Christum infantem accepisset in ulnas suas, benedixit Deum & dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Acceperat enim responsum Divinum non se moriturum, donec videret Christum Domini. *Quale autem desiderium fuit in isto sene, tale fuisse credendum est in omnibus superiorum temporum sanctis.* Aug. Conc. 20. in Psal. 118. Vide eumdem Serm. 20. De tempore c. 3.

19. *Omnis qui audit verbum regni.* Q. d. Siquis audit prædicationem de regno cœlorum seu Evangelii. Redundat autem hîc nominativus *omnis.*

Non

Non intelligit. Id est, non curat intelligere.

Malus. Id est, diabolus qui immutabiliter malus est.

Hic est. Id est, significatur, scilicet per eum agrum, *qui*, ut sequitur, *secus viam seminatus est.*

Seminatus. Sic dicitur homo, non sicut semen dicitur seminatum, sed sicut sata dicuntur agri, qui seruntur. & seminatus dicitur ager semine consperſus. Significatur itaque cor illius hominis esse instar viæ publicæ peccandi consuetudine induratum, nullo fructificandi desiderio velut aratro scissum & præparatum, ideóque semen verbi Dei auribus, non animo recipiens.

20. *Qui autem super petrosa seminatus est.* Id est, qui significatur per terram inter petras excipientem semen. Eodem sensu sequentia erunt exponenda: *Qui autem seminatus est in spinis: qui in terram bonam seminatus est,*

21. *Est temporalis.* Id est, ad tempus credit, ut patet ex Luc. 8. v. 13. idque fide evanidâ, quæ specie differt, à radicata, ut plus satis ostendunt oppositi effectus, qui ex eadem natura specifica non solent proffuere.

Scandalizatur. Id est, scandalum accipit & corruit.

22. *Audit.* Scilicet, sensu corporis, & assensu cordis.

Sollicitudo seculi istius. Id est, rerum quarumlibet ad hoc seculum pertinentium.

Fallacia divitiarum. Hebraismus, id est, divitiæ fallaces. *Blandæ enim sunt divitiæ, & aliud agentes, & aliud pollicentes; lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu, vel habentes deserunt, vel non habentes resarciunt.* B. Hier.

Suffocat verbum. Quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatûs vitalis necant. B. Greg. Hom. 15. in Evang.

23. *Qui audit verbum.* Supple, ex Luc. 8. v. 15. *in corde bono & optimo*, seu ut habetur in textu Græco, *in corde bonesto & bono.*

Fructum affert. Addit Lucas, *in patientia* scilicet, quæ exercetur in expectando potius, quàm in tolerando, juxta illud Rom. 8. *Per patientiam expectamus.* Et illud Jac. 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat pluviam, &c.* Sic semper apud LXX. ὑπομονὴ, *patientia* sumitur; ubique enim respondet Hebrææ dictioni תקוה, quæ spem, expectationem, seu patientiam, ut aiunt, activam sonat: cùm patientia, quam passivam vocant, propriâ voce non exprimatur in veteri Testamento, sed

appelletur *silentium* Psal. 38. & Esa. 53. Hinc Deus & labores dicuntur patientia nostra; Deus quidem ut & fructus, in quantum sunt id quod expectamus: labores verò, in quantum sunt id quod toleramus. Itaque dum dicitur Deo Psal. 71, v. 6. *Tu es patientia mea:* sensus est: tu es ille, quem patienter expecto, tu es objectum patientis illius expectationis, quâ tuum auxilium præstolor.

Aliud quidem centesimus, &c. Centesimus & sexagesimus & tricesimus fructus, quanquam de una terra. & de una semente nascatur, tamen multùm differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, nam & ipsa digitorum conjunctio, quasi molli se complexans osculo & federans, maritum pingit & conjugem. Sexaginta verò ad viduas, eo quòd in angustia & tribulatione sunt positæ. Unde & superiori digito deprimuntur, quantòque major est difficultas experti quondam voluptatis illecebris abstinere, tantò majus est præmium. Porrò centesimus numerus, diligenter quæso lector attende, de sinistra transfertur ad dextram, & eisdem quidem digitis, sed non eâdem manu, quibus in læva nuptæ significantur & viduæ: circulum faciens, exprimit virginitatis coronam. B. Hier. l. 1. adversus Jovinianum.

Aliter hanc parabolam interpretatur S. Greg. Hom. 17. super Ezech. eâdem tamen allusione & similitudine, quâ D. Hieron. usus est hunc in modum. *Fructus terræ bonæ triginta affert: cùm mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit. Sexaginta affert: cùm bonæ vitæ opera perfectè protulerit. Centum verò affert: cùm ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra, est vita præsens: dextra verò, est vita ventura. Et rectè per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur: quia cùm post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computandum pervenimus, idem centenarius numerus in dextram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est: quia hîc adhuc positi & credimus quod non videmus, & operamur ut videamus. Cùm verò jam se animus in contemplationem æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dextram manum computus pervenit.*

Ad horum intelligentiam sciendum ex libello venerabilis Bedæ, De computo vel loquela per gestum digitorum, quòd veteres computum suum à sinistra ordiebantur usque ad decem. Cùm autem dicebant decem, unguem indicis in medio figebant artu pollicis; cùm dicebant triginta, ungues indicis & pollicis blando conjungebant amplexu adinstar conjugum se exosculantium. Cùm sexaginta numerabant, deflectebant indicem supra pollicem curvatum. Hinc numerus tricesimus significare dicitur matrimonium, ut sexagenarius viduitatem, viduarúmque afflictionem. Tandem oblervat Beda numerum

varię

variè exprimi ſolitum in ſiniſtra, donec perventum fuit ad centenarium. Cùm verò centum ſignificabant, tranſibant à ſiniſtra ad dextram, & eodem utebantur geſtu dextræ ut ſignificarent centum, quo in læva decem demonſtrabant. Hoc itaque circulo, qui indicis ungue in medio pollicis defixo inſtar coronæ in dextra, exprimitur ſecundum Hieronymum Virginum corona. Centum verò, & qui deinceps ſequuntur numeri, in dextra numerari ſolitos docent & illa Juvenalis de Neſtore carmina:

Felix nimirum, qui per tot ſecula mortem
Diſſulit, atque ſuos jam dextrâ computat annos.

Prodit enim Homerus Neſtorem trecentos annos, hoc eſt, tria hominum ſecula vixiſſe. Juvenalem imitatus Sidonius Apollinaris Fauſto applaudens & grandævum ſignificans, velut centenarium ait l. 9. Ep. 9. *Quandoquidem tuos annos jam dextrâ numeraverit.*

24. *Simile factum eſt, &c.* Id eſt, perinde Eccleſia ad regnandum in cœlis deſtinata ſe habet, atque ſi quis in agro ſuo bonum ſemen ſeminaverit, & aliquis ejus inimicus ſuperſeminet malum.

29. *Ne fortè. Datur locus pœnitentiæ & monemur ne citò amputemus fratrem, quia fieri poteſt, ut ille qui hodie noxio depravatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem.* B. Hier.

Sinite, &c. *Modò tempus ſeparationis non eſt, ſed toleratio-nis. Videtur hoc contrarium illi præcepto.* 1 *Cor.* 5. *Auferte malum de medio veſtrûm, & nequaquam ſocietatem habendam cum iis, qui fratres nominantur & ſunt adulteri & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & uſque ad meſſem tenenda eſt patientia: quomodo ejiciendi ſunt quidam de medio noſtrûm? Inter triticum & zizania quod nos appellamus lolium, quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla, aut perdifficilis diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum eſt, citò ſententiam proferamus, ſed Deo judici terminum reſervemus, ut cùm Dies judicii venerit, ille non ſuſpicionem criminis, ſed manifeſtum reatum de Sanctorum cœtu ejiciat.* B. Hier.

31. *Regnum cœlorum.* Id eſt, *Prædicatio Evangelii & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam.* B. Hier.

32. *Minimum quidem eſt omnibus ſeminibus.* Id eſt, unum eſt ex minimis omnium ſeminibus; nam ſemen rutæ & nonnulla alia minora ſunt grano ſinapis. *Prædicatio Evangelii*

minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, mortuum & scandalum crucis prædicans. Confer hujusmodi doctrinam dogmatibus Philosophorum & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum: & videbis quanto minor sit ceteris seminibus seminis Evangelii. Sed illa cùm creverit, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque & mollium ebullit in olera, & in herbas quæ citò arescunt & corrumpunt. Hæc autem prædicatio quæ parva videbatur in principio, cùm vel in animam credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem: ita ut volucres cœli, quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas, sentire debemus: veniant & habitent in ramis ejus. Ramos puto Evangelicæ arboris, quæ de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitas, in quibus supradictarum volucrum unaquæque quiescit. B. Hier.

Majus est omnibus oleribus. q. d. Unum est è maximis omnium oleribus.

Fit arbor. Id est, ligneſcit ſtipes ejus, & locis maximè calidis longè ſupra humanam ſtaturam aſſurgit.

Ut habitent in ramis ejus. Id eſt, ut obumbrentur ſub ramis ejus, ut habet verſio Arabica.

33. *Regnum cœlorum.* Id eſt, doctrina Evangelii.

Fermento. Hoc nomen à fervore dici placet Grammaticis, quia fervendo creſcit, ipsámque maſſam, cui inſpergitur, turgidam reddit. Unde Plautus in Mercatore dixit *in fermento jacere uxorem*, cùm iratam ſignificare vellet.

Mulier. Apud Hebræos erat & etiamnum eſt ferè mulierum officium pinſere, ut etiam indicatur Levitic. 26. v. 26.

In farinæ ſatis tribus. Satum eſt tertia pars Ephi, & tantùm unicâ vice pinſi ſolebat, ut patet ex Gen. 18. v. 6. De hac & aliis quibuſdam menſuris antiquis ſic habetur in opere Rabbi Alphes Tract. de Paſchate c. 5. רביעית של תורה *Quadrans, ſive quartarius Legis*, id eſt, quarta pars menſuræ ſacræ in liquidis, continet ſeſqui-ovum. לוג, *ſextarius*, menſura liquidorum continet quatuor quadrantes, id eſt, ſex ova. קב, *cabus*, menſura frumentaria continens quatuor ſextarios, ſeu viginti quatuor ova. תמן, menſura liquidorum continens duodecim ſextarios, ſeu ova ſeptuaginta duo. סאה *ſatum*, menſura aridorum continens ſex cabos, viginti quatuor ſextarios, duo hin, nonaginta ſex quadrantes, ova centum quadraginta quatuor. איפה vulgò Ephi tantùm continens in aridis, quantùm Batus in liquidis, ſcilicet tria ſata, cabos octodecim, ſex hin, ſeptuaginta duo ſexta-

sextarios, ducentos octoginta octo quadrantes, ova quadringenta triginta duo. Ubi vulgò Gomer mensura aridorum est decima pars Ephi continens ova quadraginta tria & quintam partem ovi. Ut autem ad parabolam Evangelicam redeamus; aiunt nonnulli per mulierem significari Dei Sapientiam; per fermentum doctrinam Evangelicam; per tria sata tres facultates animæ, scilicet, appetitum rationalem, irascibilem & concupiscibilem; hos enim tres appetitus doctrinæ Evangelicæ conformat Dei Sapientia. Dicuntur & alia de hac parabola, quæ omittimus brevitatis causâ, quia ut manet hic. B. Hier. *Nunquam Parabola & dubia ænigmatum intelligentia potest ad certitudinem dogmatum proficere.*

34. *Locutus est Jesus in parabolis ad turbas. Quia non erant digni nec idonei audire veritatem accipere, quam discipulis exponebat.* D. Th. 3. p. q. 42. ar. 3. ad 3. hoc Marcus. c. 4. v. 33. significat his verbis: *Prout poterant audire.*

Sine parabolis non loquebatur eis. Hoc *secundum Chrysost. Hom. 48. in Matth. intelligendum est quantum ad illum sermonem, quamvis alias sine parabolis multa turbis locutus fuerit. Vel secundum Aug. in lib. De quæstionibus Evang. hoc dicitur, non quia nihil propriè locutus est, sed quia nullum ferè sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid significaverit, quamvis in eo aliqua propria dixerit.* D. Th. loco mox citato.

35. *Ut implerentur, &c.* q. d. Ex parabolicis Christi concionibus evenit, ut in eo verè impleretur, quod significabatur Allegoricè per Prophetam parabolicè loquentem in Psal. 77. Heb. 78.

In parabolis. Hæc verba in Psalmo intelliguntur ad literam de parabolis in ipso contentis, ut scribit sapiens Rabbi Abraham filius Esræ: ex cujus quidem sententia verba ista: *Mittentes in arcum: Parare mensam in deserto: Ignis accensus est in Jacob: Ascendit contra eos furor: Panem cœli dedit eis:* parabolæ sunt, & instar ænigmatis obscuræ.

Eructabo. Id est, eloquar. Ructum solet vocare Scriptura doctrinam Prophetarum, quia ut ructus ex recto cibo exhalatur, sic Dei verbum ex corde cœlestis alimonia pleno depromi debet.

Abscondita à constitutione mundi. Heb. *enigmata ab initio.* Hæc verba in Psalmo ad literam dicuntur de locutionibus ænigmatum instar obscuris in ipso contentis; ut enim alias omittamus, ænigma est ista locutio: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum:* quâ significatur arca capta à Philistæis. Ænigma est & omnino obscurum quonam de bello fit sermo, ubi dicitur in eodem Psalmo: *Filii Ephraim intendentes arcum, &c.*

39. *Messis.*

39. *Messis.* Hoc nomen hîc significat tempus opportunum & à Deo destinatum judicio exercendo & secernendis impiis è medio justorum. Alias verò hoc idem nomen sumitur pro opportunitate & debita dispositione multitudinis animarum ad prædicationis susceptionem.

41. *Colligent.* *Messores Angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa, ad tormenta similia deducuntur: quia eos in locis penalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.* B. Greg. 4. dialog. c. 35.

De regno ejus. Id est, de Ecclesia militante.

Scandala. Id est, malos, quos Christus vocavit zizania & filios nequam, atque opposuit filiis regni seu electis & prædestinatis.

42. *In caminum.* Id est, in fornacem. Κάμινος nominatus videtur à verbo Καίω, quod accendere significat.

43. *Fusti fulgebunt sicut sol.* Non quod omnes æqualiter fulgebunt, cùm scriptum sit. 1 Cor. 15. *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, sic erit resurrectio mortuorum.* Sed significatur hîc magna valdè excellentia fulgoris & claritatis in corporibus beatorum: unde assumitur comparatio à sole tanquam à corpore in hoc mundo fulgentissimo.

44. *Regnum cælorum.* Id est, Evangelica doctrina.

Abscondit. Id est, non jactanter inventum ostentat, sed ne surripiatur secretùm servat, & ejus causâ libenter omnium jacturam facit.

45. *Simile est regnum cælorum.* Id est, Evangelii doctrina ab Apostolis mox ubique disseminanda; passim enim hæc doctrina vocatur regnum Dei. Unde non desunt qui exponant illud suprà c. 3. v. 2. *Appropinquavit regnum cælorum.* q. d. Advenit tempus, quo omnibus prædicabitur Evangelium. Et illud cap. 11. v. 11. *Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.* q. d. Qui minimus est inter eos, quibus Evangelium prædicandi munus incumbet, major est Joanne. Hinc & infrà c. 21. v. 43. ait Christus Pharisæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.* Quod impletum legitur Act. 13. v. 46. cum Paulus & Barnabas constanter Judæis dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Hoc ergo Dei regnum, id est, Evangelii doctrina cum margarita confertur non immeritò.

ritò 1. Nam si margaritæ nobis è remotis locis, & ex ultimo Oriente afferuntur, hanc doctrinam e cœlis attulit, qui vocatur Luc. 1. v. 78. *Oriens ex alto*, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. 2. Si candor in margaritis magni fit, in doctrina Evangelii nobis offertur calculus candidus Apoc. 2. v. 17. per quem etsi fuerint peccata nostra ut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. 3. Si lævor in margaritis placet, quódque ad amussim rotundæ sunt, nec quidquam habent inæquale, Evangelii gratiâ nihil est æqualius, cùm omnes ex æquo admittat; *Non enim est Judæus, neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Gal. 3. v. 28. 4. Si in margaritis requiritur firmitas, quid firmius est & solidius Dei promissis, quæ in Christo sunt, *est*, &, *amen.* 2 Cor. 1. v. 20. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, inquit Christus Marc. 13. v. 31. 5. Si margaritæ sunt in pretio propter vires additas, *Evangelium est Dei virtus in salutem omni credenti* Rom. 1. v. 16. Ab antiqui serpentis morsu nos sanat, nec solùm ægros sublevat, sed & mortuos suscitat, *quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* Joann. 5. v. 25. 6. Splendoris & ornatûs ratione quæruntur uniones, ac proinde appenduntur auribus, collo & brachio ligantur; sed & mandata sua Deus jubet collo alligari. Prov. 3. v. 3. Nec quidquam auribus tam decorum est, quam Dei verbum audire, aut manibus, quàm illud exequi. 7. Ut margaritarum pretium latet Barbaros, qui rem tantillam mirantur à nobis tanti fieri: ita *Evangelium nostrum*, cui omnia desiderabilia non possunt æquari, *iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* 2 Cor. 4. v. 3, & 4. Hinc fortè & doctrina Evangelica assimilatur thesauro abscondito. Utraque autem parabola, scilicet, thesauri absconditi & pretiosæ margaritæ, negat nos assequi posse doctrinam Evangelicam, seu eminentem scientiam Jesu Christi, nisi omnia omninò detrimentum faciamus, & ea quibus plerique ambitiosiùs inhiant, ut stercora arbitremur, quæ, quam fieri potest studiosissime, procul amandamus.

47. *Simile est regnum cœlorum sagenæ*, &c. *Sagena ista, prædicatio est Evangelica: quæ in mare, id est, in fluctuationem, & amaritudinem præsentis seculi demissa congregat multitudinem piscium, id est, ex omni genere hominum trahit ad Littus maris, id est, ad finem præsentis seculi. Impletio sagenæ, consummatio prædicationis Evangelicæ. Congregat ex omni genere hominum; quia ex Judæis, quibus prædicavit Christus: & ex Romanis, quibus prædica-*

dicaverunt Petrus & Paulus: & ex Indis quibus Thomas: ex Persis, quibus prædicaverunt Simon & Judas, & ex hominibus minoris Indiæ, quibus Bartholomæus: ex Syriis, quibus Philippus: ex Asianis, quibus prædicavit Joannes: ex Achaicis, quibus Andreas: ex Æthiopibus, quibus Matthæus: & ex Alexandrinis, quibus Marcus, & sic ex aliis nationibus, ad quas sive per Apostolos, sive per Apostolorum discipulos & successores, pervenit sonus prædicationis. In omnem enim terram exivit sonus eorum. In eo namque quòd prædicatio Evangelica ex omnibus nationibus assumit: ex omni genere piscium trahit. Aliter: Congregat ex omni genere piscium, quia congregat ex omni genere peccatorum. Congregat immundos peccatores, fornicatores, adulteros, incestuosos, fœneratores, & ex omnibus aliis qui moribus, vel majoribus peccatis sunt à Deo diviso, & per multas iniquitates dispersi. Et ex omnibus congregat, & congregatos justificat: & neminem expellit, qui, ipsâ audita, eam intrare voluerit. Continet autem sagena ista pisces multos, & diversos, bonos, & malos: sed interim dum sagena ad littus trahitur: isti cum illos frequenter communicantur. Boni etenim nonnunquam mali sunt per culpam, & mali aliquando boni sunt per gratiam, & nondum potest judicari, qui in vasa sint eligendi: qui foras projiciendi. Cùm ad littus, id est, ad finem seculi ventum fuerit: tunc judicium verum secernendorum bonorum, & malorum patebit: quia Angeli eligent bonos in vasa, id est, in æterna tabernacula: & malos foras mittent in æterna tormenta. Omnes autem, qui fidem Christianam receperunt non sunt, extra sagenam istam sunt: sicut Judæi, & Pagani. Et taliter jam judicati sunt, non solùm judicio secundum præscientiam & judicio secundum causam, sed etiam judicio secundum operationem, deinceps judicandi judicio secundum retributionem. Est autem judicium secundum præscientiam, quo judicati sumus antequam essemus. Judicium secundum causam: quo judicamur ex quo boni & mali sumus. Judicium secundum operationem: quo judicamur per manifestam operationem: quo judicamur per manifestam actionem esse boni, & mali, qui prius secundum causam eramus occulti. Judicium secundum retributionem est quo recipimus in præmio secundum quod fuimus, & fecimus in merito. Ex his quatuor judiciis, duo sunt occulta, duo manifesta. Occulta, judicium secundum præscientiam, & judicium secundum causam. Manifesta, judicium secundum retributionem, & judicium secundum operationem. Duo quoque pertinent ad Deum, judicium videlicet secundum præscientiam, & judicium secundum retributionem. Duo ad hominem: judicium secundum causam, & judicium secundum operationem. Sed qui fidem Christianam prorsus respuit: jam tribus præcedentibus judiciis, videlicet judicio secundum præscientiam, judicio secundum causam, & judicio secundum operationem sunt judicati: judicio autem secun-

secundum retributionem judicandi. Hugo Victorinus lib. 2. Alleg. in Matth. c. 31.

52. *Omnis Scriba.* Id est, peritus Legis, & interpres Judæis; nunquam enim Scriba in novo Testamento pro Evangelico Doctore sumitur.

Doctus in regno cælorum. Græc. *in regnum cælorum.* His verbis indicat Christus se non de Scriba simpliciter loqui, sed de eo, qui cùm antea Legis peritus esset, hanc scientiam ad finem suum, hoc est, ad Evangelicam doctrinam didicit referre. Hujusmodi Scriba fuit ille, qui cùm Judæorum sapientiam ad pedes Gamalielis didicisset, factus est vas electionis.

De thesauro. Id est, de conditorio suo aut promtuario.

Nova & vetera. Id est, abundè ex omni genere rerum; alludit enim Christus ad illud Levitic. 26. v. 10. ubi Deus inter ceteras benedictiones promittit tantam singulis familiarum patribus copiam, ut nihil unquam illis sit defuturum: quod his verbis Scriptura expressit: *Comederis vetustissima veterum & vetera novis supervenientibus projicietis.* Cùm ergo tales optimè instructi sint, multò tamen copiosiùs ac largiùs, qui tempore eodem, ex eodem promtuario, & vetera, & nova depromit; hujusmodi patris-familias instar ait Christus Scribam ad Evangelicam doctrinam Legis peritiam prudenter referentem, abundè omnibus, quæ scire oportet, ac largissimè instructum esse.

53. *Inde.* Hæc particula hic & Marc. 6. v. 5. significat tam urbem Capharnaum, quàm loca adjacentia, quæ circa mare erant, ubi parabolas enarrabat. Ab eo autem tempore non videtur amplius habitasse Capharnai, licet aliquoties illac transierit sicut per alias civitates, in quibus non habitavit. Porro Lucas c. 4. v. 16. præsentem historiam anticipat, ut obiter rationem reddat, cur Capharnai potiùs domicilium elegerit Christus, quàm in urbe Nazareth, ubi fuerat educatus. Hanc autem anticipationem ipse satis indicat loco citato v. 23. his verbis: *Quanta audivimus facta in Capharnaüm, fac & hic in patria tua*; unde quod ibidem completâ hujus historiæ narratione Lucas v. 31. dicit: *& descendens in Capharnaüm*, &c. Hebraismus est, id est, & descenderat, &c. & est recapitulatio omissorum.

54. *Et veniens.* Græcè, *cùm venisset.*

55. *In patriam suam.* Id est, in Nazareth, ut patet ex Luc. 4. v. 16.

55. *Fabri filius.* Id est, secundum Hilarium & Ericum fabri ferrarii; communiter tamen existimatur fuisse faber lignarius. Est autem verisimile dixisse Nazarenos, *Nonne hic est faber,*

faber, ut habetur apud Marcum, & *fabri filius*, ut habetur hîc, & *filius Joseph*, ut habetur apud Luc. nec in hoc est contradictio, cùm alius Evangelista scripto mandat, quod alius omiserit.

Fratres. Id est, *propinquitate*, *non naturâ*, ut loquitur Hieronymus in lib. de perpetua virginitate B. Mariæ adversus Helvidium. Idem dicendum de Christi sororibus.

57. *Scandalizabantur.* Id est, offendebantur educationis & prosapiæ humilitate.

58. *Non fecit ibi virtutes multas.* Hoc Marc. c. 6. v. 5. Hebraismo Scrip. sacræ familiari expressit: *Non poterat ibi virtutem ullam facere.* Sic Deut. 2. v. 17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti*, &c. Id est, non comedes in oppidis tuis, &c. sic Genes. 18. v. 17. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* id est, num celabo, &c. sic Marc. 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti:* id est, si credis, &c. Joan. 5. v. 19. *Non potest Filius à se facere quidquam:* id est, non facit Filius, &c. Luc. 16. v. 2. *Jam non poteris villicare:* id est, non villicabis. Joan. 12. v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias*, &c. Id est, propterea non credebant; nam ibidem v. 37. eodem penitus sensu idem Evangelista dixerat simplicibus verbis: *Non credebant in eum, ut sermo Esaiæ impleretur.* B. Greg. Naz. Hom. 2. de Filio ait *non posse* in Scripturis sacris dupliciter sumi, cùm non propriè sumitur, 1. Ut sit idem ac non velle, & sic inquit Christus dicitur non potuisse facere virtutes in patria sua. 2. Ut sit idem ac non convenire, dedecere, & sic dicuntur filii sponsi non posse lugere, quamdiu cum illis est sponsus. Hoc modo etiam potest exponi, quod de Christo dicit Marcus: *Non poterat ibi virtutem ullam facere.* Et hunc ultimum modum exponendi amplectitur B. Isidorus Peluſiota, & multis confirmat exemplis, ut explicet locum citatum ex Joan. 5. v. 19.

CAPUT

CAPUT XIV.

1. *Herodes.* Antipas ſcilicet, Herodis magni Filius ex Mathace Samaritide.

Tetrarcha. Hunc Marcus c. 6. & ipſe Matth. mox. v. 9. Regem appellat, quòd Rex diceretur, quicunque ſuprema poteſtate, licèt non regiâ, præeſſet; ſic & quod Cicero Tetrarchias dixit, Plinius regna vocavit.

Famam Ieſu. Id eſt, *omnia quæ fiebant ab eo*, ut explicat Luc. c. 9. v. 7. Quæritur qui fieri potuerit, ut Herodes tamdiu Chriſtum, & edita à Chriſto miracula ignoraverit? Reſpondet Baronius, quia diu abfuit à domo ut bellum ſibi intentum ab Arete Rege ob ejectam è domo filiam ipſius, quam priùs uxorem duxerat, ſuſtineret. Sed fallitur, nam ut omittam anachroniſmum, quem doctè urget Caſaubonus exercit 15. diſertè tradit Joſephus lib. 18. hoc bellum utrinque per Legatos fuiſſe geſtum. Verè itaque ſentit Chryſoſtomus Hom. 49. in Matth. in cauſa tam diuturnæ ignorationis fuiſſe incuriam rerum bonarum, quâ Princeps ut plurimum laborat; *Tales enim*, inquit, *ſunt viri potentes, & ſupercilia tumidi, ſerò diſcunt talia, quia negligunt.*

2. *Et ait.* Non affirmando, ſed hæſitando, & dubitando, ut patet ex loco citato Lucæ. Hæc autem Herodis hæſitatio orta eſt ex variis vulgi de Chriſto ſententiis, quas recenſent Marcus, & Lucas locis citatis.

Virtutes operantur in eo. Id eſt, poteſtates patrandi miracula vim ſuam exerunt in eo, quam antè, dum viveret, non exerebant.

Herodes enim, &c. Incarceratio Joannis, quam Lucas c. 3. v. 19. anticipavit; Matthæus verò & Marcus decollationi junxerunt, quando contigerit, vide ſuprà c. 4. v. 12. p. 47.

Propter Herodiadem. Filiam Ariſtobuli fratris ſui. Joſephus aliam cauſam affert, motum ſcilicet novationis rerum, quod veriſimile eſt Phariſæos ſuggeſſiſſe Herodi, & eorum nividià & authoritate captum Joannem; alioqui enim Herodes nec capere fuiſſet auſus; quod ſignificat Dominus infrà c. 17. v. 12. niſi ſuppleatur ibi nominativus. *Judæi*, quæ vox tam Herodem & Galilæos proceres, quàm Pontifices, Sena-

Senatores, & Legis-peritos, illos Baptistæ, hos Christi interfectores comprehendat.

Uxorem fratris sui. Addit Marc. Philippi. Is autem Philippus non Tetrarcha Trachonitidis filius Herodis magni ex Cleopatra, de quo Luc. c. 3. v. 1. sed alius Herodis item magni filius ex Mariamne Simonis Pontificis filia, quem Josephus lib. 1. de bello Judaico c. 18. Herodem nominat: quare Binomius fuerit necesse est, sicut & ipse Herodes, qui Joannem occidit, vocabatur Herodes, & Antipater, aut Antipas.

4. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Dicitur enim Levitic. 18. v. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*: à qua Lege nulla datur exceptio, nisi Deuteron. 25. dum frater fuerit defunctus sine liberis; constat autem ex Josepho & Philippum seu Herodem adhuc fuisse superstitem, dum Herodes Antipas Herodiadem ejus uxorem in conjugium, & domicilium suum migrare jussit; insuper etsi Philippus fuisset defunctus, non licuisset tamen per Legem Herodi Antipæ eam ducere uxorem, cùm Philippus ex ea suscepisset filiam, quam ipse nominat Salomen, Evangelistæ cognominant saltatricem.

5. *Volens illam occidere.* Scilicet, ad placendum Herodiadi; ipse enim ut dicitur Marc. 6. v. 20. *verebatur*, id est, reverebatur *Joannem, sciens eum virum justum & sanctum, & custodiebat*, id est, tuebatur eum ab insidiis Herodiadis, & *audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

Timuit populum. Ne Herodiadi Herodes faceret satis & sanctitas Joannis, ut fidem faciunt verba, mox ex Marco citata, & metus populi, ut hîc testatur Matthæus, prohibebant. *Facilè deviat à justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem: unde etiam quos suspendit à crimine avidiores reddit ad crimen, & æstuat animo quodcunque perficiat, quod cogitat, malum. Solus est Dei timor, (filialis) qui mentes corrigit, fugat crimina, & innocentiam servat.* B. Petrus Chrysologus Ser. 127.

9. *Propter juramentum.* Præpostera religio; nam juramenta ejusmodi generalia intelligi debent de licitis & possibilibus juranti: quin imò, licèt in animo jurantis ad illicita se extenderent, non tamen obligant, sed rescindenda est eorum fides. Vide B. Greg. lib. 5. in 1 Reg. 14. v. 45.

Et eos. Q. d. Ne proceribus Galilæis simul recumbentibus inconstans aut perjurus videretur. *Nullum alium invenimus observasse diem natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem: ut quorum erat par impietas, esset & una solemnitas*, observat hîc B. Hier.

10. *Mi-*

10. *Misitque, & decollavit.* Q. d. misit qui decollaret; nam non ipse decollavit eum, sed spiculator, sive carnifex, quem ad eam rem miserat in carcerem, ut dicitur Marc. 6.

13. *Quod cùm audisset.* Non ad mortem Joannis hoc referendum est; jamdiu enim contigerat; sed potiùs ad sermones, qui de Christo in aula Herodis habebantur; cùm enim Matthæus de illis sermonibus agere cœpisset, illorum occasione interpositis incarceratione Joannis, ejúsque decollatione, eo quòd Christus crederetur à quibusdam Joannes redivivus, redit unde abierat. *Cùm audisset*, inquit, *Jesus* quid de se Herodes existimaret, *secessit in desertum*, non ob hanc solam causam, sed etiam ut Apostolis ab Evangelii munere redeuntibus & fatigatis, requiescendi spatium daret, quod narrant Marcus. c. 6. v. 31. & Lucas c. 9. v. 10.

Secessit inde. Supple ex loco citato Lucæ, assumtis discipulis.

In locum desertum. Supple ex loco citato Lucæ, *qui est Bethsaidæ.* Desertum autem dicebatur Bethsaidæ, quod, interjecto mari Galilææ, è regione esset, ut patet ex Joan. 6. v. 1. ideo satis perceperunt, qui Jesum abeuntem videbant, eum in desertum illud secedere, ad quod cùm pedestre iter esset, nonnihil circumeundo, turbæ undique illuc properarunt, multi currendo & prævenien lo, ut ait Marc. c. 6. v. 33. & multi sequendo, ut Matth. hîc & Luc. c. 9. v. 11. & Joan. c. 6. v. 2. narrant.

14. *Et exiens.* Scilicet, è navicula, *subiit* ut dicitur Joan. 6. v. 3. *in montem, & ibi sedebat cum discipulis suis*, deinde sublevans oculos vidit turbam multam ad se venientem, & misertus est eis, eósque benignè excepit & curavit langnidos eorum usque ad vesperam, quâ imminente duodecim discipuli monuerunt Christum ut turbam in proximas villas dimitteret, ubi corpus cibo reficere possent; at Christus jussit ut ipsi discipuli darent turbæ manducare: atque ut Philippo propria fidei imbecillitas innotesceret, explorans utrum deficientibus humanis mediis ad Magistri omnipotentiam & providentiam recurreret, dixit ad eum: Unde comparabimus pretium, ut emamus cibos multitudini reficiendæ necessarios? Respondit Philippus frustrà adhiberi hanc sollicitudinem, cùm nec ducentorum denariorum panes tantæ turbæ alendæ sufficerent. Suam autem mentem Philippus expressit, vel his verbis Joannis c. 6. v. 7. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*; vel his verbis quasi per ironiam dictis. Marc. 6. v. 37. *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* Tùm Jesus

dixit discipulis; *Quot panes habetis? ite & videte.* Et cùm vidissent respondit omnium nomine Andreas, *Est puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid inter tantos, nisi nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas?* Hoc audito, Jesus jussit sibi afferri panes, & pisces, quos eo modo multiplicavit, ut omnibus reficiendis non sufficerent modò, sed & duodecim cophini fragmentorum pleni supererent. Hoc modo ordinanda est præsens multiplicationis panum historia, & apparebit nullam prorsus esse inter quatuor Evangelistas dissonantiam.

19. *Cùm jussisset turbam discumbere super fœnum.* Id est, cùm præcepisset discipulis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum in partes, per centenos & quinquagenos, ut dicitur Marc. 6. v. 39.

Aspiciens in cœlum benedixit. Nempe panibus, ut patet ex Luc. 7. v. 16. Hoc autem fecit Jesus Hebræorum more; solent enim Hebræi hodiéque, cùm ad mensam accedunt, priusquam panes frangant, impositis manibus benedicere illis hac formulâ: *Benedictus tu Dominus Deus noster Rex mundi, qui educis panem de terra.* Hac formulâ si usus est Christus, nemo mirabitur Joannem his verbis usum: *Cùm gratias egisset*, pro eo quod alii tres Evangelistæ expresserunt per vocem. *benedixit*; eadem quippe panum benedictio gratiarum actionem continet.

Dedit discipulis panes, & discipuli turbis. Quia per Apostolos erant divinæ gratiæ dona inferioribus hominibus reddenda, id est, communicanda, ut ait B. Hilar. can. 14. in Matth.

21. *Fuit numerus quinque millia virorum.* Supple, circiter, ut patet ex textu Græco hîc, & Marc. 6. v. 44. & ex ipso textu Latino Joan. 6. v. 10.

Exceptis mulieribus & parvulis. Mulieres & parvuli, sexus fragilis & ætas minor, numero indigni sunt. Unde & in Numerorum libro quoties sacerdotes atque Levitæ, & exercitus vel turba pugnantium describuntur: servi, & mulieres, & parvuli, & vulgus ignobile absque numero prætermittitur. B. Hier.

22. *Statim.* Postquam Christus in manibus suis multiplicasset quinque panes, quomodo Deus multiplicat de paucis granis segetes, agnitus est pro vero Messia à turba, ut testatur Joan. c. 6. v. 14. cúmque Jesus cognovisset, quòd iidem homines tanto miraculo commoti venturi essent ut raperent eum & facerent regem, compulit discipulos suos ascendere in naviculam, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, donec dimitteret turbas, ut dicitur Marc. 6. v. 45.

Joan.

Joan. 6. v. 14, & 15. Ut autem serò factum est descenderunt discipuli ad mare, & cùm ascendissent navim, venerunt trans mare primò in terram Genesareth, quæ & Genesar, & Cenereth, & Ceneroth, & Tiberias dicitur; deinde aliquot miraculis ibi factis à Christo, appulerunt Capharnaum; ipse verò Christus cùm valedixisset turbæ, iterum rediit solus oraturus in montem, è quo descenderat ad turbam ante panum multiplicationem.

Vespere autem facto solus erat ibi. Cùm Matthæus ante panum multiplicationem dicat suprà v. 13. *vespere autem facto*, quod tamen aliquot horis ante secundum illum Christi secessum in montem contigit, palam fit vespertinum tempus ab Hebræis dividi in duas vesperas; unam meridiei, alteram occasui propiorem, quarum initium est *tempus*, ut aiunt Talmudistæ Tract. de Paschate c. 5. *à quo sol incipit in occasum vergere*: hoc est, ut ibidem exponit Glossa, primâ semi-horâ post meridiem; finis verò duarum vesperarum est solis occasus; cùm illud spatium, quod ambæ vesperæ complectuntur, intra quod die decimâ quartâ mensis primi immolari jubetur Paschа Exod. 12. Levit. 23. Num. 9. pateat ex Deut. 16. v. 6. durasse usque ad solis occasum; siquidem agnus Paschalis, qui ex locis mox citatis immolandus est inter, seu intra duas vesperas, ibi legitur immolandus vesperè, ad (id est, circa) solis occasum. Rabbini, & Chaldei duas vesperas alio nomine appellant בין שמשות *inter-soles*, seu, *duos soles*, & utrilibet horum duarum sesqui-horarum spatium assignant. Duplicem hanc vesperam agnoscit Eustathius in lib. 17. Odyss. Suidas addit Atticum esse hoc loquendi genus, ejusque proferuntur exempla ex Philemone. Eodem pertinet illud Varronis in Satyra Menippea, *Nescis quid vesper serus vehat. Vesper serus*, id est, δείλη ὀψία, cui πρωΐα opponitur apud Hesychium, & Eustathium loco mox laudato.

25. *Quartâ autem vigiliâ noctis.* Hebræi vetustiores dividebant noctem in tres vigilias, quarum prima dicitur Thren. 2. v. 19. *principium vigiliarum*. Qui per hanc noctis partem vigilabant, ibant cubitum cùm secunda noctis pars inciperet, & alii vigiles è somno excitati his succedebant per secundam noctis vigiliam, quæ Judicum 7. v. 19. dicitur *media*, seu *vigilia noctis mediæ*. Tertia denique vigilia dicitur Exod 14. v. 24. *vigilia matutina*. B. Lucas c. 12. v. 38. more veteri tertiam vigiliam videtur habere pro ultima. At Romanis demum temporibus pro tribus vigiliis, quatuor constitui cœperunt, unde in præsenti versiculo & Marc. 6. v. 48. quartæ vigiliæ mentio est.

26. *Videntes eum.* Adde ex Joan. c. 6. v. 19. *cùm remigassent quasi stadia viginti quinque aut triginta.*

Phantasma. Id est, spectrum, quod melius dicitur Græcè φάσμα.

27. *Habete fiduciam.* Scilicet, in me præsente.

28. *Si tu es.* Non de Christi virtute dubitat Petrus, sed de persona, nam & spectrum poterat Christi effigiem & vocem ejus mentiri.

Jube. Ita, scilicet, ut res ipsa sequatur; alias enim & spectrum hoc jubere poterat.

30. *Timuit.* Cùm Christo tamen jam esset propior; *Hæc enim est humanæ conditio naturæ, ut difficilioribus nonnunquam superatis, in minoribus succumbat*, ut præclarè observat Chrysost.

Clamavit. Nempe præsentia pericula sopitam excitant fidem & dilectionem.

31. *Modicæ fidei.* Increpat Christus Petrum, ut admoneretur non à vento valido, sed ab imbecilla fide periculum submersionis proveniisse.

32. *Et cùm ascendissent.* Nimirum Christus, & Petrus in naviculam, cessavit ventus. Alterum addit miraculum Joan. c. 6. v. 21. nempe statim atque cum Petro ascendisset Christus in naviculam: navim subitò appulisse ad terram, cùm discipuli vellent, ut solebant, unà cum Christo navigare.

Verè filius Dei es. Hac confessione non videntur Apostoli intellexisse Filium Dei naturalem, sed adoptivum ceteris præcellentiorem, & Messiam promissum; nam ex c. 16. Matth. v. 16. & 17. manifestè colligitur Simonem Petrum primum fuisse, qui Christum Dominum ex revelatione Patris cœlestis palam confessus fuerit esse Filium Dei vivi naturalem.

34. *Venerunt in terram Genesar.* A qua terra Genesar, seu Genesareh deinde venerunt in Capharnaum, ut dicitur Joan. 6. v. 17.

Quicunque tetigerunt, &c. Non minus absurdè hinc infertur, licitum esse Crucis Domini & Reliquiarum cultum, quàm siquis inferret umbras Sanctorum esse religiosè colendas, quia Petri umbrà inumbrati liberabantur ab infirmitatibus suis, Act. 5. v. 15.

CAPUT

CAPUT. XV.

1. *Seniorum.* Id est, majorum nostrorum.

3. *Propter traditionem vestram.* Id est, studio servandæ vestræ traditionis.

4. *Honora.* Scilicet reverentiâ, obedientiâ, & beneficentiâ.

5. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit.* Clarius Marcus c. 7. v. 11. *corban, quod est donum, quodcumque ex me tibi profuerit.* Sensus genuinus hujus loci est: id quo à me juvari possis, id omne est Corban, seu Deo devotum. Meritò itaque redarguit Christus Pharisæos absolventes eum à culpa violati præcepti de honorandis parentibus, qui se non exhibuerit beneficum in egenos parentes, modò id, quo ipsorum inopias sublevare posset, Deo devoverit; meritò, inquam, Pharisæos sic sentientes redarguit Christus, quia qui Deo vovet quæ patri necessaria sunt, aliena vovet, non sua; nam pars bonorum; quâ pater eget, mea non est, sed patris; dicitur autem Proverb. 3. *Honora Dominum de tua substantia:* de injusto immolantis oblatio ridicula est, proindè David Areunæ Regis boves emit & solvit, Deóque tum demum obtulit. *Emam*, inquit David, *pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita* 2 Sam. seu Reg. 24. v. 24.

6. *Honorificabit.* Id est, beneficentiâ afficiet, ut clarius patet ex Marc. 7. v. 12. Queritur hîc Christus populum Dei abductum fuisse ab observatione mandatorum divinorum, dum toti incumbebant in traditiones Pharisæorum. Hoc ipsum Joannes Gerson de vita Spirit. parte 3. reprehendit in colluvie ceremoniarum & traditionum Romanensium: *Supervacua*, inquit, *occupatio circa traditiones humanas gignit ignorantiam divinorum præceptorum.*

8. *Labiis.* Id est, cultu exteriori & ceremoniali.

Cor. Id est, voluntas.

9. *Sine causa.* Id est, *in vanum*, ut loquitur Marcus c. 7. v. 7. frivolus enim est cultus exterior sine interiori, seu sine charitate: quia Deus charitate colitur.

Docentes doctrinas & mandata hominum. Rejicit hîc Christus illas Judæorum traditiones, quas deuteroses vocant, à Pha-

risæis excogitatas, præpostero pietatis studio, ut pote quæ ut plurimum repugnant Legi Dei, vel saltem nihil ad sincerum pietatis cultum conducunt, ut videre est, apud Hieronymum Ep. 151. ad Algasiam quæst. 10. & in commentariis in Esaïam. Non rejicit autem Dominus mandata Legi Dei non repugnantia, si præscribantur ab iis, qui legitimam potestatem habent, vel externi ordinis causâ, vel quatenus ad finem aliquem utilem referri possunt.

11. *Non quod intrat.* Jam reddit Christus directè rationem turbis de discipulorum suorum facto.

Coinquinat hominem. Clariùs Marc. 7. v. 15. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt* (quod Matthæus ut antithesim servaret, Synecdochicè exprimit per hæc verba, *ex ore*) *illa sunt quæ communicant*, id est, inquinant, *hominem.* Advertit autem Aug. lib. 15. de Trinitate c. 10. ex hoc loco constare duo esse quædam hominis ora, unum corporis, alterum cordis.

12. *Scandalizati.* Id est, offensi.

13. *Omnis plantatio.* Id est, planta. Intelligitur autem hîc per plantationem reprobam & succidendam, genus illud hominum, quod per traditionem suam irritum fecit Dei mandatum; habet enim consuetudo Scripturæ, ut ipsos homines vocet palmites, genimina, germina, arbores & vineas. Hinc author de vocat. Gent. lib. 1. cap. 6. ait quòd *quidquid non est eradicandum, manifestum est à Patre esse plantatum.*

Sinite illos. Ecce magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit. Et rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. B. Greg. Hom. 7. in Ezech. Idem docet in Epistolarum lib. 9. Ep. 39. ad Theotistam Patritiam. Hinc D. Th. 22. q. 43. ar. 7. ad 2. *propter nullum scandalum, quod sequi videatur, debet homo prætermissâ veritate falsitatem docere.*

Cæci sunt. Cæcos appellat mentem non habentes illustratam à Patre luminum, nec scientes viam quæ ducit ad vitam, quos mox ratione malorum affectuum plantatos à Patre suo negavit, & proinde eradicandos affirmavit.

Ambo in foveam cadunt. Pastorum imperitia meritis congruit sæpe subjectorum, qui quamvis lumen scientiæ suâ culpâ agente non habeant, districto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum igno-

ignorantiam hi etiam qui ſequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per ſemetipſam veritas dicit: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Hinc Pſalmiſta non optantis animo, ſed prophetantis miniſterio denuntiat dicens: Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva. Oculi quippè ſunt, qui in ipſa honoris ſummi facie poſiti providendi itineris officium ſuſcipiunt: quibus bi nimirum qui ſubſequenter inhærent dorſa nominantur. Obſcuratis ergo oculis dorſum flectitur: quia cùm lumen ſcientiæ perdunt qui præeunt; profectò cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur qui ſequuntur. B. Greg. Paſt. I. p. cap. I.

15. *Reſpondens autem Petrus.* Scilicet, nomine omnium diſcipulorum, cùm Chriſtus introiſſet in domum dimiſſis turbis, ut patet ex Marc. 7. v. 17.

16. *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Quod apertè dictum fuerat, & patebat auditui, Apoſtolus Petrus per parabolam dictum putat, & in re manifeſta myſticam quærit intelligentiam: corripitúrque à Domino, quare parabolicè dictum putet, quod perſpicuè locutus eſt. Ex quo animadvertimus vitioſum eſſe auditorem qui aut obſcura manifeſtè, aut manifeſtè dicta obſcurè velit intelligere.* B. Hier.

17. *Quod in os intrat.* Supple, immundum & ſordium plenum, non poteſt communicare, id eſt, inquinare, hominem, quia non intrat in cor ejus, id eſt, in ipſius animam. Q. d. Stultum eſt ſanctitatem aut juſtitiam quærere in illis rebus caducis, terrenis & corruptibilibus, vel pollutionem aliquam & peccati contaminationem ab iſtis metuere; ſunt enim hujuſmodi omnia nec bona nec mala in ſe, ſed perinde ſunt hominibus atque animi illorum ſunt, qui eis utuntur.

In ſeceſſum emittitur. Id eſt, quidquid immunditiæ & ſordium cibo ineſt, homo per fæces ejicit & in ſeceſſum emittit, relictâ in corpore puriori ſubſtantiâ. Unde Marcus cap. 7. v. 19. addit: *purgans omnes eſcas:* id eſt, hac ſui emiſſione ſecernens quod impurum & fæculentum eſt in cibo, ab eo quod purum & mundum eidem ineſt. Origenes in præſentem Evangelii locum propugnat & Euchariſtiam, *juxtà id quod habet materiale*, in ventrem abire & in ſeceſſum ejici. Idem videntur ſenſiſſe Patres Conc. Tolet. XVI. vetant enim can. VI. *Ne grande aliquid in altari proponatur benedictione ſacerdotali conſecrandum, ſed tantùm modica oblata, quæ non ventrem illius, qui ſumſerit gravis farciminis onere premat, nec in digeſtionem vadat, ſed animam alimoniâ ſpirituali reficiat.* Nempe in Euchariſtia conſideratur materiale, ſeu *ſacramentum*,

ſcilicet Panis & vini, quæ per conſecrationem fiunt typi & ſymbola atque Chriſti corpus & ſanguis: hoc materiale *non ſuapte naturâ ſanctificat utentem, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur*, ut loquitur Origenes. Conſideratur & *formale*, ſeu *res*, & *virtus ſacramenti*, ſcilicet proprium Chriſti corpus, propriúſque ſanguis poſt conſecrationem præſens ſpiritualiter, id eſt, per vinculum Spiritûs, quo fit ut fideliter ſumens typicum ſymbolicúmque Chriſti corpus & ſanguinem, ſeu, quod idem eſt, panem & vinum conſecratum, reverà conjungatur cum ipſo proprio corpore & ſanguine Chriſti, licèt locis longè diſterminentur. Hoc formale Euchariſtiæ, ſeu cœnæ Dominicæ nec conſumitur, nec corrumpitur, nec in ſeceſſum abit, ut verè aſſerit Joannes Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14.

18. *De ore.* Id eſt, ab intus, ſeu de homine; ut enim *intrare in os* Matthæus dixit pro eo quod Marcus dixit *extrinſecùs introiens in hominem*, ſic idem Matthæus ut antitheſim ſervaret *procedere de ore* dixit quod Marcus *de homine exire, & ab intus procedere*, pronuntiavit.

De corde. Id eſt, ex libero arbitrio.

Coinquinant. Id eſt, coinquinare poſſunt, ſicut & ſanctificare. Hinc patet ſicut & ex Apoſtolo pronunciante omnia munda mundis, quòd animalia à Deo in lege interdicta, naturâ non erant immunda, ſed ſignificatione ſolùm, ut obſervat B. Aug. lib. 6. contra Fauſtum c. 7. ubi ait quòd *ſi de porco & agno requiratur, utrumque naturâ mundum eſt, quia omnis creatura Dei bona eſt, quâdam vero ſignificatione agnus mundus, porcus immundus eſt; tanquam ſi ſtultum & ſapientem diceres, utrumque hoc verbum naturâ vocis & literarum & ſyllabarum, quibus conſtat, utique mundum eſt: ſignificatione autem unum horum verbum, quod dicitur ſtultus, immundum dici poteſt, non naturâ ſui, ſed quoniam quiddam immundum ſignificat; & fortaſſe quod eſt in rerum figuris porcus, hoc eſt in rerum genere ſtultus & tam illud animal, quàm iſta duæ ſyllabæ, quod dicitur ſtultus, quiddam unum idémque ſignificat. Immundum quippe illud animal in Lege poſitum eſt, eo quòd non ruminet: non autem hoc ejus vitium, ſed natura eſt. Sunt autem homines, qui per hoc animal ſignificantur, immundi proprio vitio, non naturâ: qui cùm libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab inteſtino memoriæ, tanquam ad os cogitationis recordandi dulcedine revocare, quid eſt aliud, quàm ſpiritaliter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt illorum animalium genere figurantur. Unde & ipſa à talibus carnibus abſtinentia, tale vitium nos cavere præmonuit; cùm enim ibe-*

Thesaurus desiderabilis sit ipsa sapientia, de hac munditia ruminandi, & immunditia non ruminandi scriptum est (Proverb. 21. v. 20. juxta editionem LXX.) *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum. Hæ autem similitudines rerum in locutionibus & observationibus figuratis propter quærendi & comparandi exercitationem, rationales mentes utiliter & suaviter movent. Sed priori populo multa talia non tantùm audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantùm dictis, sed etiam factis prophetari oporteret ea, quæ posteriori tempore fulerant revelanda. Quibus per Christum atque in Christo revelatis, fides Gentium onera observationum non sunt impositæ, prophetiæ tamen autoritas commendatâ.*

21. *Inde.* Id est, ex Galilæa, quam Jesus perambulabat post multiplicationem panum suprà relatam, post egressum è terra Genesar, & habitum Sermonem de cibo cœlesti apud Capharnaitas, qui habetur, Joan. 6. non enim volebat, ut idem Joannes narrat c. 7. v. 1. in Judæam scilicet strictè sumtam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

22. *Et ecce mulier.* Hoc loquendi modo tacitè innuit Matthæus quòd apertè dicit Marc. c. 7. v. 24. nempe quòd Christus, ut advenit in fines Tyri & Sidonis, *ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere; mulier enim Gentilis & Syrophœnissa, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit & procidit ad pedes ejus*, &c. Porro quod Marcus dicit Christum voluisse latere, & non potuisse, intelligendum est de voluntate, ut Scholastici loquuntur, signi & præparationis, quia nempe Christus id faciebat, quod faceret homo volens latere, nam subducens se clanculùm ingrediebatur domum. Sic Luc. c. 24. v. 28. dicit Christum finxisse se longiùs ire. Hoc sensu etiam Marc. 11. v. 13. dicitur: *Cùm* Christus *vidisset à longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in ea:* non quòd Christus dubitaret an quid esset in ea, cùm nemo nesciret nullos tunc temporis in ficu esse fructus, etenim ut observat Evangelista, *non erat tempus ficorum*, sed quòd faceret ea, quæ facere solent homines quærentes & sperantes se fructus in arbore inventuros. Potuisset etiam Marcus his terminis uti: *Venit Christus & voluit decerpere fructus, aut finxit se velle decerpere fructus*, & tamen idem penitùs esse sensus.

Chananæa. Sic dicitur, quia erat ex stirpe Chanaan, cujus Sidon erat primogenitus. A Marco vocatur Syrophœnissa, id est, ex Phœnicia Syriæ, nam erat & alia Phœnicia in Lybia. Gentilis denique dicitur, seu ut habetur in textu Græco apud Marcum, Græca, propter religionem prophanam.

Clama-

Clamavit. Valdè verisimile est mulierem primùm clamasse ante januam, & excitasse turbam, deinde etiam intrasse.

Clamat. Supple, importunè.

Non sum missus, &c. *Quid est*, inquit Aug. Tract. 47. in Joan. *non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israël? Ad Gentes non perrexit ipse, ut qui contemnebant majus judicium sumerent, quia & præsentiâ illis est exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modò adorantur, ubi novissimè stetit; unde ascendit ad cœlum; ad Gentes autem misit. Sed fortè aliqui arbitrantur quoniam non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audiisse vocem ipsius, sed vocem eorum quos misit: Absit, pellatur ista cogitatio de cordibus vestris, & in his quos misit ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit, ad Gentes enim præcipuè Paulum misit Apostolum, & ait ipse Paulus, terrens non de se sed de illo: An vultis accipere experimentum ejus qui in me loquitur Christus? audite & ipsum Dominum: Et alias oves habeo, id est, in Gentibus, quæ non sunt in hoc ovili, id est, de populo Israël, oportet me & illas adducere: ergo & per suos non alter adducit. Adhuc audi: Vocem meam audient, ecce & per suos ipse loquitur, & per eos quos misit, vox ejus auditur: Ut sit unum ovile & unus pastor. Duobus istis gregibus tamquam duobus parietibus factus est lapis angularis per similitudinem, non propriè. Non autem*, ut monet B. Chrysost. Hom. 53. *quia negligebat, sed ut repositum atque absconditum in animo Chananææ virtutis thesaurum in lucem protraheret, Christus eam repellebat.*

25. *Venit.* Marc. 7. v. 25. *intravit*, sed in utriusque Evangelistæ textu Græco habetur, ἐλθοῦσα, venit, seu cùm venisset.

26. *Adoravit eum.* Hoc Marcus his verbis expressit, *procidit ad pedes ejus.*

Ait. Hîc supple ex Marc. 7. v. 27. *sine prius saturari filios, non est enim bonum sumere*, &c. Sic Apostoli Act. 13. *Vobis*, scilicet, tamquam filiis, *oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

27. *Etiam Domine.* Suscepit mulier humiliter convicium, & meruit beneficium.

Catelli. Catellos hîc intellige non præcisè melitæos, quos habent mulieres in deliciis; hi enim plerumque micas panis sub mensa non colligunt, sed in ipso sinu dominæ, iisdem cum illa ciborum deliciis lautè vescuntur. Catelli igitur hîc sunt,

ſunt, quivis canes domeſtici infra moloſſos & vertagos; moloſſis enim & vertagis cadentes de menſa micæ non ſufficiunt, ſed majoribus oſſibus opus eſt.

De micis. Id eſt, de fruſtulis; neque enim canes colligunt micas propriè dictas, ſed gallinæ, aut aves aliæ, quibus roſtrum eſt acutius, aut minora animalcula.

Quæ cadunt. Sive fortè fortunâ id fiat, ſive à domino projiciantur.

28. *Magna eſt fides tua.* Credidit hæc mulier ex auditu, ſeu famâ miraculorum Chriſti; unde Marc. 7. v. 25. ſignanter dicit: *Statim ut audivit de eo*, &c. Fides enim ut eſt determinatio de credibili, eſt ex auditu, licèt fides ut eſt cordis inclinatio ad credendum, non ſit ex auditu, ſed ex dono gratiæ, ut loquitur D. Th. in Rom. 10. Lect. 2.

29. *Inde.* Id eſt, de finibus Tyri & Sidonis, ut patet ex Marc. 7. v. 31. *venit ſecus mare Galilææ.* Supple, ex Marc. *inter medios fines Decapoleos.* Ibi autem Chriſtus ſanavit ſurdum & mutum, ſeu ut habet textus Græcus difficulter loquentem ad ſe adductum, ut narratur Marc. 7.

30. *Claudos.* Græcè, mutilos.

31. *Claudos ambulantes.* Græcè, mutilos ſanos.

34. *Piſciculos.* Græcè, hîc eſt Marc. 8. v. 7. ἰχθύδια. Apud Joannem verò c. 6. & alibi, paſcim piſciculi vocantur ὀψάρια, nempè cùm ὄψον ſit opſonium quodvis, piſcis id obtinuit, ut ſibi hoc vocabulum aptaretur ſoli propter ſaporis præſtantiam, ut & diminutivum ὀψάριον. A multis hoc ſenſu uſurpari teſtes ſunt Athenæus, Suidas, Euſtathius, & ceteri. Sic Terentius in Andria Act. 2. Sce. 2. paululum opſonii, & piſciculos minutos pro eodem ſumit.

36. *Gratias agens fregit.* Gratias agens hîc dixit Matthæus, quod ſuprà expreſſit per verbum *benedixit.* Idem tum apud ipſum, tum apud ceteros Evangeliſtas obſervare licet paſſim; hæ autem expreſſiones ſynonymæ ſunt ob rationem ſuprà allatam cap. 13.

37. *Sportas.* Queritur unde in deſerto tot ſportæ, ſed facilis eſt reſponſio, vel enim Evangeliſta per ſportas menſuram tantùm ſignificat, non verò quòd reipſa ibi fuerint ſportæ; vel ſportæ erant in deſerto in quibus allatus erat panis turbis ad Chriſtum venientibus vendendus, & in his collecta ſunt fragmenta reliquiarum, ut juſſit Chriſtus.

39. *In fines Magedan.* Græce Μαγδαλά. Sed optimi Codices dicuntur habere Μαγαδάν, & hæc fuit olim Græca lectio, ut colligere eſt ex Hier. & Aug. Marcus verò habet *Dalmanutha*, quia in eodem tractu vici Magedan, ſive Magadan

gadan & Dalmanutha sunt, ita ut ab utrovis is tractus denominari potuerit. Potest etiam dici quòd Christus primò venerit in partes Dalmanutha, deinde in fines Magedan, vel è converso, quorum alterutrum ab utroque Evangelista omissum est.

CAPUT XVI.

2. *Facto vespere, &c.* Nubes densæ tectæ sole obliquo, qualis est quum jam occidit, nigrorem præ se ferunt: quæ verò sunt rubicundæ, cùm non sint adeò opacæ ac densæ, penetrantur lumine, ideóque in diem posterum nullum indicant tempestatis apparatum: serenitatem igitur prænuntiant. Cùm verò oriente sole, triste hinc inde, & nubilosum se cœlum exhibet: solent plenumque nubes ad occursum solis condensatæ in pluviam destillare, aut in ventos resolvi.

4. *Faciem ergo cœli, &c.* Q. d. nostis ô Pharisæi & Sadducæi fallacia rerum futurarum signa discernere, & signa infallibilia Legis & Prophetarum oraculis consignata quibus adventus meus jam præsens agnoscatur, observare non potestis? ô præpostera sapientia & ingenii subtilitas! Neque repugnat huic Christi dicto alterum ipsiusmet dictum Luc. 17. v. 20. *Regnum Dei*, quo scilicet Christus glorioſus dominabitur, *non venit cum observatione*; sensus enim illius dicti est, regnum Dei, seu tempus illud post resurrectionem futurum, quo Christus per secundum adventum suum regnum, quod intra nos per primum adventum inchoavit, consummabit, non longè antequam veniat, pompâ, comitatu, aliisve signis præcedetur, quibus futurus observari possit, licèt non sint defutura signa à Christo promissa Luc. 21. v. 27. quibus & ille secundus adventus præsens declaretur.

Generatio mala, &c. Hæc ut patet ex Marc. 8. v. 12. dixit Christus *ingemiscens spiritu*, id est, in semetipso; sic enim Jo. c. 11. quod v. 33. expressit his verbis *infremuit spiritu*, ibidem v. 38. exprimit istis *fremens in semetipso*; ille autem ingemiscit in semetipso, qui intimos doloris affectus intra semetipsum cohibet; & infremit spiritu seu in semetipso,

ipso, qui sonum indignationis intra semetipsum cohibet ne foras erumpat. Fremitus enim est sonitus quidam indignantis, qui fit flatu oris represso.

5. *Cùm venissent.* Id est, cùm venire cœpissent; nam patet ex Marc. 8. v. 14. quæ hìc sequuntur, in ipsa navi, cùm transfretarent mare Galilææ in Bethsaidam, contigisse.

7. *Cogitabant, &c.* Græcè, *disceptabant*; nam & verbis eos inter se egisse indicat Marcus.

8. *Cogitatis.* Græcè, *disceptatis.*

11. *Cavete. Prudentem & sapiens informat & stultus; ille quid imitandum sit docet, iste quid vitandum.* B. Eucherius in Epistola de contemtu mundi.

A fermento. Fermentum malitiæ opponit Paulus 1 Cor. v. 8. cap. quinti azymis sinceritatis & veritatis. Alii dum de moribus dicitur, per fermentum superbiam intelligunt, quia massa fermentata statim intumescit. Alii odia & simultates quibus acescunt animi & exacerbantur. Secundum varias has fermenti acceptiones, variè exponitur illud Ps. 71. v. 4. quod David juxta veritatem Hebraicam liberari petit à manu impii, prævaricatoris & fermentati.

12. *A doctrina Pharisæorum & Saducæorum.* Supple ex Luc. 12. v. 1. *quæ est hypocrisis*; nam Pharisæi quædam docebant Legi consentanea & ad pietatem conducentia, & hæc omnia facienda & servanda præcipit Christus infrà cap. 23. v. 2. Alia verò docebant Legi Dei adversantia, rescindentes verbum Dei, & hæc est doctrina à qua suis cavendum Christus præcipit, ne irrita facientes præcepta Dei, ut traditiones hominum servent, adinstar Pharisæorum sibi inurant notam hypocritarum, quibus ad amussim competit, ut ipse Christus testatur suprà cap. 15. v. 7. quod in hypocritis ætatis suæ perstrinxit Esaias dicens: *Populus hic labiis me honorat, &c.* Sicut autem Christus hìc à fermento Pharisæorum & Saducæorum, hoc est, à doctrina illorum hypocritica; item Marc. 8. v. 14. etiam à fermento Herodis, id est, ab hypocritica ipsius vitæ conversatione cavendum præcipit. Nam Herodes Tetrarcha qui propter insignem astutiam à Christo vocatur vulpes Luc. 13. v. 32. erat compositus ad Romani tunc Imperatoris exemplum, qui nullam ex virtutibus suis magis, quàm dissimulationem diligebat. Itaque videas Herodem magnà arte & populo se commendasse quasi studiosum religionis perquam studiosum, & Romano Imperatori adulatum serviliter quasi ei devotissimum; cùm interim omnimodè ipse res suas ageret.

13. *Venit.*

13. *Venit.* Scilicet à vico Bethsaida, postquam ibi illuminavit cæcum extra vicum, ut narratur Marc. 8.

In partes Cæsareæ Philippi. Cæsarea sine addito dicitur urbs maritima in medio totius Judææ littore, olim Turris Stratonis dicta; hanc Herodes Magnus maximam & munitissimam reddidit, & defectionis metu, Judæorum genti arcem imposuit, ædificiis ornavit, templum, theatrum, amphitheatrum, cloacas magnificè extruxit, portúmque Pyræo non minorem adjecit, quem Sebastum, id est, Augustum appellavit, ut refert Josephus l. 15. Antiq. Jud. qui testatur quoque hujus Cæsareæ incolas plerosque fuisse Græcos, id est, Gentiles. Altera est Cæsarea, quæ dicitur Philippi, ut pote quæ à Philippo Herodis Majoris filio Iturææ & Trachonitidis Tetrarcha fuit ampliata & in gratiam Cæsaris Augusti Cæsarea appellata, cùm prius Paneas diceretur. Hæc civitas sita est prope Jordanis fontes & olim dicta Lais seu Lesem, postea Dan à Tribu illa, quæ hanc urbem occupavit: dein à Græcis Syriæ dominantibus, quibus notior erat Pan, quàm Dan, nominata est Paneas.

15. *Vos autem, &c.* Cùm Discipuli opinionem vulgi Christo indicassent, tunc propria ab eis qualitas vera fidei expetitur, ut erroris humani falsitas auferatur.

Me. Utique Filium hominis, inquit Fulgentius l. 3. ad Thrasym.

16. *Tu es Christus, &c. Divina sapientia, quæ ad sui fruitionem hominem fecerat, eum sui expertem esse non sinens, totam se in naturam humanam contulit, eam sibi modo admirabili assimendo, ut errantem hominem ad se totaliter revocaret. Hujus igitur sapientiæ claritatem nube mortalitatis velatam primus Apostolorum Princeps conspicere meruit, & eam constanter & plenariè absque errore confiteri.* D. Th. in Epistola nuncup. aureæ suæ Catenæ.

Dei vivi. Vivus dicitur Deus, quia solus verè vivit, nos autem quod vivimus, per ipsum & in ipso vivimus; nec Deus verus adinstar deorum, quos Gentilitatis dementia, vel de mortuis hominibus, vel de opere manuum sibi instituit adorandos, mortuus est, ut sicut ipsi dii mortui dicuntur, & quæ ipsis offeruntur, sacrificia mortuorum, sic & ipse Deus verus mortuus nuncupetur; vivus denique dicitur Deus verus, quia perennis & æternus est, quo sensu aqua dicitur viva, & secundum nonnullos infrà cap. 22. v. 32. Deus dicitur non mortuorum sed viventium.

17. *Beatus*

17. *Beatus es.* Ex hac Christi responsione ad Petri confessionem satis patet quòd, licèt alii ante Petrum iisdem ferè verbis usi fuerint, dum Christum adorarent, non tamen eodem modo eum agnoverint Filium naturalem & unigenitum Dei.

Bar Jona. Id est, filius Jona, ut habetur Jo. 1. v. 42. est autem Jona contractum à Johannan, unde Jo. 21. v. 11. B. Petrus appellatur Simon Joannis, supple, filius.

Caro & sanguis. Hæc locutio frequens est in SS. Scripturis pro homine, & apud Rabbinos, quoties homo cum Deo componitur, ut vilitas mortalium declaretur. Non autem ex humana sapientia esse fidem, sed ex inspiratione divina, præsenti ipsius veritatis voce firmatur.

18. *Et ego dico tibi.* Non sermone cassò, & nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.

Tu es Petrus. Id est, tu es is, cui ego in primo ad me adventu novum nomen imposui, *Cephas*, id est, *Petrus*, vel potiùs me impositurum promisi. quod ecce nunc præsto.

Super hanc Petram, &c. Quatuor sunt sententiæ seu sententiarum classes apud SS. PP. de expositione horum verborum. In prima classe per Petram intelligitur B. Petrus. Secunda per Petram intelligit Apostolos & eorum successores. Tertia, quæ celebrior est & ad litteram accommodatior, Petram hìc vult dici fidem a Petro confessam. Quarta denique non longè recedens à tertia per Petram putat significari ipsummet Christum. Verùm non rebus ipsis differunt inter se quatuor istæ sententiæ, sed modo tantùm & loquendi ratione. Quemadmodum enim si quis dicat: Deus me sanavit, aut medicus me sanavit, aut rheubarbarum me sanavit, etsi diversis locutionibus, communem loquendi consuetudinem sequens utitur; idem tamen semper sentit, nempe sanatum esse à Deo tanquam à causa efficiente prima, à medico tanquam à causa secunda, à rheubarbaro tanquam ab instrumento. Sic prorsus SS. PP. quando dixerunt ædificatam esse Ecclesiam super Christum, super Petrum vel Apostolos & eorum successores, super fidem aut confessionem fidei, in re optimè consenserunt, & ut Augustinus dicere solet, *locutionum hæc fuit diversitas, non sententiarum.* Christus nempe ædificii Ecclesiæ prima causa efficiens, à quo ceu fonte unico, vis omnis oritur, quæ Ecclesiam instituit, tuetur & facit durare; ipse Christus est fundamentum quod positum est, & præter quod aliud nemo potest ponere: ipse Christus est illud fundamentum, quod ut loquitur D. Thomas *per se habet soliditatem*, sicut rupes aliqua supra quam ædificium con-

construitur. Petrus verò ut Apostolus & Apostolorum præcipuus & πρόηγορος erat causa secundaria efficiens; Apostoli enim, Paulo teste, cooperatores sunt Christi in Ecclesia ædificanda: ipse etiam Petrus est fundamentum sicut & ceteri Apostoli, quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subjecto, sicut lapides qui primò imponuntur Petræ solidæ; Apostoli enim primò superædificati sunt Christo per fidem & charitatem, ita ut Petrus qui primus ex persona omnium Apostolorum confessus est Christum Filium Dei vivi, ab hac confessione Petri appellationem sit sortitus. Ταύτην τὴν ὁμολογίαν Πέτραν καλέσας ὁ Χριστὸς, Πέτρον ὀνομάζει τὴν πρώτως ὁμολογήσαντα· γνώρισμα τῆς ὁμολογίας τὴν προσηγορίαν δωρούμενος. Αὕτη γὰρ ἀληθῶς τῆς εὐσεβείας ἡ Πέτρα· αὕτη τῆς σωτηρίας ἡ κρηπὶς. Τοῦτο τῆς πίστεως τὸ τεῖχος· ἔστι δὲ τῆς ἀληθείας θεμέλιος. Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὴν κείμενον, ὃς ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστὸς. Id est, *Hanc confessionem Christus Petram cùm vocasset, Petrum nominat eum, qui primò hanc confessus est, confessionis indicem appellationem donans. Hæc enim verè est petra pietatis, hæc salutis basis, hic fidei murus, hoc veritatis fundamentum; fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Basilius Seleuciensis Antistes Hom. 25. Fides in Christum Filium Dei vivi est causa instrumentalis Ecclesiæ ædificandæ, & super ejusdem fidei confessionem citra casûs periculum formata est & fundata Christi Ecclesia, ut loquitur B. Cyrillus Alexandr. l. 4. de Trin. Unusquisque autem Fidelium est causa materialis templi Dei, quod ædificatur, ut ait Augustinus, *ex diis quos facit non factus Deus.*

Ædificabo Ecclesiam meam. Sicut architecti lapides quærunt, inventos ad opus ædificii parant cædendo, poliendo, & aliis rationibus, deinde probè paratos conjungunt inter se, ut ex omnibus rectè compositis surgat opus ædificii; sic Dominus noster ex innumero mortalium numero quosdam eligit, electos erudit, eisque fidem infundit, totósque adeo immutat lavacro regenerationis, ut ab Apostolo novæ creaturæ dicantur; tum autem ita paratos & concinnatos vinculo charitatis, participatione eorumdem Sacramentorum, communione ejusdem spei, velut cæmento quodam conjungit invicem, ut è pluribus extruantur Ecclesiæ singulæ, ex omnibus Ecclesia Catholica, quam si gregem subditum cogites, Christus in ea est Pastor Pastorum, & si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. Sunt Apostoli fundamenta; sed innituntur primo fundamento, quod est Christus Jesus, qui totum Ecclesiæ ædificium per propriam sibi firmi-

firmitatem & ſoliditatem ſuſtentat; ſic etiam Chriſtus eſt principalis hujus ædificii architectus, ſed Apoſtoli etiam hanc dignitatem & denominationem ut cauſæ inſtrumentales ſortiuntur 1 Cor. 3. v. 10. fides verò, quam Apoſtoli prædicant, & Chriſtus Apoſtolorum eorúmque ſucceſſorum miniſterio infundit, habet rationem inſtrumenti ab architectis adhibiti ad ædificii conſtructionem.

Portæ inferi. Id eſt, hæreticorum mortifera linguæ, inquit, V. Synodus Oecumenica Cp. 11. Col. 8.

Non prævalebunt. Valebunt quidem ſed non prævalebunt, prement ſed non oppriment, oppugnabunt ſed non expugnabunt. *Pugnare*, inquit Aug. l. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. *poteſt Eccleſia, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eam. Non eradicabitur, nec cedet quibuſlibet tentationibus.* Vide eumdem Aug. in Pſ. 66. B. Leonem Ser. 2. de ſuo anniverſario.

Adverſus eam. Subaudi, Eccleſiam, ut patet ex locis mox citatis & ex Iſidoro Peleuſiota, Epiphanio & aliis.

Tibi. Numquid, inquit Auguſtinus Ser. 26. de diverſis, *iſtas claves Petrus accepit & Paulus non accepit? Petrus accepit & Joannes, & Jacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? ſed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt. Ergo Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, Eccleſia corpus Chriſti eſt.* Idem ibidem Ser. 108. *Inter Apoſtolos penè ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: Tibi dabo claves regni cœlorum: has enim claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt: Tibi trado, quod omnibus traditum eſt; nam ut noveritis Eccleſiam accepiſſe claves regni cœlorum; audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, & continuò: Sicui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei, ſicui tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo, & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo. Sed hoc Petro dixit, ut ſciatis quia Petrus univerſalis Eccleſiæ perſonam tunc gerebat. Audi quid ipſi dicatur, quid omnibus fidelibus ſanctis Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Idem S. Doctor. in Pſ. 108. lib. de agone Chriſtiano c. 3. Tractatu 50.

in Jo. & Tractatu 118, &c. clarè docet Petro datas esse regni cœlorum claves, quia Christus eas contulit Ecclesiæ, quam Petrus representabat, cùm ei Dominus dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Vide eumdem S. Doctorem Tractatu 124. in Jo. & l. 1. de Doctr. Christiana c. 18.

Dabo. In futurum pollicetur, scilicet se daturum claves, non hoc loco dedit, sed post resurrectionem, dum discipulis dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum-Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c.

Claves. Id est, potestatem ex officio prædicandi Evangelium, Sacramenta administrandi, & specialiter disciplinam ecclesiasticam exercendi. Utitur autem Christus hac metaphorâ, ut Ecclesiæ præpositi noverint se esse dispensatores mysteriorum Dei, tanquam fideles servos, quos constituit Dominus super familiam suam, nec sint dominantes in Clero.

Regni cœlorum. Non terrarum. Hinc Bernardus l. 1. de Consideratione ad Eugenium: *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa & non propter has, accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique excludi, non possessores. Ut sciatis, ait Matth. 9. quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, &c. *Quanam tibi major videtur & dignitas & potestas dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena judices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alios invadis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Hinc & Christus Luc. 12. v. 14. hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus à se judicium, dixit: Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Hæc Bernardus. Hinc & Prudentius sic Herodem alloquitur:

Hostis Herodes impie
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Et. Hæc particula hîc & alibi passim exegeticè sumitur pro, *id est.*

19. *Et quodcumque ligaveris super terram*, &c. Jus ligandi atque solvendi à Christo Domino Ecclesiæ concessum, unum idémque est cum jure retinendi remittendíque peccata, *Quia cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus:*

cùm

cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœli ſolvitur reconciliatus, inquit Aug. Tract. 50. in Joan. Verùm hæc poteſtas ligandi & ſolvendi non omnino abſoluta eſt Eccleſiæ conceſſa, ſed ut pro cujuſque merito & diſpoſitione præpoſiti ea utantur; ut alioqui nec noceant ligando nec ſolvendo juvent. Hinc præclare Hier. *Iſtum locum Epiſcopi & Preſbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios, arbitrentur: cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus: & ſi lepram habuerint, tunc a ſacerdote immundi fiant: non quòd Sacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit; ſic & hîc alligat vel ſolvit Epiſcopus & preſbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii; ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit,* (in foro externo authoritativè, abſolutè, & judicialiter publicâ cenſurâ & correptionè, declarativè verò conditionaliter, & miniſterialiter quoad internum conſcientiæ forum) *quive ſolvendus.*

21. *Oſtendere.* Id eſt, claris verbis indicare.

Senioribus. Id eſt, Senatoribus.

22. *Aſſumens.* Id eſt, apprehendens, ut patet ex Marc. 8. v. 32.

Increpare. Tanquam ſui oblitum.

Abſit à te Domine. Familiaris Hebræis locutio, quâ deprecari ſolent, ne quod dicitur, veniat.

23. *Converſus.* Vultu ſcilicet minaci in Petrum lateri ſuo adhærentem, & in diſcipulos ceteros, ut patet ex Marc. 8. v. 33.

Vade poſt me. Id eſt, apage, faceſſe hinc.

Satana. Obtinet apud Hebræos Proverbii locum effici alicui in Satan, pro eo quod eſt dare conſilium malum & pernicioſum alicui; Satan enim apud Hebræos adverſarium ſonat & inimicum. Extat exemplum lib. 2. Sam. ſeu Reg. c. 19. v. 22.

Non ſapis ea quæ Dei ſunt, &c. Non divina ſed humana, quæ caro & ſanguis ſuggerere ſolet, ſapis.

24. *Tunc.* Supple ex Marc. 8. v. 34. *convocatâ turbâ cum diſcipulis ſuis, dixit eis*, id eſt, omnibus, ut patet ex Luc. 9. v. 23.

Abneget ſemetipſum. Quid hoc niſi ſuum eſſe negare, quod perinde eſt ac ſi quiſquam non ſum, ſeu nihil ſum diceret.

Hoc etiam fatetur qui credit, ſperat, & amat. Prorſus; non quia videt, ſed quia Deum audit, credit; non in ſua virtute, ſed in Dei potentia & promiſſione ſpem collocat; nihil quia ſuum, ſed quia divinum diligit; unde ſibi quiſque credendo veritatem, ſperando poteſtatem, amando bonitatem abdicat ac ſi aperte diceret: Nihil eſt in me puræ veritatis, potentiæ, bonitatis, cui fides certa, fiducia ſecura, amor caſtus, ſive à nihili, ſive à mali appetitione, ac proinde vitio, & labe integer inniti queat; neque ego, neque res alia creata, ſed Deus ſolus verus, potens, bonus, imo ſolus Deus eſt, qui eſt, ſive eſſe purum poſſidet. Ego igitur non ſum, ſive entis indolem non obtineo, niſi ſignificatione quâdam ab ea, quâ Numinis proprium eſt nomen, diverſiſſimâ; ſic etenim *aſeitatem* meram ſignificat, cui nihil ullo modo ſimile in creaturæ *abalieitate* ſub entis notione conſpicitur; nam Deus & creatura ſunt differentiæ puræ nullius generis communione miſcendæ; illa merâ *aſeitas*, hæc *abalicitas* mera cognoſcitur, ut vox magis nuſquam æquivocè reperiatur, quàm ubi ens *aſeitati* & *abalieitati* tribuitur, quæ non ſunt entis differentiæ, ſed ipſæ per ſeipſas ab invicem totæ differunt. Hæc per Eccleſiam exigitur abnegatio, ſeu abrenuntiatio à baptizandis, cùm baptiſmi ſuſceptio ſit ſolemnis profeſſio ſequelæ Chriſti, ſeu voluntatis vivendi quomodo Chriſtus vivendum verbo & exemplo docuit.

26. *Quid enim, &c.* Senſus eſt: Irreparabilis eſt quovis pretio ſeu lytro ſui ipſius jactura. Alludit autem Chriſtus ad belli ſeu humanorum judiciorum conſuetudinem.

28. *Guſtabunt mortem.* Hebraiſmus, id eſt, morientur. Hæc metaphorica locutio videtur deſumta à potionibus, quarum ſapor amarus eſt, unde & ipſa mors ab Amalecitarum Rege Agag, *amara* vocatur 1 Sam. ſeu Reg. 15.

In regno ſuo. Cùm hoc de ultimo adventu intelligi non poſſit, quidam impletum volunt in transfiguratione, quam Evangeliſtæ mox ſubjungunt; nonnulli referunt ad adventum Chriſti in gloria poſt reſurrectionem, quæ uſque ad Aſcenſionem omnibus diſcipulis manifeſtata eſt; alii denique ad regnum Chriſti per Evangelii prædicationem in toto orbe.

CAPUT

CAPUT XVII.

1. *Post dies sex.* Supple, integros; unde Luc. 9. v. 28. dicitur: *factum est post hæc verba ferè dies octo:* nempe quia hoc evenit post dies sex integros & duorum extremorum aliquam partem.

Jacobum. Non fratrem Domini Jerosolymorum Episcopum & Catholicæ epistolæ scriptorem, ut Aug. putavit, sed Majorem, qui ab Herode est occisus, cùm Matthæus ipsum appellet fratrem Joannis.

In montem excelsum. Est vetustissima in Ecclesia traditio per montem excelsum hîc intelligi Thabor, qui sic vocatur in Paraphrasi Chaldæa Jonathæ κατ' ἐξοχὴν. Hunc montem Græci interpretes & Josephus Itabyrium appellant, & Hieronymus in Epistola ad Marcellam vocat Tabyrium. *Est autem Thabor mons in Galilæa situs in campestribus, rotundus atque sublimis, & ex omni parte finitur æqualiter,* inquit idem Hier. Quia vero hic mons Occidentem respiciebat, pro Occidente ponitur Psal. 88. Heb. 89. v. 13. ut Hermon pro Oriente. Idem mons Thabor nuncupatur mons Sanctus 2. Pet. 1 v. 18. à Polybio Atabyrius, & dicitur à Masio in Josue abfuisse à Nazareth duarum horarum itinere. Idem mons à nonnullis dicitur mons nivis. *Hujus altitudo triginta est stadiorum, & vertex habet planiciem viginti sex stadiorum,* ut ait Josephus lib. 4. de bello Judaico c. 6. cùm tamen Polybius in quinta historia tantùm dicat hunc montem habere altitudinem stadiorum amplius quindecim; sed fieri potest ut de diversis partibus montis scripserint Polybius & Josephus, non enim solùm ex una parte adiri solent magni montes. Testimonio Gemini in elementis astronomiæ cognoscimus hunc montem habere altitudinem ad perpendiculum stadiorum ferè 14. ut non sit mirum quòd Josephus ait de 30. stadiis, si accipiatur de viis & flexibus circa montem, per quos ascenditur. Joan. Damascenus inusitatæ altitudinis montem Thabor fuisse satis ostendit in Homil. de transfiguratione.

2. *Transfiguratus est.* Id est, *facta est dum oraret species vultûs ejus altera,* ut habetur Luc. 9. v. 29.

Et. Hæc particula exegeticè hîc ſumitur, ut alibi paſſim, pro, *id eſt.*

Facta ſunt alba ſicut nix. Græcè Φῶς lumen, unde Marc. c. 9. v. 2. addit, *qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere*; unde albor hîc non eſt propriè albor, ſed luminis tranſparentis fulgor, qualis fere eſt nubium ſoli ſubjectarum directè.

3. *Moyſes & Elias.* Hi apparuerunt, quia Lex & Prophetæ in alto celſioris intelligentiæ cernuntur cum Evangelio, & concordant cum eo in dictis ſuis; unde in eo quod Petrus tria tabernacula facere quæſivit, neſciebat quid diceret, cùm unum ſit tabernaculum Evangelii, in quo Lex & Prophetæ recapitulantur, ut Hieronymi voce utar.

Cum eo loquentes. Nempè de paſſione ſua, quam Lucas exceſſum ejus vocat c. 9. v. 31. *Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo, oſtendebant quæ prædixerant, manifeſtabant quem prophetaverant. Loquebantur. Putas, quid loquebantur? Ut Judæi convincerentur, Pagani converterentur, Manichæi confunderentur, Hæretici comprimerentur, Catholici confirmarentur. Loquebatur Lex & gratia, lenitas & aſperitas, terror & manſuetudo, præceptum & adjutorium, ſerravientum & medicus, umbra & lux, præco & judex, ſententia & miſericordia.* Aug. de quinque Hær. c. 7.

4. *Reſpondens.* Hebraiſmus, id eſt, loqui incipiens.

Petrus. Scilicet evigilans, gravatus enim erat ſomno, ſicut & qui cum illo erant, ut teſtatur Luc. c. 9. v. 32.

Dixit. Cùm ſcilicet Moyſes & Elias diſcederent à Chriſto, ut teſtatur Lucas c. 9. v. 33. Hæc autem dixit neſciens quid diceret, ut Marc. & Lucas teſtantur.

5. *Obumbravit.* &c. Id eſt, velut umbra quædam texit Chriſtum, Moyſen & Eliam, ut patet ex Luc. 9. v. 33.

Ipſum audite. Præclare hinc infert B. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium, quæ eſt epiſtola 63. in editione Pameliana: *Quare, ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit; ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem: cùm per Eſaïam prophetam Deus loquatur & dicat, ſine cauſa autem coluut me, mandata & doctrinas hominum docentes. Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis.*

7. *Acceſſit Jeſus.* Qui ſcilicet inventus eſt ſolus dum fieret vox, ut teſtatur Luc. c. 9. v. 36.

10. *Quid*

10. *Quid ergo, &c.* Q. d. Unde ergo tam constanter Legis periti tradunt Eliam esse venturum, ut omnia emendet, populum doceat, Messiámque notum faciat?

Primùm. Id est, ante Messiæ manifestationem.

11. *Elias quidem venturus est, &c.* Q. d. Vera fuit vetus illa traditio de venturo Elia ante Messiæ manifestationem ad omnia emendanda.

12. *Elias.* Qui nempe ex recepta eruditorum sententia venire debebat.

Jam venit. Id est, jam functum est suo officio.

13. *De Joanne Baptista.* Supple, qui juxta Malachiæ & Angeli prædictionem Christum præcesserat in Spiritu & virtute Eliæ. Vide Luc. 1. v. 17.

18. *Secreto.* Id est, privatim.

19. *Propter incredulitatem vestram.* Id est, quia diffidentia non penitus abest ab animis vestris.

Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Comparatio fit simul ratione quantitatis minimæ, & virtutis maximæ; undè Apostolus ad hunc locum alludens 1 Cor. 13. v. 2. talem fidem vocat *omnem fidem*, id est, integerrimam, plenissimam, ita ut per eam montes transferantur. Sic Jacobus *omne gaudium* appellat gaudium perfectissimum & plenissimum.

Dicetis monti huic, &c. Hoc ad literam factum traditur à B. Aniano primo Marci in cathedra Alexandrina successore & à B. Gregorio Thaumaturgo Neocæsareæ Ponti Episcopo.

20. *Hoc autem genus.* Id est, ut optimè explicant Chrysost. & D. Th. omne dæmoniorum genus, quod pro diversitate tentationum & vexationum diversas appellationes & nomenclaturas fortitur; unde alius dicitur spiritus immundus vel spiritus fornicationis, alius spiritus superbiæ, alius spiritus vertiginis, alius pater mendacii, alius homicida ab initio, dæmonium mutum, *&c.*

Non ejicitur, &c. At, inquies, malus dæmon per Davidem expulsus est ex Saûle vi musicæ? Nam medici Regis astantes Saûli de materia cantûs parùm solliciti, hoc solum quæsierunt, ut vocaretur peritus citharædus, qui Regem à cacodæmone vexatum arte suâ recrearet & liberaret. Quomodo inanis sonus dæmonem potuit pellere, qui Christo teste non pellitur nisi in jejunio & oratione? Respondeo musicam, quæ res est corporea, per se nihil posse in dæmonem, qui spiritus est; tamen aliquid posse per accidens, quia mitigatis affectibus, per quos in animos nostros diabolus se insinuat, & mœrore aut furore pulso, aut si quid aliud sit,

quo in perniciem noſtram humanæ ſalutis hoſtis abutatur, etiam ipſe pellitur. In hanc rem diſerta ſunt Pauli verba Epheſ. 4. v. 26, & 27. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo:* q. d. Ne detis locum diabolo. Ex his emicat per inordinatos affectus aditum patere diabolo, præcipuè ſi ſint vehementes, qualis ira eſt, quæ furor brevis dicitur. Diabolus igitur excluditur eâ arte, quâ hi affectus demulcentur. Exemplo ſint radii ſolis, qui neque gladio ſecari, neque flatu extingui, neque ullo conatu averti queunt, ita ut verè dicatur, nos in eos nihil poſſe: radios tamen clausâ feneſtrâ ex cœnaculo excludimus; ita quamvis muſica in dæmonem nihil directè poſſit, eum tamen excludit obſtructo aditu, quo animorum arcem invadit; denique muſica malum ſpiritum eodem modo abigit, quo bonum accerſit: bonum autem ſpiritum accerſit, dum perturbatum animum pacat & piâ voluptate permulcet, ne in mente noſtra quidquam ſit, quod Sanctum-Spiritum repellat, aut reſiſtat ejus inſpirationibus; unde Eliſeus 4 Reg. cap. 3. fidicinem juſſit advocari, quo pulſante fieret idoneus ad oracula fundenda. Hinc lunaticus vocatur à Matthæo, qui dæmonium habuit, quia idem erat obnoxius morbo, qui lunâ creſcente intendebatur, quo morbo ita aucto, arripiebatur à diabolo. Itaque ſi medicus morbum illum ſanaſſet, is ægrum eâdem operâ à dæmone liberaſſet; ita pari ratione muſicus Saülis animum mitigando, potuit eum à ſpiritu liberare, cui veſaniâ ſuâ locum dederat. Sed extraordinariam muſicæ peritiam Deum indulſiſſe Davidi, ſatis indicant Scripturæ, in quibus non modò habentur ſacræ illæ cantiones ab ipſo compoſitæ, quas hodie univerſus orbis Chriſtianus canit, ſed etiam præ ceteris muſicis commendatur, & Amos Propheta cap. 6. v. 5. in textu Hebræo teſtatur ipſum Davidem excogitaſſe & fabricaſſe quædam inſtrumenta muſica; quod etiam habet Pſeudo-Pſaltes in editione Syriaca Pſal. 151.

21. *Converſantibus autem eis in Galilæa.* Hinc patet quòd dum Marcus dicit Chriſtum & diſcipulos profectos à monte, in quo contigit transfiguratio, prætergreſſos Galilæam, nihil aliud ſignificare, quàm eos per Galilæam hac illac tranſiiſſe prædicando & ſanando omnes pro more. Quod autem ibidem dicitur à Marco: *nec volebat quemquam ſcire:* refertur ad profectionem. Q. d. clàm autem profectus eſt Chriſtus à monte, in quo eſt transfiguratus, unà cum diſcipulis, ut unà cum iis prætergrederetur Galilæam.

23. *Di-*

23. *Didrachma accipiebant.* Nempe, ad penſitationem à Deo Exod. 30. v. 13. inſtitutam in uſum tabernaculi aut Templi; hæc enim didrachma exiguntur quaſi precario, non ſuperbè & cum violentia, ſicut ſolent exigi tributa à Principibus ſeculi impoſita. Ita Hilar. can. 17. in Matth. Baronius anno Chriſti 33. Num. 31. &c.

26. *Ut autem non ſcandalizemus eos. Noverat Chriſtus aliud jus, quo tributum non debebat, ſed eo jure tributum ille ſolvebat, quo ab omni non ſolum re, ſed etiam ſpecie malignâ, quantùm poſſumus, nos abſtinere & cuſtodire bonam famam diſpenſationi noſtræ multùm neceſſariam tenemur.* Aug. Epiſt. 239. ad Alipium.

Invenies ſtaterem. In annotationibus ad B. Ambroſium ex Petri Nannii & aliorum ſcholiis, ſtateres dicuntur eſſe nummi Dorici, ejus ponderis, cujus didrachmum. Stater itaque idem eſt ac ſiclus, Hebraicè שקל *Schekel* à radice שקל *Schakal* quod eſt appendere & ponderare. *Nimirum*, ut obſervat germanus frater meus Ludovicus de Compiegne de Veil Doctor Artium in notis ſuis ad tract. De inſtrumento, apparatu & miniſtris rempli cap. 1. *priſcorum temporum nummi tam ex ære, quam ex argento non ſic, ut nunc ſignati numerabantur, ſed planè rudes ponderibus appendebantur. Jam id extra controverſiam eſt ſiclum omninò numiſmatum omnium, quæ litteris conſignata ſunt, eſſe antiquiſſimum. Etenim Scriptum videmus Geneſ. 23. Ephron agrum ſuum illum, in quo erat ſpelunca duplex, æſtimaſſe quadringentis ſiclis argenti, quos illi dicitur Abraham appendiſſe tranſeuntes per mercatores. Erat autem ſiclus, ut videre licet Exod. 30. v. 13. & Ezech. 45. v. 12. obolorum viginti. Majemonides tract. de ſiclis cap. 1. art. 2. aſſerit ſiclum ejuſdem fuiſſe ponderis ac grana hordeacea vulgaria trecenta viginti. Flavius autem Joſephus lib. 3. Antiq. cap. 10. teſtatur ſiclum fuiſſe drachmarum Atticarum quatuor. Unde ſequitur ut duarum eſſet drachmarum Hebraicarum. Etenim pondera Hebraica, itémque Alexandrina erant altero tanto majora Atticis, ut cuivis ex Varrone cognoſcere licet. Qua de cauſa LXX. ſiclum ubique reddiderunt non τετραδράχμον, ſed διδραχμον; quia Legem interpretabantur Alexandriæ, cujus pondera ponderibus Hebraicis planè congruebant. Quæ cùm minùs perfecta fuiſſent nonnullis, commenti ſunt duplicem fuiſſe ſiclum; unum ſanctum, drachmarum Atticarum quatuor, & alterum communem, qui tamen nuſquam & nunquam reperitur, duarum tantùm drachmarum. Non eſt ita. Sed enim quod ſicli paſſim in litteris ſacris jubentur examinari pondere ſicli ſancti, vel, ut textus Hebraicus ad verbum habet, juxta ſiclum Sanctuarii, ea cauſa fuit,*

fuit, quia in Sanctuario ſervarentur cuncta pondera, quæ erant reliquorum omnium certa & perpetua norma. Quod & apud Ethnicos uſitatum eſſe, ut in delubris ſuis aſſervarent pondera menſuraſque, atque adeò ſacra putarent, ad quorum normam cetera exigerentur. Literis proditum eſt. Hæc germanus meus Ludovicus de Veil.

CAPUT XVIII.

1. *IN illa hora.* Hebraiſmus, id eſt, ſub idem tempus. *Acceſſerunt diſcipuli, &c.* Intraverat in diſcipulos cogitatio, quis eorum eſſet major, ut patet ex Luc. 9. v. 46. imo & hac de re, ut teſtatur Marcus. c. 9. v. 33. in via inter ſe diſputaverant; ſed cùm domi eſſent interrogati à Chriſto, quid in via tractaſſent, primùm tacuerunt, deinde verecundiæ causâ, non de ſe, ſed in univerſum interrogaverunt Chriſtum, ut Matthæus hîc narrat. Atque ita Lucas cogitationis, Marcus diſputationis, Matthæus interrogationis meminit.

Quis putas. Græcè Τίς ἄρα, quiſnam? quis tandem.

In regno cœlorum. Id eſt, in Eccleſia triumphante, ut patet ex verſu tertio mox ſequenti.

2. *Advocans Jeſus parvulum.* Non tam ſtaturâ, quàm ætate, unde Græcè παιδίον, quod puerulum ſignificat.

Statuit eum. Supple ex Luc. 9. v. 47. *ſecum ſe.* Anaſtaſius Bibliothecarius in Scholiis ad octavam Synodum explicans cur in actione ſecunda ejuſdem Synodi, quæ eſt Conſtantinopolitana quarta, Thomas Tyriorum Metropolita Sediſque Antiochenæ Vicarius & Legatus, ac Elias Presbyter Legatúſque & Syncellus Theodoſii Patriarchæ Jeroſolymitani Deiferum vocent ſanctum Ignatium Martyrem & Antiochenæ Eccleſiæ tertium ab Apoſtolo Petro Epiſcopum, ait: *Tradunt Græci quòd quem Dominus advocatum ſtatuit in medio dicens: Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut hic parvulus: iſte Ignatius fuit, & idcirco hunc Deiferum nuncupant. Unde nec Apoſtoli auſi fuerunt ei, cùm ad Eccleſiæ Præſulatum promoveretur, amplius manus imponere: nimirum ore Dei laudatum & ipſius tactu ſanctificatum cognoverunt.*

3. *Niſi converſi fueritis.* Ab iſta Primatûs ambitione.

Et

Et efficiamini ſicut parvuli. Id eſt, efficiamini humiles per virtutem, ſicut parvuli ſunt per ætatem.

Non intrabitis in regnum cœlorum. Quia ut dicitur Apocal. 21. v. 27. *Non intrabit in illud aliquid coinquinatum.*

5. *Qui ſuſceperit.* Ponitur unum officium beneficentiæ definitum pro quovis beneficentiæ genere & officio. Q. d. Uſque adeo humiles mihi placent, ut etiam qui benencus in eos extiterit, perinde à me remunerabitur, quaſi in me ipſum ſe exhibuerit beneficum, & ſimiliter, qui eos ſcandalizaverit, id eſt, qui eis offendiculum in via juſtitiæ ſive contemtu, ſive aliis modis poſuerit, graviſſimè punietur, ut potè qui inhonoret eos, quos in primis diligo. *Amat Chriſtus infantiam, quam primùm & animo ſuſcepit & corpore. Amat Chriſtus infantiam, quæ majorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Ut autem plenè valeamus cognoſcere quomodo apprehendi poſſit tam mira converſio, & in puerilem gradum, quâ nobis imitatione redeundum ſit, doceat nos B. Paulus & dicat: Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote. Non ergo ad lubrica infantiæ & imperfecta nobis primordia redeundum eſt, ſed aliquid, quod graves annos deceat, inde ſumendum eſt: velox à commotione tranſitus, citius ad pacem recurſus, nulla ſit offenſionis memoria, nulla cupiditas dignitatis, amor ſocia dilectionis, æqualitas naturalis; magnum enim bonum eſt nocere non poſſe & ad maligna non ſapere, quia inferre ac referre injuriam mundi hujus prudentia eſt: nemini autem malum pro malo reddere, chriſtiana eſt æquanimitatis infantia.* B. Leo. Ser. 7. in Epiph.

Parvulum talem. Qui nempè, ut Hilarius exponit, in infantium ſimplicitate collocatus circumfert ſpeciem humilitatis meæ.

6. *Expedit ei.* Id eſt, *bonum magis eſt ei*, ut Marcus, ſeu, *utilius eſt illi*, ut Lucas loquitur.

Mola aſinaria. Id eſt, ſaxum prægrande. Erant autem molarum duo genera, aſinariæ, & truſatiles; hæ minores erant, ut quæ manu truderentur, ut aſinariæ majores, quas aſinus oculis linteo velatis perpetuà gyratione circumagebat, ut teſtantur Lucianus & Apuleius. Hinc Hilar. Can. 18. in Matth. *Molæ*, inquit, *opus, labor eſt cæcitatis, nam clauſis jumentorum oculis aguntur. Per molam*, inquit B. Greg. Paſtoralis curæ 1. p. c. 2, *aſinariam ſecularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio deſignatur. Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo ceteros deſtruit,*

vel

vel exemplo, melius profectò ei fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia ceteris in culpa imitabilem demonstrarent, quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

7. *Væ mundo à scandalis.* Transit Christus ad generalem doctrinam de scandalis. q. d. Cùm ita sit grave peccatum offendiculum ponere humilibus in via justitiæ, quàm ingentia mortalibus imminent mala à scandalis! Nam scandalizantibus certa & gravis impendet ultio, cunctis verò periculum ingens, ne à scandalis objectis offendantur.

Necesse est enim ut veniant scandala. Hoc non est intelligendum de necessitate absoluta, sed de necessitate conditionali, quâ scilicet necesse est præscita, vel prænuntiata à Deo venire, si tamen conjunctim accipiatur; vel necesse est evenire scandala necessitate finis, quia utilia sunt ad hoc, ut qui probati sunt, manifestè fiant; vel necesse est evenire scandala, secundum conditionem hominum qui sibi à peccatis non cavent: sicut si aliquis medicus videns aliquos indebitâ dietâ utentes dicat, necesse est tales infirmari. D. Th. 22. q. 43. à 2. ad 1.

10. *Angeli eorum.* Id est, Angeli ad eorum tutelam & custodiam deputati.

Semper vident. Sic videlicet parvulorum custodiæ deputati, ut non privati ullo modo beatitudine suâ. B. Bern. Ser. 5. in Dedic. Eccl.

Faciem Patris. Ac per hoc totius Trinitatis, quia per filium vident in Spiritu-Sancto. Aug. lib. 3. ad Bonifacium c. 7.

11. *Venit enim.* Aliam reddit Christus rationem cur pusilli non sint contemnendi. q. d. Ne contemnatis pusillos, cùm ego grandis Deitate factus sim pusillus acceptâ servi formâ, ut quærerem & salvum facerem quod perierat in Adamo.

12. *Quid vobis videtur.* Q. d. Nonne vobis ipsis judicibus ita fieri solet inter homines, ut si fuerint alicui centùm oves, & erraverit una ex eis, relictis nonaginta novem, perditam quærat, & de inventa magis gaudeat, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt? Nam in rebus humanis majus gaudium major molestia præcedit, ut fusè, & doctè differit Aug. lib. 8. Confes. c. 3. Intendit ergò Christus se tanto studio & pietatis ardore errantes oves quæsitum advenisse, ut etiam si nonnisi una ovis periisset, misericordiâ commotus venisset ipsam salvam facere.

13. *Si autem, &c.* Hactenus Christus egit de non scandalizandis aut lædendis iis, qui neminem lædunt; nunc de ils, à quibus nos ipsi lædimur, agit, ne tales aliquis putare posset vicissim impunè lædi posse,

17. *Dic*

17. *Dic Ecclesiæ.* Id est, τῆς προεδρίαν, *præsidentibus*, ut exponit Chrysost. Hom. 60. in Mat. Pastores enim, quorum est ex proprio officio gregem pascere, & gubernare, hîc intelliguntur nomine *Ecclesiæ.* Ea quippe intelligitur Ecclesia, cui obedire & subjici oportet. Scriptura autem non populo, sed tantùm pastoribus τοῖς ἡγουμένοις ecclesiasticam deberi obedientiam subjectionem docet Heb. 13. v. 17. & pastorum collegio subjectus est quilibet de collegio. *Idcirco enim*, inquit Cyprianus epist. 67. seu lib. 3. epist. 13. ad Stephanum R. P. *copiosum corpus est sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut siquis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi pastores utiles & misericordes, oves Dominicas in gregem colligant ..... Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus; nec pati supplices & dolentes fratres nostros crudeliter deseri, & superbâ quorundam præsumtione calcari.*

Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Id est, qui non morem gesserit Ecclesiæ pastoribus sit tibi sicut homo à communione ejusdem religionis alienus, & publicis peccatis infamis.

18. *Amen dico vobis.* Supple, & successoribus vestris.

Quæcunque alligaveritis. Ignoscendi misericors mansuetudo, propter quam dictum est, non solùm septies, verùm etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata, non ad hoc valet ut sit iniquitas impunita, aut torpens & dormiens disciplina, quod potiùs obsit, quàm diligens vigilánsque vindicta. Claves quippe regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, ut non solùm diceret, Quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis: ubi apertissimè bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia: verùm & adjungeret, Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo: quia bona est & vindicandi justitia. Illud enim quod ait: Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus: gravius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur. Nam subjunxit: Amen dico vobis, quæ ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis: ut intelligeretur, quantò gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus ..... Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amariùs & infeliciùs Ecclesiæ clavibus, quàm quibuslibet gravissimis & durissimis ferreis vel adamantinis nexibus. B. Aug. lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 17. Vide quæ diximus suprà cap. 16. v. 19.

19. *Iterum dico vobis.* Q. d. Imò etiam hoc affirmo.

20. *Ubi*

20. *Ubi enim sunt duo*, &c. *Corruptores Evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partim memores, & partim subdolè corrumpentes. Ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. Dominus enim cùm discipulis suis unanimitatem suaderet & pacem: Dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis a Patre meo qui in cœlis est. Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. Ostendens non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimùm tribui. Si duobus, inquit, ex vobis convenerit in terra, unanimitatem priùs posuit, concordiam pacis antè præmisit, ut conveniat nobis fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab ejus Evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cum hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur, ut si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licèt collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licèt sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant. Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, inquit, cum eis sum. Cum simplicibus scilicet atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta servantibus. Cum his duobus vel tribus licèt, esse se dixit: quomodo & cum tribus pueris in camino ignis fuit, & quia in Deum simplices atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animavit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse affuit, ipse resolutis carceris claustris, ut verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit & dicit: Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: non homines ab Ecclesia dividit, qui instituit & fecit Ecclesiam, sed exprobans discordiam perfidis, & fidelibus pacem suâ voce commendans, ostendit magis esse securum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis, plúsque impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordi oratione multorum.* S. Cyprianus Tract. de simplicitate Prælatorum.

Sum in medio eorum. Speciali modo Deus in medio eorum esse dicitur, quos tuetur, & à malis eximit.

22. *Sep-*

22. *Septuagies septies.* Quocunque modo hæc verba exponantur, sensus hic est, quotiescunque frater tuus in te peccabit, toties paratus eris ei ex animo dimittere, & eum recipere in gratiam, quod Christus confirmat parabolâ mox sequenti; quia ut ait Hieronymus, *Familiare est Syris & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exempláque teneatur.*

23. *Assimilatum est regnum cælorum, &c.* Scopus Christi in ista parabola est nos hortari ad remittendas aliis injurias in nos commissas. Argumentum autem petit ab exemplo Dei peccata nobis remittentis & severè punientis eos qui remittere aliis detrectant: atque hoc proponit sub typo Regis creditoris liberaliter remittentis debitum & severè punientis inhumanitatem alterius servi. Dei & creditoris actus conveniunt causâ movente quæ est benignitas; & effecto, quod est liberatio à miseria aut molestia: atque insuper in utroque præcedit jus aliquod, in Deo ad puniendum, in creditore ad exigendum creditum: utrinque etiam contingit dissolutio quædam obligationis anteà existentis; quanquam in ipsa obligatione & in dissolutione aliquid sit dissimile, quod cùm ad eam rem, ad quam affertur id exemplum, propriè non pertineat, similitudinem sive parabolam vitiare non potest.

24. *Decem millia talenta.* Id est, ingentem pecuniæ summam; ponitur enim summa certa pro quavis summa maxima, quæ incomparabiliter major sit, eâ quæ servo debetur à conservo suo. Talentum autem valevat Siclis ter mille ut colligit Aben Ezra ex cap. 38. Exod. v. 25.

27. *Debitum dimisit ei.* Rex hîc in parabola descriptus nequaquam Deo benignior est, quia Deus infinitam obligationem remittit, ille finitam. Disconveniunt quidem in eo Rex & Deus, quòd Rex citra ullam satisfactionem, Deus non citra satisfactionem Christi, quæ nobis applicatur per fidem vivam in Christum, remittit. Ratio est quia, cùm jus repetendi creditum ad utilitatem privatam creditoris spectet, de eo statuendi quisque habet liberrimam potestatem: & quò minùs exigit, eò est liberalior; exigendo autem nullum actum virtutis exercet. At justitiæ virtus exigit ut nullum peccatum citra condignam satisfactionem à Deo & Rectoribus dimittatur. Hanc cùm præstare pro offensis nostris Deo non possemus, ipse satisfactionis, quam exigebat justitia, modum invenit sapientiæ & misericordiæ suæ testandæ etiam convenientissimum, nobis nihil tale

tale ſperantibus aut cogitantibus; proprio enim Filio ſuo pro nobis incarnato non pepercit, ſed pro nobis redimendis tradidit illum paſſioni & morti, morti autem crucis.

28. *Debebat ei centum denarios.* Non omnes conveniunt quid ſit denarius; aliis enim idem eſt, ac drachma Attica: aliis idem ac drachma Judaica, quæ continebat duas Atticas ſeu Romanas. Qui tamen rem exactiùs expendunt non eundem eſſe denarium cum drachma evincunt, ſed proximè eum ad hanc accedere probant, ſi Joanni Fungero credimus.

35. *Sic Pater meus cæleſtis faciet vobis, &c.* Certum eſt peccata abſolutè dimiſſa non redire; quia hoc eſt donum Dei ſine pœnitentia, neque poteſt hominum incredulitas fidem Dei evacuare. Sed eſt dimiſſio quædam conditionalis, quæ conditione non præſtitâ fit inutilis, & pro non data jure cenſetur. Itaque Chriſtus hîc nos monet remiſſionem divinam habere annexam conditionem remiſſionis noſtræ, proindéque remiſſionem nunquam fuiſſe acceptatam, atque adeo nec habitam ab iis, qui non remittunt fratribus.

CAPUT XIX.

1. *Migravit à Galilæa.* Nempe ut aſcenderet in Jeruſalem ad feſtum Scenopegiæ, ut patet ex Joan. 7. dum autem iret in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & in quodam caſtello decem viros leproſos juſſit oſtendere ſe Sacerdotibus, qui dum irent, mundati ſunt, ut narratur à Luca cap. 17. tum in templum aſcendit, & ibi prædicavit, ut narratur à Joanne cap. 7. à verſu 11. ad finem; deinde pergens in montem Oliveti abſolvit mulierem adulteram ad ſe adductam, ut narratur à Joanne cap. 8. uſque ad verſum 12. poſteà longam concionem habuit, quæ deſcribitur per totum caput 8. ejuſdem Joannis, quâ finitâ præteriens vidit hominem cæcum à nativitate, quem curavit & ejectum à Phariſæis edocuit Joan. 9. Quis paſtor eſſet & fur, paſtor bonus & mercenarius & quòd ſponte ipſe pro ovibus moriatur declaravit Joan. 10. Circa idem tempus probabiliter contigit electio & miſſio ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quæ narratur Luc. 10. unà cum reſponſione Chriſti à Legiſperito interrogati quid ſibi eſſet faciendum,

ut

ut vitam æternam posſideret. Etiam circa idem tempus videtur contigiſſe, quod eodem capite à Luca narratur de ſollicitudine Marthæ, & Mariâ ſedente ſecus pedes Domini.

Venit in fines Judææ trans Jordanem. Nempe poſt Encænia celebrata in Jeroſolymis, ut narratur Joan. 10. venit in Peræam quæ trans Jordanem erat reſpectu Judææ, & ditionis Herodis, unde ibi dictum eſt Chriſto à Phariſæis, ut Luc. teſtatur cap. 13. v. 31. *Vade hinc, quia Herodes vult te occidere.*

4. *Maſculum & fœminam fecit eos.* Id eſt, in gemino ſexu creavit, unum marem, & alteram fœminam.

Dixit. Deus per os Adami tanquam Prophetæ divinitùs inſpirati, ut exponit Aug. lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 19.

5. *Erunt duo in carne una.* Hebraiſmus, id eſt, erunt duo caro una, ſeu, ut Apoſtolus loquitur Ep. 1 Cor. cap. 6. v. 16. *unum corpus*, per conjugalem ſcilicet commixtionem corporum.

7. *Quid ergo.* Ex hac Phariſæorum inſtantia patet quàm verè dixerit Aug. Tract. 18. in Joan. *Non natæ ſunt hæreſes & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animos, & in profundum præcipitantia; niſi cùm Scripturæ bonæ, intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audaciter aſſeritur. Neque enim*, pergit idem S. Doctor de Geneſi ad litt. 7. cap. 9. *non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.*

8. *Permiſit.* Hinc ſumitur diſtinctio inter voluntatem permiſſivam & voluntatem præceptivam & propriè dictam, ſeu verè optativam.

9. *Quicunque dimiſerit uxorem, &c.* Vide quæ dicta ſunt à nobis cap. 5. v. 31.

Niſi ob fornicationem. Prima Synodus Arelatenſis ca. 10. Venetica (Gallicè *de Vanne*) ca. 4. Agathenſis ca. 2. Triburienſis apud Gratianum 32. quæſtione 7. & ibidem Zacharias. I. R. P. ob legitimè probatum adulterium uxorem dimitti & aliam duci lucidè permittunt, & Evangelium hoc in loco ſibi patrocinari omninò crediderunt. Auguſtinus contrà propugnat repetita conjugia poſt legitimum repudium eſſe adulterina duobus libris ad Pollentium, vúltque hanc locutionem, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* Eſſe ſimilem huic: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*; ita ut quemadmodum ſcienter peccantes damnantes, ignoranter lapſos non expurgat Jacobus

Apostolus, sic a Domino, dum citra fornicationis causam repudiantes ac alias nuptias attentantes damnat adulterii, qui dimissâ ob adulterium uxore, aliam ducunt, non expurgentur. Hieronymus Epist. 30. ad Oceanum, 147 ad Amandum, & in Commentariis ad quintum & decimum nonum caput Matthæi exceptionem, *nisi ob fornicationem*, ad solam, quæ proximè antecedit, dimittendi licentiam restringit. Hæc Hieronymi explicatio si genuina est & litteralis, ut existimat Synodus Foro-Juliensis per Paulinum Aquileiæ Patriarcham sub Caroli Magni imperio cebebrata, *Qui causâ fornicationis dimissis uxoribus, alias ducunt, Domini sententiâ adulteri esse notantur*; quomodo loquitur Synodus Parisiensis VI. sub Ludovico Pio habita. Augustinus tamen, qui acriter novas nuptias post legitimum repudium initas contendit esse adulterinas, ac Evangelio repugnare; & oppositam sententiam ab omni Africana ecclesia proscribi a Generali ducentorum & quatuordecim Episcoporum Carthaginensi synodo obtinuit quinti sæculi anno decimo octavo, Zozymo. R. P. ipse, inquam, Augustinus posteà scripsit in libro de fide & operibus. Cap. 19. *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit: & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui exceptâ causâ adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si aliam duxerit, ut quantùm existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Hinc mirum non est, quòd hac de re per omnes gentes & ætates variè statuerint Christiani Imperatores & Reges, variè definierint Synodi, variéque senserint Theologi & Patres. Imò & Augustinus Retract. lib. 20. cap. 57. profitetur quæstionem hanc esse difficillimam, & à se non posse plenè explicari. Hoc unum mihi certum videtur in hac quæstione, quòd ubi leges patriæ & recepti Canones non vetant, vir *si alteram uxorem duxerit, aut mulier alteri viro nupserit, sacrarum litterarum autoritas, ab omni culpâ illos absolvit, neque ab Ecclesiâ aut æterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat*, ut loquitur vir inexhaustæ eruditionis Epiphanius Hære. 59. Quæ Catharorum, seu, Novatianorum apud Dionysium Petavium. Num. 4. Ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ, ἢ ἕνεκεν τίνος προφάσεως πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρὶ, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενὲς, &c. Vide ad hunc Epiphanii locum notas Petavii.

Et

Et aliam duxerit, Mœchatur. Valentinianus Imperator, ut refert Socrates Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 4. cùm uxorem haberet Severam, ſeu, Serenam, è quâ ſuſceptum Gratianum Auguſtum jam adoleſcentem creaſſet, retentâ illâ, duxit & Juſtinam Juſti filiam, formâ virginis captus, lege etiam latâ, ut geminas ſimul uxores habere cuique liceret. Verùm qui uxore dimiſsâ aliam ducit non mœcharetur, ſi etiam illâ retentâ liceret aliam ducere, ut optimè argumentatur Innocentius III. R. P. Extra de divortiis cap. Gaudeamus. Nec eſt quod quis regerat, *Mœchatur* hîc poſitum pro eo quod dicitur ſuprà cap. 5. v. 31. *Facit eam mœchari*, quia mos eſt Helleniſtarum verba formæ Hiphil per activa exprimere, ut videre eſt Rom. 8. v. 26. Gal. 4. v. 6. *&c.* Quod enim hîc Matthæus ait abſolutè, *Mœchatur*, ſuppletur a Marco cap. 10. v. 11. qui ait, *Μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν*, *mœchatur adverſus eam*, ſeu, ut Vulgatus vertit, *adulterium committit ſuper eam.* Itaque qui dimittens uxorem, exceptâ fornicationis causâ, dicitur ſuprà cap. 5. v. 32. facere eam mœchari, dans ei occaſionem ambiendi promiſcuos concubitus, aut novas nuptias illicitas, cùm permaneat conjux dimittentis, hic ſi aliam duxerit uxorem, dimiſsâ ſuperſtite, propriâ mœchiâ mœchari dicitur teſtimonio veritatis.

10. *Nubere.* Id eſt, uxorem ducere, undè habetur Græcè *γαμῆσαι*.

12. *Qui ſe ipſos Caſtraverunt.* Non in corpore, ut Origenes & alii ſtultè intellexerunt, ſed in ipſa concupiſcentiæ radice, ut exponit Aug. in lib. de S. Virgin. c. 24. hoc eſt, qui dono continentiæ libidinis ſtimulo renuntiant.

Propter regnum cœlorum. Id eſt, ut liberiùs expeditiúſque cogitent quæ Domini ſunt, ut ſint ſancti corpore & ſpiritu, unicè ſolliciti quomodo placeant Deo.

Qui poteſt capere capiat. Q. d. Qui cœlitùs dono continentiæ eſt inſtructus, ei permittitur a conjugio abſtinere, ut rerum cœleſtium ſtudio totus incumbat.

13. *Ut manus eis imponeret.* More ſcilicet Judæorum, qui benedicturi manus imponebant, ut patet ex Gen. 48. v. 14.

Sinite parvulos. Hinc probat S. Bernardus in Ep. 240. ad Hildefonſum Comitem S. Ægidii quòd baptiſmus dandus ſit parvulis, *Salvatore piè clamante pro eis: Sinite parvulos venire ad me.* Certè baptiſmi capaces ſunt infantes æquè ac benedictionis, cùm in utroque ſe tantùm habeant paſſivè.

17. *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus.* Hoc textus Græcus vulgaris hîc, & ipſe textus Latinus Marc. 10. v. 18. ſic exprimit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi*

unus Deus. Christum filium Dei vivi bonum esse patet ex eo quòd ipse se appellet Joan. 10. Pastorem bonum, & infrà c. 20. dicat: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et Sap. 7. dicitur *speculum sine macula claritatis Dei & imago bonitatis illius.* Hinc præclare Hilarius lib. 9. de Trinit. *Omnis responsionum ratio necesse est, ut ex interrogationum causis proficiscatur. Ad id enim responderur, undè quæritur. Et primùm requiro à dicti hujus calumniatore, utrùmne id arguere Dominum existimet, cur bonus dictus sit, séque maluerit malum dici? Id enim significari videtur hoc dicto, Quid me bonum dicis? Non opinor quisquam tam vecors erit, ut malitiæ professionem ei velit ascribere, qui dixerit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Jugum enim meum suave est, & onus meum leve est. Mitem se profitetur & humilem: & irasci creditur, cur bonus dictus sit? Professionum diversitas dissidet, ut bonitatis suæ testis nomen in se bonitatis accuset. Non ergo irasci intelligitur se bonum dici: & quærendum est, quam aliam de se professionem arguat, qui non credendus est nomen in se bonitatis arguere. Videamus itaque, quid præter bonum interrogans dixerit, ait enim: Magister bone quid boni faciam? Duas igitur res comunxupavit, & bonum, & magistrum. Et quia non arguit bonum se dici: hoc necesse est arguat, quòd magister bonus dictus sit: ita autem arguit se magistrum bonum dici, ut fidem interrogantis potiùs, quam vel magistri in se, vel boni nomen argueret. Juvenis enim insolens per observantiam Legis, & finem Legis, qui Christus est, nesciens, & justificatum se in operibus existimans, & non intelligens venisse eum ad oves perditas domûs Israël, & impossibile esse Legi per fidem justificationis salvare credentes: tanquam communium præceptorum, & in Lege scriptorum magistrum interrogat Dominum Legis, & unigenitum Deum. Detestatus itaque Dominus hanc de se irreligiosa fidei professionem, quòd tanquam magister Legis interrogaretur, respondit: Quid me dicis bonum? Atque ut significaret quatenus intelligendus & profitendus bonus esset, subjecit: Nemo bonus nisi unus Deus. Non respuit bonitatis nomen, si sibi hoc tanquam Deo deputaretur. Denique ostendens se magistri in se boni, per fidem ejus, qui tanquam hominem interrogabat, nomen arguere: post jactantiam juvenis & gloriam Legis impleta, ita respondit: Unum tibi deest: Vade, vende quæcunque habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Non refugit bonitatis de se nomen, qui cælestem thesaurum pollicetur: Nec magistrum se non vult videri, qui ducem se perfectæ hujus beatitudinis præstat. Terrenæ autem de se opinionis fidem arguit, bonitatem in solo Deo*

docens

docens esse. Et ut se & Deum & bonum significaret, bonitatis est usus officiis, cælestes thesauros pandens, & se ad eos prævium tribuens. Ita & quæ sibi tanquam homini tantùm deferebantur, detestatur, neque se ab his, quæ Deo deputabat, professus alienum est: cùm unum Deum bonum confitens, ea ipse loqueretur atque ageret, quæ unius Dei virtutis, bonitatis atque naturæ sunt. Quàm igitur non bonitatis nomen refugerit, sed neque magistri honorem recusaverit, sed fidem ejus, qui in se nihil nisi corporeum & carnale sapuisset, arguerit, hinc intelligitur, quòd aliter ad Apostolos magistrum se confitentes locutus est, dicens: Vos me vocatis magistrum & Dominum & benedicitis, sum etenim. Et cùm alibi dixisset: Ne vocemini magistri, quia magister vester Christus est. Ubi cùm fide magister est, ibi adeò laudat, ut & profiteatur hoc nomen: hîc vero boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus: solum unum Deum bonum prædicans, non se utique à Deo secernens, qui & Dominum se professus, & Christum, ducem cælestis thesauri ostendat.

Serva mandata. Turpiter itaque allucinantur, qui dicunt Legis præcepta nihil ad Christianos pertinere, aut Christum à Deo hominibus datum, ut Redemtorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant: aut denique hominem justificatum, & quantumlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei.

21. *Si vis perfectus esse*, &c. Præceptum hoc personale erat ad hominem, & διακριτικὸν ad detegendam interrogantis latentem avaritiam, non generale, quod quosvis obligat, nisi in tali casu, ubi aut omnia sunt deserenda, aut Christus relinquendus. Erroneè hinc Romanenses monachatûs vota astruunt, quæ non temeraria modò, sed & superstitiosa sunt, Scripturæque adversantur.

24. *Facilius est camelum per foramen acûs transire*, &c. Multis visum est non agi hîc de camelo animali, sed de camelo vel camilo, fune nautico; nam camelum vocari crassum rudentem, quo nautæ utuntur ad jaciendas anchoras, habemus apud Theophylactum, Euthymium, & Phavorinum. Quamvis autem liberum sit lectori camelum hîc sumere pro animali, ut suadet vocis acceptio usitatior, & similia Talmudicorum proverbia de elephante, & ita Christo camelus per foramen acûs ingrediens, ut Talmudicis elephas per foramen acûs immissus, seu intrans, videri potest fuisse symbolum rei impossibilis: quasi pro elephante camelum usurpaverit Christus; agi tamen hîc de rudente potiùs suadet analogia major inter rudentem & filum, quod solet per foramen acûs induci, & illud Hebræorum non absimile adagium à

doctissimò Buxtorfio ex *Moëd katon* laudatum: *Gravis est exitus animæ è corpore, ut rudentum per foramen angustum.* Itaque non immeritò Syri & Arabes non animal, sed rudentem per camelum hîc intellexere.

26. *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Quia nempè Deus potest facere suâ gratiâ ut divites, nec nimis solliciti sint de divitiis conservandis, & acquirendis, nec nimio earum amore teneantur, nec de ipsis superbiant, nimisve in iis confidant; divites enim ideò difficilè salvantur, quia ut plurimùm confidunt in pecuniis, ut patet ex Marc. c. 10. v. 23, & 24.

27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Q. d. Quæ à juvene modò exigebas, nos fecimus, ut tibi indivulsè adhæreremus, quid ergo erit nobis præmii?

28. *In regeneratione.* *Regenerationem hoc loco, ambigente nullo, novissimam resurrectionem Christus vocat, quam Paulus quoque Apostolus Rom. 8. v. 23. & adoptionem & redemtionem nuncupat. Numquid non per lavacrum sacrum regenerati, adoptati & redempti sumus? Et tamen restat regeneratio, adoptio, redemtio, quam in fine venturam nunc patienter expectare debemus, ut tunc filii hujus seculi ex nulla parte jam simus.* Aug. lib. 3. ad Bonifac. c. 3.

Cùm sederet Filius hominis in Sede majestatis suæ. Id est, cùm apparuerit Filius hominis judiciariam potestatem sibi à Patre traditam exercens. Cùm enim Reges in solio sedentes, potissimùm regiam ostendant vel exerceant authoritatem, & judices sententiam sedentes proferant, inde *sedere*, sæpe significat regnare, & judicare, ut videre est hîc & Exod. 11. v. 5. 3 Reg. c. 2. v. 12. Apocal. c. 20. v. 4.

Sedebitis & vos, &c. Id est, & vos à me recipietis judiciariam potestatem, ut judicetis universas tribus Israël.

29. *Centuplum accipiet.* Hoc Marcus sic explicat. *Accipiet centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus*, hoc est, quantumvis sæviant persecutionum procellæ. Præclarè B. Greg. Hom. 18. in Ezech. *Per centenarium magna perfectio designatur; neque enim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit: quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit, nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est; sed per centenarium numerum perfectio designatur, quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hîc perfectionem mentis recipit, ut jam ea non appetat, quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æterna vitæ gloriam pervenit. Centies itaque recepit, quod dedit,*

qui

qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi hæc non habet. Ille autem qui pauper est, eget eo, quod non habet. Nam qui & non habens habere non appetit, dives est; Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui in paupertate benè convenit, non est pauper.

30. *Multi autem erunt, &c.* Q. d. Multi qui primi sunt variis nominibus in hoc seculo, erunt novissimi in futuro, & è converso multi novissimi in hoc seculo, erunt primi in gloria. Hoc autem hîc videtur dictum à Christo, ne Apostoli mirarentur quòd ipsi & qui omnia desererent, judicaturi essent universas tribus Israël; id est, universam multitudinem judicandorum.

CAPUT XX.

1. *Simile est regnum cœlorum, &c.* Id est, similiter se se habet æquitas divinæ dispensationis circa regnum cœleste, ac si quis paterfamilias exiret summo mane conducere operarios in vineam suam, *&c.*

3. *Circa horam tertiam.* Id est, circa illam horam, quam nos nonam matutinam vocare consuevimus; dies enim apud Judæos in horas duodecim dividebatur, quarum prima dicebatur sole oriente, duodecima eodem occidente, atque illæ duodecim horæ in quatuor partes æqualiter distantes distribuebantur, & hæ partes appellebantur prima, tertia, sexta, & nona, quarum quæque constabat tribus horis, & denominabatur ab hora, ad quam immediatè sequebatur.

6. *Invenit alios stantes.* Supple ex textu Græco, *otiosos.*

15. *Non licet mihi quod volo facere?* Græcè additur: *in rebus meis.* Docet Christus hac sententiâ in iis quæ Deus voluit & vult & agit ut liberrimus Dominus, ipsius voluntatem suam esse justitiam & regulam omnis justitiæ; neque enim semper ideo aliquid vult Deus, quia illud justum nobis videtur, sed ideo aliquid justum nobis videri debet, quia illud vult Deus, qui nihil vult, nisi ex summa sapientia. Unde sicut voluntas Dei in Lege revelata ideo justa est, quia voluntas Dei est, ab illius infinita sapientia profecta, ita voluntas arcana Dei ideo semper justa est, quia voluntas Dei est cum immensa ejusdem sapientia semper conjuncta. Appositè ita-

que Aug. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Quare Deus velit illos convertere, illos pro aversione punire, quanquam & in beneficio tribuendo nemo justè reprehendat misericordiam, & in vindicta exercenda nemo justè reprehendat veracem, sicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus justè culpaverit, consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est.*

16. *Sic erunt novissimi primi, &c.* Q. d. Primi hominum judicio erunt coram Deo novissimi, & è converso novissimi hominum judicio erunt judicio Dei primi dignitate, sanctitate & merito. Novissimi autem judicio Dei dicuntur hîc Judæi reprobi, qui receperunt denarium temporalem à Moyse promissum; primi verò Dei judicio dicuntur Gentiles electi, qui recipiunt denarium æternum, quem promittit gratia. Manifestum est autem ex Luc. 13. v. 28. per novissimos hîc intelligi reprobos Judæos, qui foràs expellentur. Sic & suprà cap. 5. minimus in regno cœlorum dicitur, qui non erit in regno Dei, secundum alios qui in præsenti Ecclesia contemtibilis est, secundum utrosque, qui regno cœlorum indignus est. Simili phrasi infrà cap. 21. v. 31. Publicani & meretrices dicuntur à Christo præcessuri Pharisæos in regnum Dei, quòd crediderint Joanni, cùm Pharisæi, nec crediderint, nec pœnitentiam egerint; ubi certè significatur, quòd Publicani & meretrices erunt in regno Dei, cùm Pharisæi sint expellendi foràs. Quod autem dicitur in parabola, *Redde illis mercedem incipiens à novissimis usque ad primos*, hominum scilicet judicio: innuere potest, quòd in die judicii primò sint præmiandi, qui hominum judicio sunt novissimi, & ab ipsis in derisum habiti, deinde reprobi debito supplicio addicendi, ut satis indicat ipse Christus infrà cap. 25. v. 34. & 47. Simul etiam significat Christus non omnium in Ecclesia laborantium labores probari à patrefamilias, sed eorum tantùm, qui cùm sint electi in Christo ante mundi constitutionem, perseveranter sunt sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Verissimè itaque & doctissimè Dionysius Petavius asserit præsentis parabolæ finem & scopum in eo situm, ut demonstretur regni cœlestis & adipiscendæ salutis modum & rationem non ex humanis æstimari judiciis, sed ex sola Dei gratuita voluntate ac pro ejus arbitrio, nec usu hominum & consuetudine totum illud administrari. Hunc esse præsentis parabolæ sensum, probat ipse Petavius ex parabolæ clausula: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi:* Hinc enim apparet solos electos opponi reprobis, nec de majori aut minori gloria electorum agi. Ceterùm non oportere omnia

quæ

quæ parabolæ continent verbatim ſcrutari, ſed ſcopum intelligere, ad quem inſtitutæ ſunt, eóque percepto, nihil ampliùs inquirere, monet B. Chryſoſtomus hanc noſtram parabolam exponens Hom. 64. in Matth. Tertul. de pudicitia cap. 9. & elegantiſſimè Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 94. & lib. 16. de Civitate Dei cap. 11. unde Petavius ait ea, quæ parabolæ inſeruntur de denario uno omnibus dato, de diſpari mora laboris & operæ, de querela maturiùs conductorum, & id genus alia, adornandæ & inſtruendæ parabolæ inſervire, quâ id unum quæritur, ut omnes intelligant, quod ab Apoſtolo traditum ſæpè adverſus Pelagianos & eorum reliquias inculcat Aug. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus ut nemo glorietur.* Cùm enim bona ipſa vita, cui æterna vita redditur, Dei gratia ſit, ut ſcribit Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 8. & ipſa æterna vita gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur. Verùm etſi Chriſtus hac parabolâ docere intendat gratis ſalvari, quicunque beatam immortalitatem adipiſcuntur, alludit tamen potiſſimùm ad Judæorum abdicationem, qui juxta ordinem vocationis primi fuere, & adoptionem Gentium in abdicatorum Judæorum locum, ita ut nec rejecti, nec aſciti jure poſſint conqueri de Deo, apud quem non eſt iniquitas.

Vocati. Sc. à Deo ad fidem, charitatem, perfectionem Evangelicam & beatitudinem.

Pauci. Supple, ex illis vocatis.

Electi. Id eſt; prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. *Hominibus*, inquit Aug. in lib. de dono perſeverantiæ, c. 8. *videtur omnes, qui boni apparent Fideles, perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe: Deus autem meliùs eſſe judicavit miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſent eſſe ſecuri; multos enim à pernitioſa elatione reprimit quod ait Apoſtolus 1 Cor. 16. Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Voluntate autem ſuâ cadit qui cadit, ac voluntate Dei ſtat qui ſtat. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum, Rom. 11. non ergo ipſe ſe ipſum, ſed Deus. Verumtamen bonum eſt non altum ſapere, ſed timere. In cogitatione autem ſua cadit quiſque vel ſtat. Sicut autem ait Apoſtolus 2 Cor. 3. Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quem ſecutus B. Ambroſ. lib. de fuga ſeculi. c. 1. addit & dicit, Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & cogitationes noſtræ: Quod omnis qui humiliter & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.* Hæc Auguſtinus.

17. *Et*

17. *Et ascendens Iesus Ferosolymam.* Nempe ex civitate Ephrem; nam ut Joan. testatur c. 11. Christus biduo post auditam Lazari infirmitatem iterùm ivit in Judæam, ex qua post festum Encæniorum exierat in Peræam, ut suprà diximus; quæ respectu Judææ sita est trans Jordanem; ut autem in Judæam reversus advenit in civitatem Bethaniam ab Jerusalem stadiis quasi quindecim distantem. Lazarum quatriduanum jam fœtentem suscitavit; quod cùm audissent Pontifices & Pharisæi, collegerunt Concilium primum adversus Christum; ipse verò secessit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi moratus est cum discipulis suis, donec inde ascenderet Jerosolymam Pascha ultimum vitæ suæ celebraturus, de quo ascensu hîc loquitur Matthæus. In hoc etiam ascensu contigisse credimus, quæ Luc. c. 9. à v. 51, ad v. 57. narrat de Christo à civitate Samaritanorum repulso, propter hæc Lucæ verba, *dum complerentur dies assumtionis ejus*, quæ satis aperte significant profectionem illam non longè abfuisse à morte Christi, quod initium est assumtionis ejus; assumi enim ibi nihil aliud est, quàm ad Deum recipi. Accedit etiam quòd ait Lucas Jesum firmasse faciem suam, ut iret in Jerusalem, quod denotat firmam animi constantiam ad certam mortem proficiscentis. Fatendum tamen ex civitate Ephrem inter Jericho & Samariam sita, quò Christus antè concesserat, rectum iter non fuisse per Samariam; sed facilè fieri potuit, ut varias ob causas à consueto itinere Christus deflecteret. Cur autem Lucas suo loco id non retulerit, causam affert vir eruditus: *Nam cùm duo*, inquit, *insignia Christi monita Lucas antè narrasset, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam invidiam Apostolos hortabatur, commodum locum esse credidit adjiciendæ monitionis tertiæ adversus ultionem.*

18. *Condemnabunt eum morte.* Id est, reum mortis declarabunt, licèt ultimam sententiam non sint pronuntiaturi; *nam*, ut ait B. Greg. Nyss. Orat. 1. in resurrec. Christi, *non alio, quàm crucis supplicio Christus affici volebat.* Hoc autem Judæi afficere ipsum non poterant. Unde Joannes advertit Pilato Judæis permittenti ut Christum secundum Legem suam judicarent & punirent, ipsos, qui nimirùm mulierem adulteram, & Christum ipsum lapidare tentaverant, & Stephanum postea lapidaverunt, ipsos, inquam, respondisse: *Nobis non licet interficere quemquam, ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat significans quâ morte esset moriturus.*

19. *Tradent eum Gentibus, &c.* Admonentur discipuli judicium, quo damnandus erit Christus, à Gentibus fore reddendum,

dendum, quia clavis configendus erat cruci, quòd non fuit Judæis usitatum supplicium, ut Casaubonus Exercit. 16. adversus Baron. c. 77. tribus argumentis probat. Primum est Rabbinorum testimonium, qui verbis expressis crucem Romanis usitatam, fuisse genti suæ ignotam affirmant. Secundum petitur ex ipso jure veteri populi Judaici, quod & Rabbini iidem afferunt, ut sententiæ suæ fidem astruant. Nam ex antiquis fragmentis Doctorum, quæ in Pandectis Talmudicis habentur, non nisi quatuor erant suppliciorum capitalium genera à populo Judæorum usurpata; sc. lapidatio, vivicomburium, decollatio & strangulatio. Verùm omnibus lapidatione jam extinctis pœna ignominiæ causâ irrogabatur, ut suspenderentur ad paucas horas, & soli, & oculis hominum exponerentur; quod Judæis erat quâvis dirâ morte diriùs propter horribile carmen vocis divinæ Deuteron. 21. v. 23. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno.* Idem pœnæ genus irrogari solitum homicidis scribit Philo, licèt secundum Rabbinos, homicidæ non lapidatione, sed decollatione extinguerentur. Tertium denique argumentum sumitur ex eo quòd nullum sit veteris linguæ Hebræorum vocabulum, quod crucem propriè dictam significet, nullum verbum actioni crucifigendi proprium, nullum denique in toto veteri testamento extet certum de eo supplicii genere in Hebræorum Republica contra allata è commentariis Rabbinorum testimonia argumentum; nam suspendi in patibulo, & in cruce dicuntur omnes, qui in altum sublati acutâ sude transfigebantur, vel laqueo strangulabantur, vel jam extincti, oculis hominum & soli ignominiæ causâ exponebantur: unde omnibus his vocibus, *patibulum*, *crux*, &c. in Vulgat. & aliis versionibus usurpatis, in textu Hebræo respondet una vox עץ, id est, *lignum.*

Tertiâ die resurget. A vespere sepulturæ usque ad diluculum resurrectionis Christi triginta sex horæ sunt, id est, nox tota cum die, & nocte tota. Aug. lib. 4. de Trinitate. c. 6.

20. *Accessit ad eum mater.* Instigatione scilicet filiorum, unde Marc. 10. v. 35. ipsi accessisse dicuntur; accesserunt autem non per se, sed per matrem, ut petitio esset honestior, & impetratio facilior: hinc Christus non matri, sed filiis respondit.

21. *Dic ut sedeant. Petebant filii Zebedæi excellentiam habere præ aliis in participando judiciariam potestatem Christi: unde non petebant, quòd sederent ad dextram vel sinistram Patris, sed ad dextram vel sinistram Christi,* D. Thom. 3. part. q. 58. art. 4. ad 4.

22. *Nescitis*

22. *Nescitis quid petatis.* Cùm inordinatè petatis, triumphum scilicet ante victoriam.

Potestis bibere calicem, &c. Adagiali sententiâ docet discipulos in hoc mundo non gloriam Christi, sed crucem esse ambiendam; qui enim compatitur, & conglorificabitur. Idem significat & alterum adagium in textu Græco hîc & etiam in Latino Marc. 10. v. 38. additum: *Baptismo, quo ego baptizor, baptizari.*

23. *Calicem quidem meum bibetis. Calicem in Scripturis divinis intelligimus passionem juxta illud: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Porro calicem martyrii bibit Jacobus filius Zebedæi, dum ab Herode fuit capite truncatus; Joannes autem bibit calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem; legimus enim in Ecclesiasticis historiis, quòd & ipse Joannes propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque sit relegatus in Patmos insulam.* B. Hier.

Non est meum dare vobis. Plures sunt hujus loci expositiones, sed omnium optima meo judicio est expositio Epiphanii Hær. 69. Ambrosii lib. 5. de fide. c 2. & Cyrilli Alexandrini lib. 10. Thesauri. c. 5. Hi dicunt vim præsentis loci non consistere in his verbis: *non est meum*, sed in hoc pronomine, *vobis*; neque enim facit Christus comparationem inter se & Patrem, quasi velit dicere se non posse dare & Patrem posse; quia si hoc dicere voluisset, dixisset: *Non est meum dare vobis, sed Patris mei*; sed comparationem facit Christus inter filios Zebedæi, & inter prædestinatos ad gloriam à filiis Zebedæi expetitam. q. d. Meum quidem est concedere quod petitis, sed non vobis, verùm quibus paratum est à Patre meo. *Quòd autem paratum est, à Patre*, inquit Aug. lib. 1. de Trinitate. c. 12. *& ab ipso Filio paratum est, quia ipse & Pater unum sunt.*

Quibus paratum est à Patre meo. Cum Patre se intelligi voluit parare sedes gloriæ, quibus vellet. Aug. ibid. Solet autem in Scripturis præparatio regni seu prædestinatio appropriari Deo Patri, quia pertinet ad providentiam, quæ appropriatur Deo Patri, quia patris est prospicere filiis. Hinc nunquam legimus in Scripturis Christum prædestinasse quempiam, sed solùm Deum Patrem, quamvis prædestinatio in rei veritate fiat à tribus personis sanctissimæ Trinitatis.

25. *Principes Gentium dominantur eorum.* Id est, habent super eos dominatum, seu dominium illud κατ' ἐξοχὴν, sive supereminens, ut Aristoteles loquitur, quod provinciarum dispendio totius Reipublicæ salutem procurare permittit. Agit autem Christus de legitima Regum autoritate, non vero de tyrannica,

cum

cùm de iis Regibus loquatur, qui beneficì vocantur à ſubditis, ut patet ex Luc. 22. v. 25. Ex quo etiam loco patet vocem Græcam κατακυριεύσειν non ſumi à Matthæo in malam partem propter additam præpoſitionem κατ᾽; cùm Lucas utatur ſimplici verbo κυριεύσειν.

26. *Non ita erit inter vos.* Apoſtolis interdicitur dominatus, ſeu ſummum imperium, quod deſpoticum vocant, ab Eccleſia amovetur, cujus adminiſtratio ariſtocratico regimine temperata eſt ex ſententia omnium Theologorum. Vehemens eſt B. Bernardus & ferè totus in eo, ut hanc ſententiam Eugenio R. P. perſuadeat: *Nec enim tibi ille* (Petrus ſc.) *dare quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi, ſuper Eccleſias. Numquid dominationem? audi ipſum: Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, beneficì vocantur. Et infert: Vos autem non ſic. Planum eſt Apoſtolis interdicitur dominatus. Ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque ſimiliter habere velis, perdes utrumque.* Hactenus Bernard. de Conſid. lib. 2. c. 6. Nec aliena eſt Bernardi explicatio à veterum ſenſu. Etenim Origenes Tract. 12. in Matth. hunc locum Evangelii ſic ediſſerit: *Principes Gentium non contenti tantùm regere ſubjectos ſuos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui eſtis vel, non erunt hæc, ne fortè qui videntur habere aliquem in Eccleſia principatum, dominentur fratribus propriis, vel poteſtatem in eos exerceant. Quoniam ſicut omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate; ſpiritualia autem in voluntate, non neceſſitate; ſic & Principes ſpirituales. Principatus eorum in dilectione eſſe debet eſſe poſitus, non in timore corporali.*

27. *Erit veſter ſervus.* *Interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio, Præeſt Pontifex ceu fidelis ſervus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, non ut eorum dominetur, ſed ut det illis eſcam, ut diſpenſet, non ut imperet*, inquit Bernardus. Hinc præclarè Chryſoſt. Hom. 25. in 1 Cor. Τοῦτο κανὼν χριστιανισμοῦ, τοῦτο ὅρος ἐκκλησιῶν, αὐτὴ ἡ κορυφὴ ἡ ἀνωτάτω, τὸ τοινῦν συμφέροντα ζητεῖν. *Hæc eſt Chriſtianiſmi regula, hæc illius exacta definitio, hic eſt vertex ſupra omnes eminens, publicæ utilitati conſulere.* Idem in Acta Apoſt. Hom. 3. *Legibus ac mandatis omnia peraguntur*, ſcilicet apud Principes, *hîc vero*, id eſt, in regimine Eccleſiaſtico, *nihil tale; neque enim licet ex authoritate præcipere.* Quod Gregorius Nazianzenus conceptis verbis teſtatur in Apolog. *Vel maximè id Lex noſtra,*

& Legislator noster sanxit, ut grex non coactè sed sponte ac libenti animo pascatur. Hinc & Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Regem nolentibus, Episcopum volentibus præesse scribit. Itaque regium imperium à sacerdotali in eo maximè distat, quòd illi non solæ singulorum civium rationes commissæ sint, sed totius Reipublicæ salus; unde fit ut in cives, etiam invitos ad fovendum totius Reipublicæ corpus jus illi competat. Quod aliter se habet in Episcopali ministerio, cui Ecclesiæ sollicitudo ita est commissa, ut singulorum saluti præcipuè invigilare debeat, nec curare possit universum corpus aliquorum membrorum pernicie; sed ad exemplum Magistri nonaginta novem oves deserendæ illi sunt, ut centesimam ad caulas reportet. Deinde in ipsa ratione legum ferendarum, quæ singulorum civium controversias respiciunt, Principes quidem eorum utilitatibus consulere debent, adeo ut eos tacitâ conditione suis legibus obstringi nolint, nisi usu ipso constiterit eas leges Reipublicæ commodas & utiles esse. Attamen si non jure ordinario, sed summo jure agere velint, earum constitutionum executionem urgere, quæ de jure dubio feruntur, & ab invitis civibus obsequium extorquere possunt, sine ulla tyrannici imperii exprobatione. Etsi enim dura sint aliquando Regum imperia, ordo ille imperandi & parendi id exigit, ut subditi dominorum mandatis cedant, quemadmodum Apostoli disertissimè docuerunt, Paulus Rom. 13. & Petrus 1 Ep. c. 2. Sed in legibus Ecclesiasticis, quæ jus naturale aut divinum non exsequuntur, summum illud imperium locum non habet. Quo sensu accipienda sunt, quæ adduxi testimonia è Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, & Bernardo ad textûs Evangelii explicationem. Quin etiam magnum discrimen intercedit inter supplicia, quæ leges publicæ contumacibus irrogant, & excommunicationes, aut certas censuras, quibus utitur Ecclesia adversus sceleratos. Principes enim adulterum, aut cædis reum, gladio plectit; id est, maleficum commerità pœnà afficit, in eòque vim imperii sui ostendit. Ecclesia verò non exigit pœnam sed morborum curationem. Itaque non infligit excommunicationem, ut mactet, sed ut pœnitenti salutem conciliet; quemadmodum disertè interpretatur Chrysostomus Hom. 15. in 2 Cor. Unde Theodoretus in Præfat. ad Synagogen Canonum adnotavit aliam esse rationem legum Regiarum, & Canonum; quòd illæ severas pœnas à reis exigant, hi autem errantes in vitam reducere, & ægris remedia parare conentur, quando peccatum est in leges Evangelicas, aut mores receptos.

28. *Filius*

28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Nempe, *carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium*, ut loquitur Bernardus Serm. 54. in Cantic.

Dare animam suam redemtionem pro multis. Non dixit animam suam redemtionem dare pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint. B. Hier. hîc; unde sanctus Leo Magnus in Ep. 81. ad Palæstinos, quæ incipit, *sollicitudini meæ. Effusio*, inquit, *pro injustis sanguinis justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemtorem crederet*, scilicet fide vivâ, *nullum tyrannica vincula retinerent.* Hinc & Ecclesia Smyrnensis in Epistola, quam anno Domini 169. de Polycarpi martyrio scripsit apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccl. cap. 15. ait, ὅτε τὸν χειστὸν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου σωζομένων σωτηρίας παθόντα. Id est, *Neque Christum unquam deserere poterimus, qui pro salute totius mundi eorum qui salvantur passus est.*

29. *Egredientibus illis ad Jericho.* In quam civitatem mox venerant, ut patet ex Marc. 10. v. 46. & ibi Zachæum Publicanorum principem salvum facturus invisit, & parabolam de decem mnis, quarum singulæ, ut dicitur Ezech. 45. continent sexaginta siclos, coram omnibus dixit, ut narrat Luc. c. 19. Distat autem Jericho à Jerusalem decem parasangis, ut Talmudici loquuntur, seu ut Josephus lib. 5. de bello Judaico. c. 4. stadiis centum quinquaginta, id est, viginti milliaribus.

30 *Ecce duo cæci.* Quia horum duorum cæcorum alter altero nobilior erat, unius tantùm meminerunt Marcus c. 10. & Lucas c. 18. cujus & nomen Marcus appellat Bartimæum. Idem enim miraculum à tribus Evangelistis narrari, circumstantiæ omnes satis declarant. Nec obstat quòd Lucas ait miraculum contigisse, cùm Christus appropinquaret Jericho, cùm alii Evangelistæ miraculum, quod narrant, contigisse affirment proficiscente Christo de Jericho; nam fieri potest, ut Lucas locum notaverit, unde primò inceperit cæcus clamare, scilicet cùm appropinquaret Jericho; sed cùm esset dilata ejus sanitas, eundem iterum cum alio cæco viam obsedisse, egrediente Jesu ex urbe Jericho, & tunc utrumque vocatum ac sanatum esse. Alii fortasse meliùs respondent verbum ἐγγίζειν *appropinquare*, etiam cum præpositione πρὸς *ad*, non semper motum ad locum, sed sæpe distantiam tantùm significare; sicut apud eundem Lucam c. 19. v. 29. ὡς ἤγγισεν πρὸς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, *cùm appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam*: hoc est, cùm esset circa ea loca; nam Bethaniam jam transierat.

CAPUT

CAPUT XXI.

1. *Cum appropinquassent, &c.* Præsens hæc historia, ut patet ex Joan. 12. v. 12. contigit postridie cœnæ Christi in vico Bethania in domo Simonis Leprosi, qua in cœna Maria soror Lazari unxit pedes Domini, ut per recapitulationem commemorant Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. indicaturi causam proditionis Judæ indignantis sibi periisse lucrum, quod ex vendito unguento provenire potuisset. Joannes verò cap. 12. historiam cœnæ Christi in Bethania & unctionis in ea factæ suo tempori reddidit, & more suo quædam notat ab aliis prætermissa. Cùm autem Joannes dicat sex diebus ante Pascha Christum venisse Bethaniam, & postero die (quem ab ultima usque antiquitate omnes Christiani crediderunt fuisse diem Dominicum, ut fidem faciunt quidam Augustini Sermones de tempore, & cujusdam Homiliæ S. Maximi Taurinensis, qui circa annum 420. floruit, titulus) multam turbam, quæ venerat ad diem festum, cùm audiissent Jesum venire Jerosolymam, accepisse termites palmarum & prodiisse ei obviam, patet Jesum venisse die Sabbati in vicum Bethaniam; qui si fuit sex diebus ante Paschale festum, festum illud die Veneris, non Sabbati celebratum est: ut citra idoneum fundamentum existimant Rupertus & Paulus Burgensis; sextus enim à Sabbato dies, non est Sabbatum, sed dies Veneris. Nec obstat quod Ruperti sententiæ fautores objiciunt de festo Pentecostes, quod omnis Christianitas, ut aiunt, ab ultima usque antiquitate credidit anno Passionis Christi in Dominicam incidisse, ut fidem faciunt Clementis Constitutiones, & Augustini Sermo de Tempore 154. & Leo passim: ergo, inquiunt, illo anno primus azymorum fuit Sabbatum, non dies Veneris. Nam à secunda die azymorum numerabantur septem hebdomades, id est, dies quadraginta novem, quibus pro colophone addebatur quinquagesima, unde *Pentecoste* dicta. Itaque si prima azymorum fuit Sabbatum, prout Rupertus & Burgensis contendunt, prima septem hebdomadum, adeóque sex reliquæ inceperunt die Dominicâ, & in Sabbatum desierunt. Et post Sabbatum septimæ hebdomadis dies Dominica secuta est, id est,

Pente-

Pentecoſte. At, ſi prima azymorum in diem Veneris incidit, in eandem Veneris diem omnes hebdomades deſierunt, & *Pentecoſte*, id eſt, quinquageſima fuit Sabbatum. Hæc adverſariorum objectio nihil obſtat contra veritatem noſtræ ſententiæ; duplici enim via ſolvi poteſt. Primò ex ipſa Lege dubium oboritur de vero die Pentecoſtes; ita enim habetur Deut. 16. v. 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, quâ falcem in ſegetem miſeris.* Falx autem in ſegetes immittebatur poſtridie feſti primi azymorum, quod vocatur *Sabbatum*, Levit. 23. v. 15. ut ex demeſſis frugibus offerretur Deo manipulus. At, cùm feſtum primum azymorum ſequebatur Sabbati dies, manipulus ille frugum non poſtridiè, ſed perendiè videtur fuiſſe oblatus, quia Sabbato non licebat falcem in ſegetes immittere. Quo dato nulla fuerit objectio adverſoriorum, cùm, quo anno Chriſtus paſſus eſt, primo poſt feſtum azymorum die Sabbatum fuerit, unde ſequetur frugum oblationem & ſeptem hebdomadum enumerationem in diem Dominicam eo anno fuiſſe rejiciendam, adeóque Pentecoſten in eandem diem incidiſſe. Secundò dici poteſt quòd illa verba Lucæ Act. 2. v. 1. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, complectantur Hebraiſmum, q. d. Cùm impleti eſſent, ſeu, poſtquam impleti ſunt dies Pentecoſtes. Quod non eſt ſine exemplo; Hebræi enim ſic loqui amant, ut videre eſt in veritate Hebraica Levit. 12. v. 6. Num. 6. v. 13. Eſther 1. v. 5. Sic dato, non conceſſo, Judæorum Pentecoſten in Sabbatum incidiſſe, quo anno Chriſtus paſſus eſt, poſſet tamen intelligi Spiritus-Sanctus in Apoſtolos die Dominicâ deſcendiſſe, quia Lucæ *cum complerentur*, Hebraico loquendi more non ſolùm ſignificat impleri dies Pentecoſtes, ſed & jam plenè & plane impletos fuiſſe, ita ut deſcenſus Spiritûs-Sancti contigerit poſtridie Pentecoſtes Judæorum.

Veniſſent Bethphage. Marcus habet cap. 11. v. 1. *Cùm appropinquarent Jeroſolymæ & Bethaniæ.* Lucas verò cap. 19. v. 29. *Cùm appropinquaſſent ad Bethphage & Bethaniam.* In hodiernis exemplaribus Græcis Marci habetur: *Cùm appropinquarent ad Jeruſalem, ad Bethphage & Bethaniam.* Verùm Vulgatus interpres, ut & Origines Tractatu 14. in Matthæum, non legerunt in Marco Bethphage, ſed ſolùm Bethaniam. Diſtabat Jeroſolymis Bethania quindecim ſtadiis, ut dicitur Joan. 11. v. 18. id eſt, duobus milliaribus. At Bethphage propè fuit ſub ipſis Jeroſolymorum mœnibus, ſi Hebræis credimus, ſecundum quos ibi coquebantur oblationes veſpertinæ, ut probat doctiſſimus Buxtorfius ex Bartenora, & Bartenora ex Rabbi Moſe Majemonide in tractatu Talmu-

dico *Menachoth* cap. 11. fol. 95. B. *Bethphage*, inquit, *nomen erat loci extra Jerusalem, prope montem Templi, in quo coquebant oblationes.* Quin glossa Talmudis in tractatu *Sota* fol. 45. A. & *Bava Metsia* fol. 90. A. ait, Quidquid est in ambitu exteriore Jerosolymorum vocari Bethphage, & hoc nomine significari cingulam. Aliis *Phage* non est cingula, sed caput lupati. Bochartus linguarum peritissimus Bethphage nomen habere ait à grossis, ut Olynthus urbs Thraciæ; grossi enim Chaldæis & Syris פגי *Pagge*, vel *Phage* ἀγχαυχένες. Origenes & Hieronymus in Matthæum Bethphage explicant *domum maxillarum*. Bernardus in Sermone ad milites templi cap. 12. *domum buccæ*, quod esset בית־פכא *Bethphaccha* vel *Bethphacche*. Liber nominum, *Bethphage, domus oris vallium*, quod esset בית־פי־גיא *Beth-pi-ge*. Tremellius exponit *domum fontis*, quod est, בית־פינגי *Bethphage*; ita enim scribitur ab Hebræis Græcum πηγή. Ludovicus de Dieu, *domum adulatoris*, id est, בית־פגיא *Beth-phagia*. Verùm ex omnibus his interpretamentis magis arridet sententia Bocharti, ut Bethphage dicatur, quasi *domus grossorum*, ut hoc nomen sonat ad verbum citra ullam mutationem, utpote Hebræo-Chaldæum, seu Syrum. Jam quòd res eadem ab uno Evangelista facta narratur in vico Bethphage, ab altero in Bethaniæ pago, à tertio in utroque, facile est conciliare. Horum nempe vicorum agri confines erant, & quod factum est in confiniis, dici potest in alterutro, vel in utroque factum.

2. *Ite in castellum quod contra vos est.* Id est, è regione vestri. Sic infrà c. 27. v. 61. *sedentes contra sepulchrum* dicuntur mulieres, quæ prope sepulchrum sedebant. Sic Carthago sita dicitur Italiam contra, id est, è regione. Nugantur, qui *castellum vobis adversarium* interpretantur, id est, Jerosolymam Apostolis adversaturam; neque enim Jerosolyma *castellum*, seu *vicus*, ut habet Syrus, Arabs, & textus Græcus, sed urbs appellatur, ut certè urbs erat una è totius Asiæ maximis. Et fortasse ob id ipsum in Marco quidam codices Græci legunt *in urbem*, pro *in vicum*, nempe ut Jerosolymorum *urbs* significari putetur. Ego vicum intelligo qui oculis se offerebat, & Christus intento digito monstrabat. Quis is fuerit tacent Veteres. Solùm in Nubiensi Geographo hæc habentur Clim. 3. Part. 5. *Ad duo milliaria à monte Olivarum pagus erat, ex quo adducta est asina, quâ vectus est Dominus Christus, cum ingressus est Jerosolymam: sed pagus ille nunc desertus est, nec ullos habet incolas.* Perdiccas Ephesius in lib. de Dominicis thematibus circa Jerosolymam, postquam egit de Bethphage & Bethania, ait:

Tùm

Τούτου τοῦ ὄρους ἀντικρυ πρὸς νοτίον τὸ μέρος,
Καὶ ἡ τὸν ὄνον ἄξασα καὶ πῶλον σμικρὰ κώμη.

E regione hujus montis ad australem partem etiam vicus est parvus, qui asinam & pullum egit.

Invenietis asinam alligatam & pullum cum ea. Matris cum pullo adductæ meminit solus Matthæus, alii Evangelistæ id prætereunt tanquam minùs necesse, quia solum pullum Christus equitavit. Notanda est locutio Joannis. c. 12. v. 14. dum Jesum dicit invenisse asellum, quem non per se sed per discipulos à se missos invenerat. Observant Marcus & Lucas hunc pullum neminem unquam insedisse, quia ad honorem Christi pertinet, ut quod à Joanne observatur Christum in eo sepulchro fuisse positum, in quo nemo unquam positus fuerat. Non absimili exemplo Philistæi 1 Sam. seu Reg. 6. Arcam remiserunt in plaustro novo vaccis alligatis, quæ nunquam jugum tulerant. Sic & apud Gentiles in quibusdam sacrificiis injuges hostiæ immolabantur, id est, quæ nunquam sub jugo fuerunt, ut videre est apud Macrobium Saturnal. lib. 2. c. 5, &c. Addunt alii Christum ita significasse sibi parere etiam quæ maximè sunt indomita. Ceterùm vectionem asini non fuisse vilem in Oriente constat ex Genes. 22. v. 3. Exod. 4. v. 20. Num. 22. v. 21. Josue 15. v. 18. Jud. 1. v. 14. c. 10. v. 4. c. 12. v. 14. 1 Reg. 25. v. 20. 2 Reg. 17. v. 23. c. 19. v. 26. 3 Reg. 13. v. 13, & 23. Quibus adde, quòd Chrysostomus, in Titum Hom. 1. Constantinopolitano Episcopo, id est, sibi dicit objici tanquam argumentum nimii fastûs, quòd servos habet, qui illi ministrent, & asino vehitur, ἐπὶ ὄνου ὀχεῖται. Mitto quòd referunt Arabes de Arabum Magnatibus sic vehi solitis, & quòd Leo Africanus testatur in Ægypto matronas hodiéque sic vehi, quemadmodum olim Romæ, ut ex Lampridio colligere est in vita Heliogabali.

3. *Si quis vobis aliquid dixerit, &c.* Non solùm prædixit Christus fore ut asinus reperiretur, sed & asinus cum matre, isque nondum subactus, & ligatus, & in aditu pagi seu castelli, & quo momento discipuli ingrederentur, & tum, cùm solveretur, dominos primò reclamaturos, atque assensuros postmodùm, cùm resciverint iis egere Christum Dominum. Quas rerum minutias nemo alius prædixerit, quàm qui gerit & suo nutu administrat. Nempe non casu factum est, ut injugis asini pullus eo loco & momento reperiretur, quo prædixerat Christus, & à dominis suis tàm facilè dimittere-

tur. Quin omnia hæc dispositi Dei providentia, & jumenti dominos ad assensum inclinavit illâ vi flexanimâ & vorticordiâ, quâ Regum etiam corda in manu habet ut rivos aquarum, & quocunque vult inclinat, ut dicitur Prov. 21. Neque ethnicos id latuisse testantur apud Themistium Orat. 9. Assyriorum picturæ, in quibus *Regis animus in manu Dei servatur.* Cùm autem quidquid nomine Dei geritur, sit primario actio Dei, & minister sacramentorum faciat actiones sacramentales & verba proferat nomine Dei, seu potius Deihominis, id est, Christi, sequitur actiones sacramentales & verba esse principaliter Christi, ideóque efficere quod significant, sicut cum Apostoli nomine Christi asinæ domino dicerent, *Dominus his opus habet*; & Christus leproso *Mundare, &c.*

4. *Ut impleretur.* Eventus significatur non finis. Nam si finem respiciamus, res non tam implentur, quia sunt prædictæ, quam prædicuntur quia implendæ.

Per Prophetam. Quidam putant intelligi Esaïam. Ità Nonnus in Paraphrasi Joannis ad hunc locum.

Fiat ut Esaïas quidquid prædixerat olim.

Et Matthæi Æthiops interpres, *Et hoc fuit ut eveniret & compleretur dictum Esaïæ Prophetæ, quod dixerat.* Nempe hæc habentur Esaïæ 62. v. 11. *Dicite filiæ Sion, Ecce Salvator tuus venit:* ad quæ Matthæus ita alludit, ut etiam bene multi velint verba quæ citat, ex parte saltem ex Esaïa depromta esse. Alii tamen, quia Matthæus unum Prophetam laudat non plures, volunt per Prophetam, unum intelligi Zachariam cap. 9. v. 9. cujus sensus hîc & Joan. 12. citatur, non verba; nam, inquiunt, hîc *Dicite filiæ Sion:* & Joan. 12. v. 15. *Noli timere filia Sion:* idem sonat secundum sensum atque hæc Zachariæ verba: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem.* Nempe filia Sion sunt Jerosolymitani, qui viso Rege Christo, in quo uno salutis spes erat sita, cum lætitia & clangore dixerunt alii aliis verba plena fiduciæ.

5. *Ecce Rex tuus.* Cujus scilicet regnum non est de hoc mundo, sed ab hujus seculi Regum pompa maximè alienum.

Venit tibi mansuetus. Alii vertunt, *venit tibi pauper*, quia vox Hebræa עָנִי mansuetum, & pauperem sonat.

Sedens super asinam & pullum filium subjugalis. Subjugale & asinus in Græcis Scripturæ interpretibus sunt omninò synonyma & in usu promiscuo. Non immeritò exclamat hîc Chry-

Chrysostomus: Ἐρώτησον πίνυν τὸν Ἰουδαῖον. Ποῖος Βασιλεὺς ὀχούμενος ἐπὶ ὄνου ἦλθεν Ἱερεσαλὴμ, ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν ἀλλ' ἢ τοῦτον μόνον. *Judæum interroga, Quisnam Regum asino vectus venerit Jerosolymam? Neminem profecto dicere poterunt præter hunc solum.* Agi autem in hac Zachariæ Prophetia ad literam de Christo, patet ex his quæ laudata à Matthæo verba sequuntur de pace per illum Regem restituenda, & ita ut curribus, & equis, & armis bellicis ampliùs non sit opus, & de imperio ejus à mari ad mare atque ad extrema terræ propagando; de captivis denique per sanguinem fœderis ab eo redimendis. Itaque Judæi veteres hunc locum ad Messiam referunt summo consensu, neque aliter sentiunt plerique recentiores. Quod hîc obiter docere non videtur esse extra rem. Rabbi Eliezer cap. 31. ubi de Abrahami asino ait: *Hic quoque asinus erit* [illegible] *Filius Davidis. Hinc dicitur Zach. 9. v. 9. Ex*[illegible] *&c.* Talmudici in Sanhedrin cap. 11. fol. 9[illegible] *Josue filius Levi objecit, Scriptum est de Messia Dan.* [illegible] *Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis venit* [illegible] *v. 9. de eodem Scriptum est, Pauper & ascendens* [illegible] *Respondit si Israëlitæ digni sunt, veniet cum nubib*[illegible] *si non sunt digni, veniet pauper & asino insidens.* In[illegible] ibidem cavillus Saporis Regis Persarum. *Dixit Rex Sapores Rabbino Samuëli, Dicitis Messiam super asinum venturum: ego mittam ipsi varium equum, quem habeo.* Respondet Rabbi Samuël verbis semi-Persicis: *An tibi est asinus mille colorum?* Mens Rabbini est asinum illum, cui insessurus est Messias non fore asinum è vulgo, sed animal multiplici colorum mixturâ ita insigne, ut quemvis equum formâ & pretio longè superet, Nempe Regis cavillos aliter eludere non potuit, quàm hoc commento. Sed regerendum erat id quod res est, Christi regnum scilicet non esse de hoc mundo, sed pacificum & humile. Ibidem pagina sequenti Rabbi Josephus ait: *Utinam veniat Messias, & sedere dignus sim in umbra fimi asini ejus.* Ibidem fol. 99. A. *Rabbi Hillel dicit, Non erit Israëlitis Messias, quia jam eum consumserunt in diebus Ezechiæ. Regerit Rabbi Joseph, Ignosce Rabbino Hilleli, ô Domine ejus. Ezechias quando fuit? Tempore primi Templi. Porrò prophetavit Zacharias tempore Templi secundi, & de Messia tanquam adhuc futuro dixit, Exulta filia Sion, &c.* Galatinus lib. 4. cap. 2. hæc citat ex Rabbi Osaia in libro Bereschith Rabba ad Genes. 49. v. 14. *Hoc autem, quod scriptum est Es. 32. v. 20. Mittentes pedem bovis & asini. Mittentes, iste est Elias, dequo scriptum est Mal. 3. v. 1. Ecce ego mitto Angelum meum. Pedem bovis, hic est Messias filius Joseph,*

ſicut de Joſepho dictum eſt Deut. 33. v. 17. Primogeniti bovis decor eſt illi. Et aſini, hic eſt Meſſias filius David, de quo ſcriptum eſt Zach. 9. v. 9. Pauper & aſino inſidens. Midras Kobeleth in hæc Eccleſ. 1. v. 9. Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Rabbi Barachias dixit in nomine Rabbi Iſaac. Qualis fuit primus Redemtor (Moſes) talis erit Redemtor ultimus (Meſſias.) Qualis fuit Redemtor primus? Qualis dicitur Exod. 4. v. 20. Tulit Moyſes uxorem ſuam & filios ſuos & impoſuit eos ſuper aſinum. Ita erit Redemtor ultimus, de quo dicitur Zach. 9. v. 9. Pauper & aſcendens ſuper aſinum. Hæc Hebræorum Icriptores vetuſtiſſimi, à quibus non diſſentiunt plerique recentiorum. Rabbi Saadias Gaon in Daniel. 7. v. 13. *An non de Meſſia ſcriptum eſt Zach. 9. v. 9. Pauper & aſcendens ſuper aſinum? an non cum humilitate veniet, non cum equitatu & faſtu?* Rabbi Salomon in Zach. 9. v. 9. ait: *Locus iſte non poteſt exponi de ullo alio, quàm de Meſſia; quia de eo dicitur, Et dominabitur à mari ad mare. Neque ullum reperimus Templi ſecundi tempore, qui ut iſte in juſtitia regnaverit.* Kimchius hæc eadem verba exponens ad Meſſiam ita refert. *Juſtus erit & per juſtitiam ſuam ſervabitur à gladio Gog & Magog. item;* עני, *pauper hîc idem eſt, quod* עניו, *mitis, manſuetus: atque ita explicat Jonathan. Quale eſt quod de eo dicitur Eſa. 42. v. 2. Non clamabit, nec audietur vox ejus foris, calamum quaſſatum non conteret. Aſino inſidebit, non præ inopia, quia totus orbis erit ſub illius ditione, ſed præ humilitate, atque etiam ut doceat Iſraëli non opus fore equis & curribus. Proinde addit: Diſperdam quadrigam ex Ephraim & equum de Jeruſalem.* Rabbinos Salomonem & Kimchium ſecutus Rabbi Iſaac Abarbanel ait: *Quia populi ſolent Regis ad exemplum ſe componere, cùm videbit totus Iſraël Regem Meſſiam eſſe humilem & aſino inſidentem, nullus erit in Ephraim (quo nomine ſignificatur regnum Iſraëlis decem tribuum) neque Jeroſolymis in regno Judæ, qui velit currui aut equo inſidere. Unde eſt quod dicit: Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, &c.*

Huic conſenſui tam univerſo opponere ſe auſi ſunt Rabbini duo celeberrimi, ſed malâ mente, malo animo, neque aliâ de cauſa, quàm ut Chriſti manifeſtationis hoc argumentum nobis eriperent. Hi ſunt Rabbi Moſes Sacerdos & Rabbi Abraham Aben-Ezra, quorum primus in Nehemia, alter in Juda Machabæo impletum eſſe contendit Zachariæ oraculum de Rege, qui pauper, atque humilis Jeroſolymam erat ingreſſurus. At manifeſti utrumque erroris, convincit clariſſimus Bochartus, ut & recentiorem quemdam inter Chriſtianos (cujus nomini parcit) qui contra traditionem in Eccleſia

cleſia & Synagoga receptam, Zachariæ locum vult ad literam intelligi de Zorobabele. Rabbinos mox laudatos primò refellit Bochartus hunc in modum. Quidquid Rabbini illi aſſerant, Nehemiam & Judam Machabæum aut in Judæa regnaſſe, aut pauperes fuiſſe, aut aſino inſediſſe, nunquam probabunt, nec in ſumma pace vixiſſe, nec imperaſſe à mari ad mare & uſque ad extrema terrarum, quæ ſunt criteria Regis illius, de quo agitur in Zacharia. Nehemias quidem dicitur Rex in Juda Nehem. 6. v. 7. Quod arripit Rabbi Moſes Sacerdos, ut Regem fuiſſe probet, ſed per ſummam imperitiam; neque enim verè Rex dicitur, ſed Sanaballat ſcribit Nehemiam à Goſſem Arabe affectati regni accuſatum. Sed hoc crimen Nehemias à ſe amolitur his verbis: *Non eſt factum ſecundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.* Et c. 5. v. 14. ipſe Nehemias diſerte aſſerit ſibi áb Artaxerexe Rege præceptum, ut eſſet פחה *dux eorum in terra Juda.* Idem eſto judicium de Juda Machabæo, & de fratribus ejus, qui ipſi ſucceſſerunt, Jonathane, & Simone, & de Hyrcano Simonis filio, qui, ut ut Reges appellentur in Chronico Templi ſecundi, tamen nil quidquam fuere, quam Judæorum Pontifices & Ethnarchæ; unde ſub illis res gerebantur ex communi totius populi conſilio. Hinc 1 Mach. 4. v. 59. *Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa eccleſia Iſraël.* Et ibid. 12. v. 6. *Jonathas ſummus Sacerdos, & ſenfores gentis, & Sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus ſalutem.* Sed Hyrcani Filius Ariſtobulus *principatu in regnum verſo, diadema ſibi primus impoſuit*, ut aſſerit Joſephus 1 de bello Jud. c. 3. & 13 Antiq. c. 19. & ex Joſepho Pſeudo-Hegeſippus lib. 1. c. 2.

Jam, ſive Nehemiæ, ſive Judæ aſinus, quo Jeroſolymam venerint, nuſquam comparet. De Nehemia quidem dicitur Nehem. 2. v. 12, & 14. quòd בהמה, *jumento* fuerit vectus, ſed cujuſnam ſpeciei fuerit illud jumentum, fuerítne equus, mulúſve, an camelus, an aſinus non loquitur Scriptura. Pincerna Regis potentiſſimi erat Nehemias, & ipſi Suſis diſcedenti Rex copiarum præfectos atque aliquot equites pro comitatu attribuit, ut dicitur Nehem. 2. v. 9. Dum Jeroſolymorum mœnia inſtaurabantur, quotidie Nehemiæ menſæ aſſidebant Judæorum Magnates centum & quinquaginta, quibus illius impenſis cædebantur in dies bos unus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diverſa & alia multa tribuebantur, ut dicitur Nehem. 5. v. 17, & 18. Idem in ſacrum theſaurum contulit mille auri drachmas, phialas quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingen-

tas triginta, ut dicitur Nehem. 7. v. 70. Hic ille est quem Rabbi Moses Sacerdos habuisse negat unde equum aleret, dum in Israëlis plebe septingenti & ampliùs erant equites, & alii, vel mulis, vel camelis instructi fere totidem, ut dicitur Nehem. 7. v. 68, & 69. Rectè igitur Rabbi Mosem Sacerdotem refellens Aben-Ezra, *Dux*, inquit, *erat Nehemias, nec petebat annonas Ducatûs sui & quotidie multi ad mensam ejus admittebantur; ut dicitur Nehem. 5. v. 17, & 18. quomodo igitur caruisset equo?* At, quæ fuit Aben-Ezræ cæcitas, non vidit idem de Juda Machabæo posse objici. Judas Machabæus Sacerdos fuit è stirpe Jojarib; ut dicitur 1 Mach. 2. v. 1. unde Sacerdotum primus fuit ordo 1 Paralip. 24. v. 7. itaque Judæ patrem Mathathiam quidam à Rege missi sic alloquuntur 1 Mach. 2. v. 17. *Princeps & clarissimus & magnus es in hac civitate.* Et Mathathiæ successor Judas Machabæus ipsius filius hostes plurimos fuderat, antequam veniret Jerosolymam, Apollonium putà Samariæ & Seronem Cœlesyriæ Præfectos; Ptolemæum, Gorgiam, & Nicanorem Duces à Lysia submissos: ipsum denique Lysiam, cui omnes imperii provincias, ab Ægypto usque in Euphratem commiserat Antiochus. In his Apollonii & Samaritanorum castra spoliaverat, ut dicitur 1 Mach. 3. v. 12. & è Ptolemæi, Nicanoris & Gorgiæ castris diripuerat aurum multum & argentum & hyacinthum & purpuram marinam, & opes magnas; ut dicitur 1 Mach. 4. v. 23. Eò scilicet multi convenerant mercatores benè nummati, captivos è Judæis post victoriam, quæ certa putabatur exercitui Lysiæ, comparaturi, ut dicitur 1 Mach. 3. v. 41. & 2 Mach. 8. v. 10. His demùm spoliis ditatus Judas Machebæus Jerosolymam recuperavit, Dei cultum instauravit, Templum ab Antiocho profanatum repurgavit, & nova vasa in illud intulit, nempe, ut dicit Josephus lib. 12 Antiq. cap. 12. candelabrum, mensam, altare, ex auro conflata. Frontem etiam Templi ornavit coronis aureis & scutulis, ut dicitur 1 Mach. 4. v. 57. Restaurati Templi festum cum populo celebravit per octiduum, toto illo tempore, ut refert Josephus loco mox laudato, μηδὲν ἀπολιπὼν ἡδονῆς εἶδος, ἀλλὰ πολυτελέσι μὲν, καὶ λαμπραῖς ταῖς θυσίαις κατευωχῶν αὐτοὺς, *nullum voluptatis genus omittens, sed sumtuosis & splendidis sacrificiis, tanquam epulis eos excipiens.* Hæc ab eo facta, quem inopia redegerit ab equis ad asinos, quis nisi mente cæcus credat? Proinde ut Rabbi Mosem Sacerdotem refellit Aben-Ezra; sic Aben-Ezram refellit Abarbanel his verbis: *Miror pravam intentionem, quæ intellectum ejus excæcavit: cùm Judas Machabæus Regis nomen*

non

non habuerit toto vitæ ſuæ tempore, multò minùs Regis à Sion denominati, quam cepit Dauid. Porrò, ſi de Machabæis, ſeu de Haſamonæis prophetavit Zacharias, quid ipſi fuit cum Ephraimitis, cùm regnum Ephraim non exiterit ſecundi Templi tempore? præterea Judas Haſamonæus ſeu Machabæus non locutus eſt pacem omnibus Gentibus, neque à mari ad mare dominatus eſt, nec diebus ejus firmatus eſt arcus regni Ephraim. Quin regnum decem tribuum, quod vocatur regnum Ephraim, non reſtitutum eſt hactenus. Omnia denique verba hujus ſectionis ſententiam ejus arguunt ſummi erroris. Hæc Abarbanel, in quibus, ut Zachariæ prophetiam probet nondum impletam, falsò ſupponit Prophetam meminiſſe regni Ephraim reſtituendi, cùm non loquatur niſi de arcu Ephraim, q. d. fore ut cum Juda etiam Ephraim bello Græcos adoriatur; quod verè impletum eſt ſub Machabæis, quibus ducibus, Græcorum jugum excuſſerunt Judæi omnes, in quibus & Ephraim erat; neque enim Iſraëlitas decem tribuum per Ephraim deſignatos abduxit omnes Salmanaſar. Itaque annis ferè centum poſt abductos Iſraëlitas, Joſias eorum reliquias ad reformationem compulit, & ex eo numero multi pecunias alacriter contulerunt ad Templi reſtaurationem, & Paſcha Jeroſolymis celebrarunt cum tribubus Juda & Benjamin 2 Paralip. 34, & 35. Et ſub Eſdra & Nehemia Judæi Babylone reduces obtulerunt in oblationem pro peccato, pro toto Iſraële duodecim hircos & juvencos totidem pro numero tribuum Iſraëlis, Eſd. 6, & 8. Rurſus Act. 26. v. 27. aſſerit Paulus duodecim Judæorum tribus Deo nocte & die perpetuò ſervire.

Non minùs abſurde Zachariæ prophetia dicitur impleta in Zorobabele, quàm in Nehemia aut Juda Machabæo. Zorobabel enim neque re neque nomine Rex fuit. In Scriptura vocatur Mal. 1. v. 8. פחה, ut & Aggæi 1, &c. id eſt, *Dux, Præfectus.* Nempe Babylone Zorobabel Regis-fuerat στρατοφύλαξ, & captivorum Judæorum Dux, ut habetur in Joſepho lib. 11 Antiq. cap. 4. uno verbo Æchmalotarcha. Unde primò à Cyro, deinde à Dario Hyſtaſpis filio in Judæam miſſus eſt, ut provinciam regeret, & Regio nomine & ſumtibus Jeroſolymitanum Templum reſtauraret. Proinde Eſd. 3. v. 2. nominatur poſt Joſue Sacerdotem, quem tamen alibi præcedit, quia Prorex & ſummus Sacerdos apud Judæos erant dignitate pares, aut ſuppares. Fruſtrà autem objicitur Zorobabelem appellari Regem Jerem. 23. v. 5. & Ezec. 37. v. 22, & 24. His enim in locis nullatenus de Zorobabele, ſed de Chriſto, ſeu Meſſia ſermo eſt, ut fatentur ipſi Rabbini ſummo conſenſu, quod videre eſt in Talmude in

Tra-

Tractatu inscripto Bava Bathra cap. 5. fol. 75. & alios tum recentiores, tum veteres Rabbinos, qui hodiéque Judæorum manibus teruntur; adeo ut mirum sit Theodoretum dixisse locum Jeremiæ laudatum à Judæis fulguritis (id est, tam stupidis atque attonitis, quam qui fulmine icti sunt) ad Zorobabelem trahi. Sed optimè hanc sententiam refellit Theodoretus ex eo quòd Jeremias agat de Rege, quod non quadrat in Zorobabelem, qui nunquam fuit Rex, sed Dux populi. Deinde addit Jeremias Regis illius nomen fore יהוה צדקנו, *Dominus justitia nostra*, quod unanimi consensu Synagoga & Ecclesia agnoscit non quadrare nisi in Messiam in Lege & Prophetis promissum. Locum autem ex Ezechiele objectum, non nisi ad Messiam pertinere abundè docet sola lectio. Ibi enim promittitur fore ut Rex unus & Pastor, David nomine, Israëlitis omnibus in æternum imperet, cùm Zorobabel solùm Judæis illis præfuerit, qui è Babylone reduces erant, id est, hominum quatuor vel quinque myriadibus, idque in paucos annos. Proinde hîc etiam de Messia rem esse agnoscunt Hebræi commentatores; imò maximè timent ne Zorobabel pro Rege habeatur: nempe ne promissiones factæ à Prophetis de restituendo regno Davidis posteris videantur in illo completæ, ita ut Rex alius jam non sit expectandus. Vide hanc in rem Chronicon Templi secundi ferè statim initio.

Præterea dato, non concesso, Zorobabelem pro Rege fuisse habitum, de illo non dixerit Zacharias, *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet*; nisi velimus Prophetam ut futuram prædixisse rem præteritam. Jam enim venerat Zorobabel, quo tempore scripsit Zacharias, qui anno Darii quarto hæc se scripsisse profitetur c. 7. v. 1. At Zorobabel, ut dicitur Esd. 1, & 2. Jerosolymam venerat anno primo Cyri Majoris, id est, eo anno, quo Cyrus, captâ Babylone, imperii potestatem ad se transtulit; quod factum fuerat ante annos viginti quinque, ut patet ex Josepho 11 Antiq. 4. & Esd. 4. v. 24. & cùm Babylonem rediisset anno primo Darii, ut novo Regi gratularetur, statim in Judæam remissus est, ut Templi instaurationem sub Cyro cœptam, & sub Cambyse, qui Persis Artaxerxes, interruptam, de novo aggrederetur. Gratis autem dicitur Zachariam futuro uti pro præterito, maximè cùm omnia addita magis in Christum quadrent, quàm in Zorobabelem; dicit enim Propheta: *Ecce Rex tuus venit tibi:* id est, bono & commodo tuo, non suo. Christus Dominus non sibi venit, sed nobis. Hinc Es. 9. v. 5. *Parvulus natus est nobis, filius*

datus

datus est nobis. Et Angelus Pastoribus Luc. 2. v. 11. *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Non ita Zorobabel, qui etiam sibi venerat; tam enim illius intererat, quàm reliquorum è populo, ut Templum instauraretur. Jam quòd Rex idem dicitur *justus & Salvator*, propriè Christo convenit, cùm de justitia Zorobabelis Scriptura nihil quidquam referat memorabile; Christum verò appellet Jer. 23. v. 6. *Dominus justus noster*, & secundum veritatem Hebraicam, *Dominus justitia nostra*, & Angelus testetur Mat. 1. v. 21. Christum vocatum esse Jesum, quod salvaturus esset populum suum à peccatis eorum. Præterea potiori jure Christus dicitur *Pauper*, quàm Zorobabel, qui primò Cyri, deinde Darii opibus subnixus, Templum Jerosolymitanum extruxit magnis sumtibus. At Christus tam fuit pauper, ut è mulierc ularum eleemosynis ægrè se sustentaverit, Luc. 8. v. 3. neque locum habuerit, Mat. 8. v. 20. ubi reclinaret caput. Et virtutes Christo tam propriæ fuerunt mansuetudo & humilitas, ut eas à se, id est, exemplo suo, potissimùm nos velit Mat. 11. v. 24. edoceri, ad hunc ipsum, ut videtur, Zachariæ locum alludens. Quid in Zorobabele simile occurrat non video.

Denique quomodo de Zorobabele potest intelligi, quod Zacharias dicit Regem illum, de quo loquitur, asino vectum venturum Jerosolymam? Quandonam id fecit Zorobabel? Nec dicas his Zachariæ verbis significari Zorobabelis modestiam & pacis studium; Sic enim & Salomon cum toto equitatu suo potuerit dici asino fuisse vectum, quia Rex nullus fuit pacis studiosior. Quomodo potuerit intelligi de Zorobabele, quod Zacharias, ut significet pacem spiritualem futuram in Ecclesia sub regno Christi, phrasi Prophetis familiari ait: *Et disperdam quadrigam ex Ephraim*, &c. Quomodo de Zorobabele potest intelligi, quod de eodem Rege in eumdem sensum dicit Zacharias, *Loquetur pacem gentibus*, &c. Neque hæc Zachariæ verba ad Jerusalem referri possunt, quasi illa civitas dicatur loqui pacem Gentibus eodem sensu, quo Mardochæus dicitur in libro Esther c. 10. secundum veritatem Hebraicam, *loquens pacem omni semini suo*; quia civitas Jerusalem sub Machabæis contraxit fœdus cum Lacedæmoniis & Romanis. Nam verbum, *loquetur*, Hebraicè est masculini generis, & proinde necessariò ad Regem refertur, de quo egerat Propheta, non verò ad Jerusalem, cujus nomen Hebræis est fœmininum; similiter & pronomen, *ejus*, in sequenti phrasi, *& potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ*, est affixum masculinum in textu Hebræo.

7. *Impo-*

7. *Imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Sunt qui hîc agnoscant numeri Enallagen Scripturis perquàm familiarem, quâ pluribus indefinitè tribuitur, quod illorum uni convenit: ut Gen. 8. v. 4. dicitur arca Noë requievisse super montes Armeniæ, Hebraicè, *Ararat*, id est, super unum montium Armeniæ, seu *Ararat*. Gen. 23. v. 6. *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*, id est, in uno sepulchrorum nostrorum, quodcunque eligere visum fuerit, sepeli mortuum tuum. Matth. 26. v. 8. *Videntes discipuli indignati sunt*, id est, discipulorum unus, Judas scilicet Iscariotes. Et. 27. v. 44. *Id ipsum ei exprobabant latrones*, id est, latronum unus, ut patet ex aliis Evangelistis. Theophylactus tamen nullam hîc agnoscens Enallagen ait: *Sedit autem super illis, non super duobus jumentis, sed super palliis: aut primùm quidem asinæ, deindè etiam pullo insedit.* Syrus interpres ait discipulos adduxisse ad Jesum asinam & pullum, & posuisse super pullum vestes suas, & super eum equitasse Jesum.

8. *Cædebant ramos.* Sic in Apophtegmatis PP. legitur quòd Macario ex Paneremo, quem solus inhabitabat, ad inferiorem eremum pergenti *Fratres sumentes ramos palmarum obviàm processerunt.* λαβόντες βαΐα ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν αὐτῷ. Sic honoris causâ obviàm B. Fulgentio Ruspensi Episcopo testatur ipsius vitæ autor cap. 29. his verbis; *Per omnes prolixi itineris vias gaudia majora reperiens, in occursum suum populis tendentibus, cum lucernis & lampadibus, & arborum frondibus.* Idem factum Eboni Rhemorum Antistiti ad tertium tomum conciliorum Galliæ observat Sirmondus ex narratione clericorum Rhemensium, verba sunt: *Receptus est ab Episcopis suffraganeis suis, Rothaldo Episcopo, Simeone Episcopo, Lupo Episcopo, unà cum legatis omnium aliorum Episcoporum Remensis Diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentiâ occurrere non valentes, suam tamen per Ecclesiasticos legatos & excusatorias literas illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam à Canonicis & Monachis, atque corregionalibus Presbyteris totius Diœcesis, atque infinitâ multitudine utriusque sexûs. Qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudésque Deo intimis cordibus & excelsissimis vocibus proclamantes, longè ei ab Ecclesia obviaverunt, & usque ad Ecclesiam indesinenter psallentes deduxerunt.* Vide commentarium nostrum in Marc. 11. v. 8.

9. *Turbæ autem*, &c. Verisimile est Joannem c. 12. v. 13. per anticipationem eas ipsas acclamationes narrare, quas Matthæus hîc & Luc. 19. v. 37. Fieri tamen potest ut diversæ sint,

fint, quod colligi poſſe videtur, ex eo quòd Joannes dicit turbas, audito quòd Jeſus Jeroſolymam veniret, & antequam pullo inſideret, obviàm ei proceſſiſſe & acclamaſſe. Similiter videtur de aliis turbis loqui Lucas loco citato, quàm ceteri tres Evangeliſtæ; videtur enim Lucas loqui de iis, qui miraculis excitati è Galilæa Chriſtum ſequebantur.

Hoſanna Filio David. Author eſt Elias Levita in opere (quod inſcripſit חשבי) *Hoſanna* compendio ſermonis dici ſolitum in acclamationibus pro הושיעה נא, *ſalva obſecro.* Ad perficiendum igitur ſenſum, ſubintelligenda ſunt, quæ hìc, ut in omnium fere linguarum acclamationibus & ſtatuarum inſcriptionibus relinquuntur audientibus & legentibus ſupplenda; adeo ut hæc locutio *Hoſanna Filio David* ſic accipienda ſit, q. d. Salva quæſo, ô Deus, Filium David; nam verbum Hebraicum unde derivatur *Hoſanna*, ſæpe conſtruitur cum tertio caſu, ut videre eſt Pſal. 85. Heb. 86. v. 16. Poteſt etiam dictio *Hoſanna* aliter accipi, quoniam (ut veriſſimè obſervavit doctiſſimus vir Angelus Caninius) in ſcriptis Rabbinorum fit nomen ex hac dictione תקיעה, cujus plurale extat in Ritualibus eorum, cùm dicunt *Hoſchannoth Leſucoth*, id eſt, *formulæ Hymnorum uſitatæ in celebrando feſto tabernaculorum*, cujus ſinguli ſeptem dies habent ſibi proprias, quæ dicuntur הושענא *Hoſchana*, ſeu *Hoſanna* primæ diei, *Hoſanna* ſecundæ diei, *Hoſanna* tertiæ diei, & ſic deinceps. Sic autem & nominantur frondes arborum, putà palmæ, oleæ, aut ſalicis, quas tenere manibus per illos dies ſolent Judæi, dum ſubinde repetitur ab eis ea formula, *Hoſchiah Na*, & ſimiles quidem verſus intercalares, in quibus id vocabulum ineſt. Poſſumus igitur in præſenti locutione *Hoſanna Filio David*, eam vocem ſic interpretari, ut idem ſit ac βαΐα, quod nomen in hac hiſtoria Joannes uſurpavit. Tum autem ſupplendo locutionem imperfectam, *Hoſanna Filio David* interpretabimur, q. d. Hæc βαΐα, ſive hos termites palmæ, oleæve aut ſalicis, aliarúmve arborum in honorem Filii David geſtamus & vibramus. Erat moris apud veteres, ut quorumdam feſtorum pompas deducentes, olivæ termites geſtarent, qui propterea Σαλλοφόροι dicebantur, quorum etiam meminit Chryſoſtomus Ser[illegible] in Annam. Aliquando è plurium arborum frondibus & fructibus concinnabatur quaſi faſciculus levis quem geſtabant, ut fuit illa, quæ dicebatur Athenienſibus Εἰρεσιώνη, quomodo & Joſephus lib. 3 Antiq. c. 10. vocat Judæorum faſciculum (quem hodiéque Judæi in feſto tabernaculorum geſtare & quatere ſolent in honorem Dei, & *Hoſchana* ſeu *Hoſanna* vocant) ubi ejus conficiendi è myr-

myrtho, salice, spadice palmæ, & persea rationem exponit. Videtur autem B. Epiphanius Sermone in die Palmarum habito alludere ad concinnationem hujus fasciculi Judaici, sicut ad concussionem harum frondium; has enim frondes & veteres in ducenda pompa quatiebant in honorem ejus, cui pompa ducebatur, ut Judæi solent in honorem Dei; ad quem morem alludit etiam Chrysostomus Hom. in magnam Septimanam.

Hosanna in altissimis. Marc. 11. v. 10. *in excelsis*, supple, audiatur, ut sit quasi ardens populi exhortatio ad exclamandum magnis vocibus, *Hosanna* Messiæ suo. Præsenti historiæ non absimile est quod in Antonini Augusti itinerario Jerosolymitano legitur; *Venerunt mulieres in occursum nobis cum infantibus, palmas in manibus tenentes, & ampullas cum rosaceo oleo: & prostratæ pedibus nostris, plantas nostras ungebant, cantabántque linguâ Ægyptiacâ psallentes Antiphonam; Benedicti vos à Domino, benedictúsque adventus vester, Osanna in excelsis.* Porrò tam ardenti populi voto commota est Pharisæorum invidia adversus Christum, & quidam ex iis Christum interrogavere, cur non increparet acclamantes, quibus ipse ait, quòd *si hi tacuerint, lapides clamabunt*, ut Lucas refert c. 19. v. 40. Ut verò Christus proximè ad mœnia Jerusalem accessit, videns civitatem flevit super illam, & 20 prædixit ejus eversionem, ut ibidem narratur à Luca.

10. *Universa civitas.* Id est, cives Jerosolymitani.

11. *Populi.* Scilicet, simplices & candidi.

Hic est Jesus Propheta. Quem nimirum Moses similem sui dixerat esse venturum & qui propriè apud Græcos scribitur cum τοῦ ἄρθρου μαρτυρίᾳ, id est, cum articuli testimonio. Hier.

12. *Intravit.* Scilicet, hac eâdem die, ut patet ex v. 15. mox sequenti; unde Marcus, qui cap. 11. ad diem sequentem videtur referre hanc secundam vendentium & ementium è Templo ejectionem, usus est recapitulatione ejus, quod pridiè acciderat, ut ait Aug. lib. 2. de Cons. Evang. cap. 68.

Ejiciebat, &c. Ne victimæ deessent, in prima Templi parte, quæ Heb. פרבר dicitur, 1 Paralip. 26. v. 18. vendebantur oves & boves & columbæ. Unde à Majemonide in Tractatu de vasis Sanctuarii cap. 7. num. 9. inter Templi præfectos, quos Hebræi vocabant ממוני המקדש, Vulgat. Luc. 22. v. 52. *magistratus Templi* recensetur *præfectus super nidos*, id est, super aves, *cum quo paciscuntur, ut ad oblationes aves comparet, has vel istas pro siclo. Et quisquis tenebatur vel turtures offerre, vel pullos columbarum, pretium ad*

Sanctu-

Sanctuarium afferebat. Et iſte præfectus dabat aves iis, quorum erat offerre, & cum quæſtoribus eas æſtimabat, & poſtquam de pretio convenerat, eas intra triduum dabant..... Et ſiqua avis profana erat, aut profana fiebat (per pollutionem ceremonialem) *antequam offerretur, aliam pro ea dabat.* Hæc Rabbi Moſes Majemonides, quæ ad quæſtum à lucripetis & avaris Sacerdotibus fuiſſe excogitata, luculenter in præſentem Evangelii locum docet Hier. his verbis: *Juxta mandata Legis, auguſtiſſimo in toto orbe Templo Domini, & de cunctis penè regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus: accidebat plerumque, ut, qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitaverunt igitur Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant, ut & venderent non habentibus, & ipſi rurſum emta ſuſciperent. Hanc ſtrophan eorum crebra venientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumtibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne unde emerent quidem aves & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat Lege præceptum ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet: excogitaverunt & aliam technam, ut pro nummulariis collybiſtas facerent: cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula, verbi gratiâ, frixi ciceris, uvarumque paſſarum, & poma diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coëmuntur: quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicaverit, dicens: Uſuram & ſuperabundantiam non accipietis. Iſtius modi Dominus cernens in domo Patris negotiationem, ſeu latrocinium, ardore Spiritûs concitatus, juxta quod ſcriptum eſt in ſexageſimo octavo Pſalmo: Zelus domûs tuæ comedit me: fecit ſibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem ejecit de Templo, dicens: Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Latro enim eſt, & Templum Dei in latronum convertit ſpecum, qui lucra de religione ſectatur, cultúſque ejus non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt.* Jungit autem hîc Chriſtus, ut & alibi paſſim, duorum Prophetarum ſententias, quaſi unius & ejuſdem eſſent; prima enim ſententia eſt Eſa. 56. v. 7. ſecunda verò eſt Jerem. 7. v. 11.

15. *Viden-*

15. *Videntes autem*, &c. *Plerique arbitrantur maximum esse signorum quòd Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita sit Patris, quòd transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo & illo tempore contemtibilis, & in tantum vilis, ut posteà crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majestas lucebat in facie. Cúmque manum non audeant injicere Sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant Hosanna Filio David, vertunt in calumniam, quòd videlicet hoc non dicatur nisi Filio Dei.* B. Hier.

16. *Nunquam legistis*, &c. Q. d. Jam olim per os David Spiritus-Sanctus prophetavit Deum ex ore puerorum esse expressurum laudes, quas adulti ingrati canere deberent, & non canunt.

Perfecisti laudem. Heb. Aquila & VI. Editio, *fundasti robur*, hoc est, veram ac solidam laudem.

18. *Mane.* Sc. diei sequentis, ut patet ex Marc. 11. v. 12.

Revertens in civitatem. Nempe, Jerusalem ex Bethania, ut patet ex v. 17. hîc mox præcedenti, & Marc. 11. v. 12.

19. *Nunquam fructus ex te nascetur.* D. Th. 3. p. q. 44. ar. 4. ad 2. ait quòd *sicut Chrys. dicit super Mat. Hom. 69. cùm in plantis vel in brutis aliquid tale Dominus operatur, non quæras qualiter justè siccata est ficus, si tempus non erat? Hæc enim quærere est ultimæ dementiæ, quia scilicet in talibus non invenitur culpa & pœna: sed miraculum inspice & admirare miraculi factorem. Nec facit creator injuriam possidenti, si creatura suâ suo arbitrio utatur ad aliorum salutem, sed magis ut Hilar. dicit super Matth. can. 21. In hoc bonitatis Dominicæ argumentum reperimus; nam ubi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit: ubi verò in contumaces formam severitatis constituebat futuræ speciem, damno arboris indicavit.*

20. *Mirati sunt.* Quòd nimirum tam citò non obstante humiditate naturali, quam, ut advertit Chrysost. præ ceteris plantis maximam habet ficulnea, exsiccata sit & usque ad radices arefacta.

Dicentes, &c. Hæc non dicta sunt à discipulis eâdem horâ, quâ ficulnea est arefacta, sed dicta sunt à Petro postridiè, ut patet ex Marc. 11. v. 21.

25. Bap-

25. *Baptiſmus Joannis.* Baptiſmus non dicitur Joannis, quaſi Joannem habuerit autorem, ſed quia juſſus à Deo primus promulgavit & adminiſtravit baptiſmum in remiſſionem peccatorum, cùm Apoſtoli adminiſtrarint baptiſmum à Chriſto promulgatum, cui baptiſmus à Joanne promulgatus cedebat ſpiritualium donorum copiâ atque ubertate, quam ab Apoſtolis baptizati conſequebantur.

32. *In viâ juſtitiæ.* Supple, incedens.

33. *Aliam parabolam audite.* Hanc parabolam non ad eos ſolos dictam, qui Chriſtum interrogaverant, *In qua poteſtate hæc facis?* ſed etiam ad plebem, patet ex collatione Matthæi cum Luca eandem parabolam referente c. 20. ut obſervavit Aug. lib. 2. de Conſ. Evang. c. 70.

Plantavit vineam. Plantata eſt vinea, Lege datâ in cordibus Judæorum, Miſſi ſunt Prophetæ, quærentes fructum, bonam vitam eorum. Prophetæ ab eis contumeliis affecti & occiſi ſunt. Miſſus eſt Chriſtus unicus Filius Patris familias, & ipſum occiderunt heredem, & ideo perdiderunt hereditatem. In contrarium eis vertit malum conſilium. Ut poſſiderent occiderunt, & quia occiderunt perdiderunt. Aug. Serm. 59. de verbis Domini.

Fodit in ea torcular. Id eſt, lacum recipiendo vino è torcularí, in quo exprimitur, defluenti.

Peregrè profectus eſt. Non quia ex loco ad locum profectus eſt Dominus, qui ubique ſemper præſens eſt: ſed quia eſt præſentior diligentibus, negligentibus abeſt. Multis temporibus abfuit, Luc. 20. v. 9. ne præpropera videretur exactio. Nam quò indulgentior liberalitas, eò inexcuſabilior pervicacia. B. Ambr. lib. 9. in Luc. c. 20.

35. *Lapidaverunt.* In textu Græco. Marc. 12. v. 3. *lapidantes in capite vulneraverunt.*

38. *Habebimus.* Græcè, *occupemus.*

41. *Aiunt illi.* Sc. quidam de plebe Chriſto. Horum reſponſionem cùm Chriſtus confirmaſſet, Sacerdotes intelligentes ad ſe dirigi parabolam, dixerunt, ut habetur Luc. 20. v. 16. *Abſit.* Sc. ut nos heredi necem paremus & conſequenter malè perdamur.

Vineam ſuam locabit aliis agricolis. Non ait, Eradicabit, aliendmque plantabit, ſed eandem ipſam locabit aliis agricolis. Eadem namque eſt ſanctorum ſocietate civitas Dei, & congregatio filiorum promiſſionis, mortalium deceſſione atque ſucceſſione commenda, atque in fine ſeculi ſimul in omnibus immortalitatem recepturа. Neque enim quia fracti ſunt infideles & ſuperbi, ac per hoc infructuoſi rami, ut inſereretur oleaſter Gentium, ideò perire potuit radix Patriarcharum & Prophetarum. Aug. in Orat. adverſus Judæos c. 6.

42. *Lapidem*, &c. Sumta est metaphora ab ædificantibus, qui ædificio extruendo lapides aptos quærunt, & eos ineptos arbitrantur rejiciunt; quibus fortè contigit, ut lapis primò rejectus, postea aptus inveniretur, qui collocaretur in angulo fundamenti. Igitur lapis ab ædificantibus rejectus & deinde factus anguli caput, seu ut Hebræi loquuntur, *in caput anguli*, Christus est, quem ædificantes, seu architecti, id est, Sacerdotes & Scribæ populi Judaici, quorum erat docere & gubernare populum, reprobaverunt dicentes Sap. 2. *Quoniam inutilis est nobis:* & adeo reprobaverunt, ut non solùm Regem eum habere nollent, dicentes Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* Joan. 19. *Non habemus Regem, nisi Cæsarem:* verùm etiam crucifigendum procurarent; idem tamen Christus, repentinâ factâ conversione, non modò receptus est in partem ædificii spiritualis, quod est Ecclesia, sed mirabili Dei consilio & dispositione (nam ut in Psalmo hic laudato sequitur: *à Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris*) etiam factus est lapis angularis, id est, totius Ecclesiæ unicum illud fundamentum, quod per se habet solidítatem, duos Ecclesiæ parietes, Judaicum scilicet populum & Gentilem in se ipso firmissimâ junctúrâ connectens; & quia lapis angularis, ideò Rex est Christus, siquidem phrasi Hebraicâ Principes ac Primores in populis vocantur anguli populorum, quasi fundamenta eorum & sustentacula præcipua, ut videre est Judic. 20. v. 2. 1 Sam. seu Reg. 14. Esa. 19. Sophon. 1, & 3. Hinc ipse Christus ait de se Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

43. *Auferetur à vobis regnum Dei*, &c. Q. d. Quia impleturi estis, quod in parabola de herede vineæ occidendo attuli, fiet ut ampliùs Deus in vobis non sit regnaturus, sed per gratuitam gratiam regnum hactenus à vobis possessum dabitur Gentibus edituris fructus Spiritûs, queis se comprobent regni cœlestis cives. Itaque prædicit hîc Christus reprobationem Judæorum cum ablatione veri cultûs Dei, & Gentes occasione reprobationis eorum ad fidem & regnum Dei esse vocandas, ut clarè docet Paulus Act. 13. v. 46. & latiùs in Epist. ad Rom. c. 11. v. 25, & 26.

44. *Qui ceciderit*, &c. *De his dicit Christus quòd cadat super lapidem, qui illum modò contemnunt, vel injuriis afficiunt, ideò nondum penitùs intereunt, sed tamen confringuntur, ut non recti ambulent. Super quos autem cadit, veniet illis desuper in judicio cum pœna perditionis, ideo dixit, Cónteret eos, ut sint impii tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Aug. q. Evang. lib. 1. q. 30.

CAPUT

CAPUT XXII.

1. *Simile factum est*, &c. Id est, simile quid accidit in colligenda ex hominibus Ecclesia, in qua Deus regnum suum inchoat, ut postea compleat, ac si Rex quispiam faceret nuptias filio suo. *Sed quarendum est an hæc apud Matthæum ipsa sit lectio, quæ apud Lucam appellatione cœnæ describitur? Et quidem sunt nonnulla quæ sibi dissona esse videntur, quia hîc prandium, illic cœna memoratur, hîc qui ad nuptias non dignis vestibus intravit, repulsus est: illic nullus qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Qua ex re rectè colligitur quod & hîc per nuptias præsens Ecclesia, & illic per cœnam æternum & ultimum convivium designatur: quia & hanc nonnulli exituri intrant, & ad illud quisquis semel intraverit, ulteriùs non exibit. At, siquis fortè contendat hanc eandem esse lectionem, ego melius puto, salvâ fide alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deservire: quoniam & intelligi congruè forsitan potest, quia de projecto eo, qui cum nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quod verò per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam vel hoc nostræ intelligentiæ obsistit: quia cùm ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium cœna vocabatur.* Greg. Hom. 38. in Evang.

Fecit nuptias filio suo. Tunc Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante secula fieri voluit hominem in fine seculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei & hominis, redemtoris nostri Jesu Christi, ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus. Apertiùs ergo atque securiùs dici potest, quia in hoc Pater Regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit. Unde & Psalmista dicit: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tanquam sponsus, quippe de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit. Greg. ibidem.

3. *Misit servos suos.* Nempe, Prophetas.

4. *Misit alios servos.* Scilicet, Apostolos. *Bis itaque servos ad invitandum misit, quia incarnationem unigeniti & per Prophetas dixit futuram, & per Apostolos nunciavit factam.* Greg. loco mox citato.

Tauri mei & altilia. Id est, tauri mei altiles per figuram ἐν διὰ δυοῖν; unde Arabs habet: *Vituli mei saginati occisi sunt.*

5. *Abierunt, alius in villam suam,* &c. *In villam ire, est labori terreno immoderatè incumbere. In negotiationem verò ire, est actionum secularium lucris inhiare.* Greg. ibidem.

6. *Reliqui verò.* Scilicet, longè magis impii & ingrati humanissimæ invitationi ad prandium jam paratum, vocantis gratiam non solùm respuunt, sed etiam persequuntur.

7. *Missis exercitibus suis.* Romanos intelligit sub Tito & Vespasiano.

Perdidit homicidas illos. Gladio, fame, & peste usqueadeò, ut Josephus lib. 7. De bello Judaico c. 17. testetur periisse solâ ultimâ Jerosolymæ obsidione undecies centena millia præter innumeras clades, quibus & antè & postea alibi affecti sunt Judæi, qui ad felicitatem prandii cœlitùs parati venire neglexerunt. Quamvis autem textus hoc factum dicat propter cæsos servos Regis, non negat tamen præclpuam fuisse causam illius occisionem, quî acceptâ formâ servi non destitit esse æqualis Patri.

Civitatem illorum succendit. Hoc ad literam contigisse testatur Josephus loco citato.

8. *Tunc.* Cùm scilicet pervicaciter Judæi ad nuptias venire detrectarent.

Non fuerunt digni. Plus significat quam dicit; id est, indignos se præstiterunt per suam pervicaciam, ingratam negligentiam, & impium contemtum. Hinc ergo, ut ait Apostolus ad Rom. c. 11. v. 11. Judæorum delicto salus facta est Gentibus, quia cùm se judicassent indignos æternâ vitâ, & nuptiis istis, prædicatores ad Gentes conversi sunt, Act. 13. v. 46. ut qui nunquam invitati fuerant, in Christum credendo ad nuptias venirent, hoc est enim quod Christus dicit, *Ite ergò ad exitus viarum,* &c. Exitus autem viarum dicuntur compita, in quæ plures vici exeunt, id est, desinunt.

9. *Quoscunque inveneritis.* Nemine cujusquam conditionis quantumvis barbaro excluso.

10. *Omnes.* Id est, ex omni hominum genere, seu ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & sexu, & professione.

Malos & bonos. Non qui se malos perseveraturos profiterentur, sed malos, sive qui laterent, dum ingrediendo probitatem simularent: bonos autem qui seculo uti verbis, ita et factis renuntiabant.

Impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Id est, locus nuptialis impletus est discumbentibus.

11. *Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Quid exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptismæ vel fidem dicimus, quis sine baptismate & fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, quo necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assistens fidem* (mortuam) *habet, sed charitatem non habet. Rectè enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad associandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. Solâ quippe dilectione Dei actum est, ut ejus unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde & Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum ut Filium suum unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit* (i. notum fecit) *vestem esse nuptialem.* Greg. loco suprà citato.

12. *Amice. Amicum vocat, quia ad nuptias amico animo invitatus fuerat,* inquit Hier. & ut zelo justitiæ, non autem odio se increpari intelligat.

Quomodo. Id est, quâ fronte.

Obmutuit. Quia quod dici sine gemitu non potest, in illa districtione ultimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intùs animum accusat. Greg. ibidem.

13. *Ligatis manibus. Ligantur tunc pedes & manus per districtionem sententiæ, qui modò à pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligavit culpa. Pedes enim qui visitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur invitè. Benè autem dicitur quòd in exteriores tenebras projiciatur. Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores verò tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque, non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic invitus projicitur in noctem damnationis, qui hîc sponte cecidit in cæcitatem cordis. Ubi fletus*

quoque & stridor dentium esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hîc de edacitate gaudebant, illic oculi defleant, qui hîc per illicitas concupiscentias versabantur in mundo: quatenus singula quaque membra supplicio subjaceant, quæ hîc singulis quibusque vitiis subjecta serviebant. Greg. ibidem.

14. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Præclarè Aug. in Ep. 157. ad Optatum. *Tam multos creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut multitudine incomparabili plures sint illis, quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est, ut etiam ipsâ rejectorum multitudine ostenderetur, quàm nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet numerositas justissimè damnatorum.*

15. *Tunc.* Cùm scilicet irritati essent Pharisæi tot parabolis.

16. *Cum Herodianis.* Id est, ut Syrus vertit, *cum iis qui erant de domo Herodis*, vel ut ait Hieronymus hîc, *cum militibus Herodis, seu quos illudentes Pharisæi, quia Romanis tributa solvebant, Herodianos vocabant, & non divino cultui deditos. Quidam Latinorum ridiculè Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant: quod nusquam omninò legimus.* Hic tamen error Herodianis tribuitur ab ipso Hieronymo in dialogo adversus Luciferianos. Alii aiunt Herodianos fuisse corycæos, qui quid à singulis diceretur sedulò expiscarentur, ut illud ad Herodem deferrent. Ab Herodianis Herodem habitum fuisse pro Christo, ait B. Epiphanius Hær. 7. Judaismi, Tertullianus lib. de præscript. adversus hæreticos c. 45. S. Philastrius Hæresi ultimâ earum quæ ante Christum.

Verax. Id est, veritatis amans.

In veritate. Id est, sincerè & absque fuco.

Non enim respicis personam hominum. Q. d. Solius causæ merita intueris, nihil curans quascunque extraneas personarum conditiones ad causam non pertinentes, putà divitias, honores, potentiam, & cetera hujusmodi. Hunc eundem sensum Marcus c. 12. v. 14. & Lucas c. 20. v. 21. expressere licèt aliis verbis.

17. *Licet.* Nempe, sine offensa Dei.

Censum. Id est, tributum, ut explicant Marcus & Lucas. Cùm enim census propriè diceretur descriptio agrorum & reliquarum fortunarum, ex quibus tributi pro sua virili cuique præstandi ratio constabat, obtinuit in provinciis, ut ipsum tributum appellaretur census, quæ vox in ipso Evangelio Græco Matthæi ter, & Marci semel legitur, etsi Latina dictio sit; tamen census specialiter dicebatur num-

nummus solvendæ capitationi apud Hesychium. Pensitatio ista censûs per capitationem, quæ cœpit post Cæsarem Augustum in Judæa, ut ait Hieronymus in Matth. 17. professio erat apertissima & Judææ ad formulam provinciæ redactæ, & summi imperii, quo Cæsar potiebatur in Judæos, ex quo Archelaus Regis Herodis filius in exilium pulsus est, & bona ejus fisco sunt adjudicata.

Cæsari. Scipionem Africanum priorem, primum Cæsarem vocatum tradidere, quòd excisus utero matris fuerit. Sed hoc falsum est. Nam ante bellum Samniticum Claudius quidam Cæsar extitit. Falsa etiam nominis ratio. Nec enim Cæsar à cæso utero dictus; id de Cæsone potiùs verum esset. Sed ut ait Festus: *Cæsar quod est cognomen Juliorum à cæsarie dictus est, quia scilicet cum cæsarie natus est.* Ab occiso Elephanto, qui Cæsar Maurorum linguâ appellatur, tanquam aciei perruptor [*cassara* enim Arabibus est perrumpere] deducere, nimis longè petitum est.

19. *Ostendite mihi numisma censûs.* Cùm vario & multiplici genere nummorum Judæi tum uterentur, propriorum scilicet gentis suæ, vicinarum regionum & Romanorum, nullum est dubium quin tributum, quod Cæsari pendebatur, in pecunia Romana exigeretur, non Judaica aut quavis alia; Dominus igitur numisma censûs appellat peculiare monetæ genus, quod ad censûs solutionem cuderetur.

Obtulerunt ei denarium. Scilicet in exemplum pecuniæ Romanæ; neque enim denarius fuit peculiare aliquod monetæ genus ad tributi solutionem cusæ, verùm omnes denarii erant pecunia Romana; & tam denarii, quàm alii nummi Romani dici poterant numisma censûs.

21. *Quæ sunt Dei, Deo. Hoc est dicere, ô homo, sicut imaginem suam Cæsari reddis in nummo, sic redde Deo imaginem suam in te ipso. Redde, homo, creatori tuo imaginem suam; redde justam, non iniquam, redde humilem, non superbam; non avaritiâ turpem, non rapacitate deformem, non vitio iracundiæ levem, non terrenâ dilectione contritam, non livore sordidam, non fornicatione pollutam; sed prudentiæ pondere integram, fidei veritate mundam, & bonis moribus atque operibus splendidam.* B. Fulg. Serm. de verbis Michææ, *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum*, &c.

22. *Mirati sunt.* Scilicet dexteritatem Christi, quâ tam cautè respondit difficillimæ quæstioni, ut nihil reperiri posset, quo vel Cæsar, vel populus offenderetur.

29. *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Id est, erratis negando resurrectionem, quia Scripturas non intel-

ligitis, neque omnipotentiam Dei. Quibus autem Scripturæ indicabant resurrectionem mortuorum, iis etiam fuit nota vita æterna; quia vel ad vitam æternam, vel ad opprobrium æternum est resurrectio, ut patet ex Dan. 12. v. 2.

30. *In resurrectione.* Id est, ut explicant Marcus & Lucas, cùm à mortuis resurrexerint.

Neque nubent. Id est, non ducent uxores. *Veræ ergo carnis resurrectio, attamen sine carnis operibus erit.* B. Ambr. in Symb. c. 24.

Neque nubentur. Id est, mulieres non ducentur. Rarum est autem apud Latinos verbum, *nubo*, de viris usurpatum, licèt aliquando occurrat. Propriè autem uxori nubere dicitur, qui illi servit & ab ea quasi regitur. Hinc illud Martialis lib. 8. Epig. 10. ad Priscum,

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fiunt fœmina, virque pares.

Sicut Angeli Dei in cælo. Id est, erunt sicut Angeli cœlestes, seu æquales Angelis beatis, immortalitate atque felicitate. *Similitudo Angelica nobis promittitur, non carnis substantia negatur. Rectum ergò & catholicum est utrumque sexum in carnis resurrectione, sine sexûs operibus resurrecturum confiteri: cùm adhuc in hac vita positi nitamur cum Dei adjutorio, opera carnis, quæ contra spiritum concupiscit, non adimplere, probante hoc Apostolo ac dicente: Vos in carne non estis, sed in spiritu: & iterum, Ergo fratres non sumus debitores carni, ut secundum carnem vivamus; negando verò eos in carne, quos in carne esse constabat; non carnis substantiam, sed peccata, id est, opera carnis damnavit; & iterum, Ut absorbeatur id quod mortale est à vita: quia licèt exterior homo noster corrumpatur, interior tamen de die in diem renovatur, quod quidem non solùm in regno cælorum & in baptismate, sed etiam in pœnitentibus quotidiè fieri conspicimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritualem. Ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta membrorum, nec capillus crescet aut unguis, sed omnes in virum perfectum, qui Christus est, & in mensuram ætatis plenitudinis ejus resurgemus; nec mirum, nam si patribus in eremo constitutis per quadraginta annos, non capilli, non ungues creverunt, aut calceamenta attrita sunt: in regno cælorum ubi aufugiet dolor, & gemitus & tristitia, hujusmodi*

modi quærantur? Hoc quàm impium sit, fidelis quisque intelligit. Hæc Ambr. Tract. in Symbol. c. 24.

32. *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Addit Lucas cap. 20. v. 38. *Omnes enim vivunt ei*, scilicet Deo, qui brevi eos excitaturus est à morte. Non probat Christus resurrectionem mortuorum, spem Christianorum, expressis Scripturæ verbis, sed argumentationem & consequentiam adhibet; idem contra hæreticos adhuc faciendum sæpissimè, dum evidentes S. Scripturæ phrases in alienum sensum detortas eripere nobis conantur: genuinus sensus collatione & argumentatione tunc eruendus atque astruendus est. Sapienter autem Christus ex dictis Mosis infert resurrectionem contra Saducæos, qui per Mosem conabantur dogma de Resurrectione destruere. Vis autem Dominicæ argumentationis in hoc consistit, quòd Abraham, Isaac, & Jacob non sunt nomina animarum, sed personarum seu suppositorum corpore & animâ constantium, ut observant Irenæus Chrysost. Theophylac. & Euthym. & viventes, cùm de hominibus sermo est, dicuntur qui corpore & animâ unitis vivunt. Itaque cùm dicatur Deus Abraham, Isaac, & Jacob, & Deus dicatur tantùm viventium, necesse est Abraham, Isaac, & Jacob vivere Deo, cui futura hominum resurrectio præsens est.

37. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *Dilectio est actus voluntatis, quæ hîc significatur per cor: nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum; ita etiam voluntas (& maximè quantùm ad intentionem finis ultimi, quia est objectum charitatis) est principium omnium spiritualium motuum. Tria autem sunt principia actuum quæ moventur à voluntate*; scilicet *intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ significatur per animam*; & *vis executiva exterior, quæ significatur per fortitudinem, seu virtutem, sive vires. Præcipitur ergo nobis ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde*; & *quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente*; & *quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima*; & *quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine vel virtute, vel totis viribus Deum diligere. Auct. oper. imperf. Hom. 42. in Matth. Ex toto, inquit, corde ut cor tuum ad alterius dilectionem non magis inclinatum sit; in tota anima ut intellectus firmus in fide, nil boni alibi quærat quàm in Deo; in tota mente ut sensus omnes Deo vacent. Aug. 1. de Doctrina Christiana c. 22. refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, mentem ad intellectum. Quidam etiam dicunt, ex toto corde, id est, intellectu; animâ, id est, voluntate; mente, id est,*

est, memoriâ. Vel secundum Greg. Nyss. lib. de hominis opificio c. 8. per cor significat animam vegetabilem; per animam, sensitivam; mentem, intellectivam; quia hoc quod nutrimur, sentimus & intelligimus, debemus ad Deum referre. D. Th. 22. q. 44. art. 5.

39. *Secundum autem simile est huic.* Officio, quia similiter dilectionem præcipit; amplitudine, quia universa secundæ tabulæ præcepta continet, sicut maximum & primum mandatum.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Id est, sicut teipsum amare debes, quia justus es, aut ut justus sis, ita & proximum, id est, quosvis homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debes; & sicut teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, ita & proximum ut rectè diligas, hoc cum eo debes agere, ut etiam ipse toto corde diligat Deum, sicque ipsum propter Deum diliges. Vide Aug. 1. de Doctrina Christiana cap. 22. & 8. de Trinit. cap. 6. Appositè etiam in hanc rem Divus Bernardus Sermone 50. in Cantic. *Qui te non diligis nisi quia diligis Deum, consequenter omnes qui similiter diligunt eum, diligis tanquam teipsum. Porro inimicum hominem, quoniam nihili est, pro eo quod non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis: diliges tamen ut diligat. Non est autem idipsum diligere ut diligat, & diligere quia diligit. Proinde ut tibi & ipse sapiat prout est, sapiat tibi non quidem quod est, qui utique nihili est, sed quod futurus forsitan est, quod est prope nihili, quippe quod adhuc pendet sub dubio. Etenim de quo constat quòd ad amorem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse est non prope jam nihil, sed nihil ex toto, utpote quod in æternum nihili est. Illo igitur excepto qui non modò jam non diligendus, insuper & odio habendus est, secundum illud: Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? de cetero nulli vel inimicissimo homini negari quantulumcunque affectum charitas sanè parte ambitiosa permittit.*

40. *Universa Lex pendet & Prophetæ.* Id est, ad duo hæc præcepta, quæcunque in Lege & in Prophetis contineantur, veluti ad finem referuntur; finis enim Legis dilectio est. Auream hanc Christi responsionem magnificè comprobavit Legis Doctor, qui primò ipsum interrogaverat tentandi animo, ut Marcus testatur cap. 12. v. 32. & 33.

42. *Quid vobis videtur*, &c. Matthæus sic rem narrat quasi Christus ad Scribas aut Pharisæos sermonem direxerit. Marcus vero & Lucas quasi ad plebem. Res eadem est.

Quis

Quis Evangelistarum verborum proprietatem tenuerit, incertum; illud autem certum, quod Judæi Christum filium David tantummodò opinabantur, ignorantes excellentiam, quâ Dominus est ipsius David, secundum id quod est Filius Dei, ut Aug. testatur in expositione inchoata in Ep. ad Rom initio, lib. 2. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 2. & in fine Psal. 9. Unde ut idem asserit lib. de Catechis. rud. cap. 21. non desiderabant Judæi Jesum qui salvaret populum suum à peccatis eorum, sed qui restitueret regnum ad exteros devolutum Israëli, eumque à visibilibus hostibus tueretur. Ab hujusmodi opinione ac desiderio carnali tanquam reliquiis fictitiæ traditionis sibi cum lacte instillatæ necdum plenè Apostoli erant liberati, quando paulo antequam acciperent virtutem Spiritûs-Sancti in ipsos superventis sacratissimâ die Pentecostes à Christo, cujus jam Divinitas & immortalitas eis innotuerat, tamen interrogabant Act. 1. v. 6. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?*

44. *Dixit Dominus Domino meo.* Nempe Deus Pater, qui in textu Hebræo exprimitur per nomen ineffabile, dixit Messiæ, quem David Dominum suum vocat, licèt sit ipsius filius, quia & ipsius Deus est, ac Salvator.

Sede à dextris meis. A Regibus sumta est metaphora, quibus heres proximus dexter assidebat; is qui deinde sequebatur, siniſter. Sic & heredis nomen Christo tribuitur. Paulus quod Psaltes dixit, *Sedere à dextris meis*, interpretatus est in Ep. 1. ad Cor. cap. 15. v. 25. per verbum, *regnare.* Igitur, *sede à dextris meis*, idem est ac, sis consors regni mei, gloriæ meæ & omnium bonorum meorum, & ut talis cognoscaris. Sic sponsa ad dextram Regis, ut consors regni ac potestatis collocatur Psal. 44. v. 12. Salomon Rex matrem honoris ergò ad dextram suam jussit sedere 3 Reg. 2. v. 19. *Porro*, inquit B. Joannes Damascenus lib. 4. Orth. fid. cap. 2. *Christum corporeo modo ad Dei & Patris dexteram sedere dicimus, nec tamen proinde localem Patris dextram esse affirmamus. Quî enim fieri possit, ut is qui circumscriptionis expers est, certam ac loco definitam dextram habeat? Dextra enim & siniſtra iis demum conveniunt, quæ circumscribuntur. Quocirca per Paternæ dextræ vocabulum nihil aliud significamus, quàm Divinitatis honorem atque gloriam, in qua cùm Dei Filius ut Deus, ejusdémque cum Patre substantiâ ante secula esset, ad extremum incarnatus, corporeóque modo consîdet, in eandem nimirùm gloriam ascitâ ipsius carne. Unâ etenim eâdémque cum sua carne adoratione ab omnibus rebus conditis afficitur.*

Donec

Donec ponam inimicos tuos. Id eſt, donec adverſarios tuos omnes tibi ſubjiciam. *Donec* autem pro infinito ſumitur, ut ſit ſenſus, ſede ſemper, & inimici tui in ſempiternum ſubjicientur pedibus tuis.

45. *Quomodo Filius eſt?* *Quomodo* non eſt verbum negantis, ſed quærentis; non enim Chriſtus ſe negat eſſe Filium David, ſed eò collimat, ut ipſum etiam Filium Dei agnoſcant, atque adeo Davidis Dominum.

46. *Nemo poterat ei reſpondere verbum.* Quod Matthæus hic obſervat, Marcus ſubjecit reſponſioni ad quæſtionem Saduceorum; de omnibus tamen in univerſum, & non de una ſola reſponſione veriſimiliter dicitur. Ceterùm ex hoc loco Evangelii conſtat certum fuiſſe apud Judæos illius temporis, quòd iſte Pſalmus à Davide ſcriptus fuerit de Meſſia, ut etiam apud veteres Rabbinos legere eſt, contra cavillationes recentiorum Rabbinorum, qui fabulantur ſcriptum eſſe de Abrahamo à Melchiſedech, vel ab Eliezer ipſius ſervo, vel de Davide à cuivis.

CAPUT

CAPUT XXIII.

2. *Super Cathedram*, &c. Id est, Pharisæi & Scribæ Legem Mosis publicè & privatim interpretantur.

3. *Quæcunque*. Supple, ad Mosis, seu Legis Mosaicæ mentem. Q. d. *Quod utile pro vobis acceperunt, ab eis quasi vestrum tollite, & in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum, sed ad interitum suum.* Greg. lib. 4. in 1 Reg. Huic dicto non est oppositum quod Dominus dicit suprà c. 7. *Nunquid colligunt de spinis uvas?* Licèt enim malefacientes spinæ sint, & bona doctrina sit uva, uva tamen illa non nascitur ex illis spinis malefactorum. Hoc egregiè explicat Aug. in lib. de Pastoribus c. 10. his verbis. *Non est illa uva spinarum, sed aliquando increscens sarmentum implicat se in sepem, & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes unde sumas, cautè manum mitte ne lacereris à spinis: id est, ne facta imiteris malorum, & lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perveniat botri alimentum, spinis servetur ignis tormentum.*

Secundum verò opera, &c. *Vult hæc sententia præcepta præsidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri, etiam si tales sint, quales erant Pharisæi, non eos factioſâ conspiratione à suis sedibus temoveri. Si verò ea præcipiant quæ sint contra doctrinam Evangelicam vel Apostolicam, ibi non esse eis obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non rectè incedenti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, non tamen abjecit.* Ivo Carnotensis Antistes. Ep. 233.

4. *Alligant*, &c. Metaphorâ à jumentis sumtâ Christus significat Pharisæos nolle facere, imò declinare quæ ceteris observanda præcipiunt.

Importabilia. Id est, portatu difficilia, ut habet textus Græcus.

5. *Phylacteria.* Germanus frater meus Ludovicus de Compiegne de Veil in eruditis notis ad tractatum Majemonidis de apparatu Templi cap. 10. *Phylacteria*, inquit, *sunt membranaceæ schedulæ duæ; quæ inscriptæ certis Legis divinæ capitibus thecis ex atrato corio includuntur. Insertis autem oblongis*

ex

ex aluta ligulis Judæi diebus profestis id temporis, quo manutinas Deo preces fundunt, ad frontem alligant earum unam, & alteram ad lacertum lævi brachii è regione cordis. Putant enim Lege sanctum, ut bis velut fasciis caput obligent, manúsque eâ mente, ut intelligant quomodo pueri ad voluntatem parentum sese totos accommodent, ita sibi fingendum esse corpus & animum ad nutum Dei, cunctásque suas actiones, ac cogitationes ad Legis præceptionem esse dirigendas. Et enim scriptum videmus Exod. 13. v. 16. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi frontalia inter oculos tuos. Et magis etiam apertè Deut. 6. v. 8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, & erunt quasi frontalia inter oculos tuos. Frontalia ista textus Hebr. טוטפות *nuncupat, quam vocem hujus rei solius ita propriam, ut alias nusquam & nunquam occurrat, Paraphrastes Chaldaicus expressit* תפילין, *quod passim interpretantur oratoria, in quo verbo latina consuetudo de via deflexit, eóque deducta est ut monumenta ad preces pertinentia significet. Atqui hoc vocabulo Chaldaico cuncti tum Talmudistæ, tum reliqui scriptores Hebræi utentes ad frontale simul & manuale significanda libros totos referserunt. Eadem hæc monumenta Matthæus Phylacteria nominat, utpote quæ Legis observandæ memoriam usque custodiunt. Atque ut Judæorum quisque maximè est pietatis studiosus, aut haberi cupit, ita religionis insignia maximè laxa ad preces adhibet. Quod cùm videret Christus à Pharisæis fieri veræ virtutis expertibus, jure eorum ostentationem his verbis increpat: Dilatant enim phylacteria sua.* De fimbriis egimus aliàs.

6. *Amant autem primos recubitus*, &c. Q. d. Amant lenocinia superbiæ, & in eis ipsorum amor se sistit, & hæret, neque pergit ulteriùs. Itaque salutari ab hominibus & dignitatum titulis appellari, & primo sedere loco in conseſſibus non est malum, sed potiùs bonum; hoc ipsum tamen amare propter se, tanquam peccatum & animi ægritudo à Christo reprehenditur. Ut enim ait Aug. in lib. contra Secundinum Manichæum c. 16. potest amari res bona amore non bono.

In Cœnis. Id est, in conviviis, ut patet ex Luc. 20. v. 6. Cœnæ autem dicuntur convivia, quia antiquis magis esse solebant Cœnæ, quam prandia, ut liberiùs possent sine curarum interpellatione protrahi. Hinc illud Apostoli in Ep. 1. ad Thessal. c. 5. v. 7. *Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.*

7. *Rabbi.* Hoc nomen paulò antè Christi adventum tribui cœpit in Palestina eruditione præstantibus, qui per impositionem manuum in Doctores, seu Magistros inaugurabantur. Judæi verò Babylonii suos Doctores non *Rabbi* מר, & רב appellaverunt.

8. *No-*

3. *Nolite.* Id est, non ambiatis.

Unus enim est magister vester, &c. Nec magister, nec pater vocandus est alius, nisi Deus pater & Dominus noster Jesus Christus Pater, quia ex ipso sunt omnia. Magister quia per ipsum omnia: vel quoniam per dispensationem carnis ejus omnes reconciliati sumus Deo. Quæritur quare adversum hoc præceptum, Doctorem Gentium Apostolus se esse dixerit: aut quomodo vulgato sermone, maximè, in Palæstina & Ægypti monasteriis se invicem patres vocent? Quod sic solvitur: Aliud esse naturâ patrem vel magistrum, aliud indulgentiâ. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non autorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem: quomodo unus per naturam Deus & unus Filius, non præjudicat ceteris ne per adoptionem dii vocentur & filii: ita & unus pater & magister, non præjudicat aliis, ut abusivè appellentur patres & magistri. B. Hier. sic & Chrysost. Hom. 73. in Matth. in hæc verba: *Principatûs appetitio, & cathedræ docendi raptus ut malorum omnium causa diligenter ad eruditionem discipulorum in medium profertur. Quid enim ait? Nolite vocari Rabbi: Unus enim est magister vester: Nec alter altero præstantior, quia nihil scit à se ipso. Et rursùs, Neque patrem vocate super terram. Non ut neminem patrem vocent, sed ne ignorent quem præcipuè patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter magister est, sic neque pater, præter illum, qui tam magistrorum, quam patrum omnium causa est.*

Fratres estis. Scilicet naturâ & discipulatu.

13. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi.* Ex Luca 11. v. 39. apparet prius Christum solos increpasse Pharisæos, Scribas verò, cùm per consequentiam hæc ad se trahi posse viderent, illi dixisse, ut habetur ibidem v. 45. *Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.* Unde aliunde adjectum videtur, quod habent Græci Codices ibidem v. 44. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Meritò itaque ibi in Vulgat. hæ voces *Scribæ & Pharisæi hypocritæ* omittuntur. Matthæus tamen ubique Scribas & Pharisæos conjungit, quia, ut ex responso Christi apud Lucam patet, in utrosque quadrabat, quod in alterutros dixerat; nihilominus intelligere est ex Luca priora *væ*, in Pharisæos propriè dicta, posteriora in Legis peritos sive Scribas. Porrò necesse est, cùm Lucas commemoret loco citato ista *væ* dicta à Domino inter prandendum apud quemdam Pharisæum, quæ Matthæus hoc loco commemorat, ut vel Dominus hæc sæpiùs dixerit, vel Matthæus more suo ea conjunxerit verbis Christi, quæ etsi alio tempore dicta, habebant cum iis quæ tum à Domino dicebantur affini-

affinitatem. Quod enim narrat Lucas occasionem dedisse huic Scribarum & Pharisæorum increpationi, & quod habet in fine, cùm hæc ad illos diceret, cœpisse illos graviter insistere, satis indicant Lucam illa suo loco retulisse.

Claudítis regnum cœlorum, &c. Quia scilicet oppugnatis prædicationem meam, quâ aperitur regnum cœlorum, & vos utpotè Legis-peritos decebat quasi indagantes Legem Moysis & dicta Prophetarum referare quodammodo populo Judæorum januas notitiæ Christi; at hoc non facitis, sed contrà derogantes miraculis meis, & contra mea dogmata clamantes abstulistis clavem scientiæ, sícque non permittentes ut in me credant homines, eos, qui alias erant in regnum cœlorum intraturi, non sinitis. Ceterùm hoc *væ* apud Lucam ordine est ultimum & quasi solis Legis-peritis dictum refertur.

14. *Comeditis domos viduarum.* Id est, exhauritis ac devoratis facultates viduarum.

Orationes longas orantes. Id est, sub obtentu prolixæ orationis.

Amplius accipietis judicium. Id est, graviorem condemnationem subibitis.

15. *Circuitis mare & aridam.* Hebraismus, id est, circuitis universum terrarum orbem, seu, ut Latini aiunt, omnem movetis lapidem.

Ut faciatis unum proselytum. Proselyti vocabantur Græcè, qui ex aliis nationibus progeniti in fidem & consortium populi Dei, acceptâ circumcisione, transierant, ut ait B. Eucherius in libros Regum p. 11.

Facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Desideratur *magis* ut in illo Plauti, *Mulier tacita bona est, quàm loquax:* & Taciti, *Claris majoribus, quàm vetustis.* Ratio autem hujus Christi assertionis est, quia proselyti à Pharisæis facti, eorumdem malâ vitâ & hypocrisi offensi, vel etiam gravi onere Legis cum adjuncto onere traditionum Pharisaicarum resiliebant à proposito & redibant ad Paganismum & veterem idololatriam, sícque apostatæ facti saltem in hoc Pharisæis pejores fiebant, & proinde acerbiorum suppliciorum rei.

16. *In altari.* Id est, per altare.

18. *Nihil est.* Id est, non debet.

In dono. Id est, per donum, quod super altare offertur, scilicet per victimam ovis, bovis, similæ, &c. Hoc juramenti genus familiare Judæis, essque solis, dicebatur juramentum *corban*, ut testis est Josephus lib. 1. contra Appionem cap. 8.

Debet.

Debet. Id est, peccat. Purus putus Chaldaïsmus. Hinc *debita* peccata, & *debitores* peccatores dicuntur.

23. *Qui decimatis mentham*, &c. Id est, qui decimas datis omnium etiam vilissimorum, quæ possidetis; ponitur enim res definita pro indefinita. Lucas hoc, *væ*, recitat quasi solis Pharisæis dictum.

Hæc. Supple, quæ ultimo dixi, hoc est, *quæ graviora sunt Legis*, *judicium*, id est, justitiam, quâ cuique suum tribuitur, & *misericordiam*, quâ ex benignitate, quantùm possumus, proximo succurrimus, & *fidem*, quâ constantia servatur in promissis, *oportuit facere*, & *illa*, supple, minora, quæ tam accuratè servatis, *non omittere*, supple, quando ita vobis lubet Legem interpretari.

24. *Excolantes culicem.* Vinum apud Judæos in colo, vel in sudario percolare moris erat, ne culex vel aliud animalculum per Legem prohibitum, tanquam immundum ab incautis absorberetur. unde Græci interpretantur Amos 6. v. 6. *Qui bibunt vinum percolatum*, quod textus Hebræus & Vulgatus dicunt, *Bibentes vinum in phialis*; sed fortè ibi Græci interpretes pro Hebræo במזרקי, *in phialis*, ut redditur à B. Justin. in dialogo cum Tryphone Judæo, legerunt במזקקי, *in colis*, supple, מזקק, *percolatum.* Talmudici in Tractatu de Sabbato cap. 10. fol. 139. B. & Majemonides in Tractatu de cibis vetitis cap. 2. meminerunt percolationis vini; & culices, qui excolando ejiciuntur, appellant יבחושין, à radice בחש, *miscere*, quia illi culices vino immixti sunt, & à Latinis appellantur *vinulæ*, seu *vinarii culices.* Addito epitheto vocantur ab Hebræis, *rubri.*

Camelum autem glutientes. Christi mens non est camelum posse deglutiri, sed minutias illas Legis, in quibus erant tam accurati Pharisæi, gravioribus quæ negligebant, tantò minores fuisse, quantò camelo minor est culex. Simili locutione Christus dixit suprà cap. 7. v. 5. *Vides festucam in oculo fratris tui*, & *trabem in oculo tuo non vides:* quâ Christus non significat trabem in oculo posse latere, sed vitia illa, quorum alios arguunt hypocritæ, iis criminibus, qui in seipsis securè prætereunt, tanto esse minora, quanto festuca minor est trabe.

25. *Mundatis quod deforis est*, &c. Objurgat Christus Pharisæos, quòd exteriori munditiei studentes, interiorem negligant, atque ut intelligerent sermonem parabolicum, statim transit ad proprium, *intùs*, inquiens, id est, in anima & conscientia *pleni estis rapinâ*, id est, injustitiis, pauperum & viduarum oppressionibus, & immunditiâ peccato-

rum. Græcè tamen perſiſtitur in metaphora; habetur enim, *plena ſunt*, ſcilicet calix & paropſis, *rapinâ & injuſtitiâ*. Et ſic perpetua eſt Allegoria, ſignificans eos in animo pleniſſimos eſſe fraudibus & injuſtitiâ, exteriùs innocentes & ſanctos.

26. *Phariſæe cæce. Cæcitas cordis, ſi peccatum non eſſet, injuſtè hîc & alibi plurimis divinorum eloquiorum locis argueretur*, inquit Aug. lib. 1. op. imp. n. 48.

29. *Qui ædificatis ſepulchra Prophetarum*, &c. Non opus vituperat Chriſtus, ſed intentionem, quâ affectant placere hominibus, dum ædificant ſepulchra Prophetarum, & ornant monumenta juſtorum, quaſi deteſtantes patrum ſuorum facinus; cùm ipſi tamen ſatis teſtentur ſe conſentire operibus patrum ſuorum, quoniam quos patres eorum occiderunt, eorum ipſi ædificant ſepulchra ambitione humanæ gloriæ, ſicque quaſi trophæum victoriæ parentum erigere videntur, ſi non animi ſcopus, ſed mores eorum ſpectentur.

32. *Et vos implete*, &c. Q. d. Itaque vos implete, ſeu abſolvite menſuram impietatis a patribus veſtris inchoatam. Ironiam hanc explicat Chriſtus per id quod mox addit ſine ironia. Ceterùm Deus non ſinit impietatem ac ſcelera in immenſum creſcere, ſed ſingulis non tantùm hominibus, verùm & nationibus certum limitem ſtatuit, quem non excedat, & quò cùm perveniret, turbinem indignationis ſuæ vel exciſionis effundit, ut palàm conſtat ex Gen. 15. v. 16.

34. *Ideò*. Scilicet quia eſtis peſſimi filii peſſimorum parentum & ad ſummum gradum ſeu terminum malitiam patrum veſtrorum impleturi.

Ecce ego mitto, &c. Energiam hujus locutionis explicat Lucas, quando dicit ſuis, non Chriſti verbis: *Propterea & Sapientia Dei*, nempe ipſe Jeſus, *dixit: Mittam ad illos Prophetas*, id eſt, prophetiæ donoilluſtres, *& ſapientes*, quorum ſapientiæ non poterunt reſiſtere, *& Scribas*, hoc eſt, Doctores, & Scripturarum interpretes.

35. *Ut veniat*, &c. Id eſt, ut ita juxta merita ſcelerum veſtrorum redundet in caput veſtrum omnis ſanguis juſtorum injuſtè effuſus ab Abel, qui primus propter juſtitiam celebris necatus fuit, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ. Hunc Zachariam plerique Græci & Baronius putant eſſe patrem Joannis Baptiſtæ, quem aiunt inter Templum & altare occiſum, quòd cùm pueros occideret Herodes, filium non prodidiſſet, vel quòd Beatam Virginem Mariam prædicaſſet. Sed hanc ſententiam ex apocryphorum ſomniis manaſſe dicit Hieronymus. Alii hunc Zachariam volunt eſſe

eum,

eum, qui in duodecim Prophetis minoribus undecimus est, sed nullibi proditur, nec fit verisimile hunc fuisse occisum inter Templum & altare, cùm temporibus ejus Templum nondum fuerit reparatum. Ipse Hieronymus intelligit Zachariam filium Joiadæ, quem occisum inter Templum & altare, id est, in atrio Templi, Scripturæ tradunt. Dicitur autem hujus Zachariæ pater Barachias, vel quia binomius fuit, vel quia ratione sanctitatis sic fuit cognominatus, q. d. *Benedictus Domini*; vel denique quia Joiadæ pater vocabatur Achias, ita ut Barachias sit idem ac filius Achiæ. Sunt denique qui hîc intelligunt Zachariam filium Baruch, quod idem est ac Barachias, quem Josephus lib. 5. de bello Jud. cap. 1. paulò ante novissimam obsidionem Jerosolymitanam à Judæis Zelotis in atrio Templi occisum, cùm vir probus ille à LXX. Judicibus unanimiter fuisset absolutus. Hi autem autores suspicantur Christum prophetice id quòd futurum erat, veluti præteritum narrasse. Ut ut est, tota natio ut unus populus consideratur, in quo facta majorum tribuuntur filiis, & contrà; sic enim Abrahæ dicitur promissa & data terra Chanaan, sed in posteris ejus; sic Judæis tempore Judith viventibus tribuitur habitatio in Mesopotamia, descensus in Ægyptum, transitus per mare Rubrum & desertum, quæ in majoribus contigerant. Ratione unitatis istius, quâ unus est populus, in quo posteri sunt aliquid majorum, & majores aliquid posterorum, fieri solet, quando filii opera majorum imitantur, & ita complent mensuram ab illis inchoatam, ut facta majorum filiis imputentur, & in illis quoque tum à Deo, tum ab hominibus compensentur, sive in bonum, sive in malum. Hinc Amalecitæ exciduntur propter facta parentum à quadringentis annis perpetrata 1 Sam. seu Reg. 15. v. 2, & 3. Jam si consideres vindictam illam, apparebit esse quidem peccatorum à parentibus commissorum; cùm nisi illa præcessissent, non fuisset inflicta; multò minus tam acerba. Non excedit tamen vindicta magnitudinem sceleris à solis filiis perpetrati, ut patet in atrocissimis Judæorum facinoribus perpetratis in occisione Christi & Apostolorum, & Ecclesiæ persecutione.

37. *Jerusalem*, &c. Quod Matthæus hîc refert quasi dictum post triumphalem Christi in Jerusalem ingressum, Lucas cap. 13. memorat à Christo dictum adversùs Jerusalem, cùm adhuc esset in ditione Herodis, nempe in Peræa trans Jordanem; unde cùm verisimile non sit id à Christo bis pronuntiatum, vel Lucas anticipavit, vel Matthæus quòd prius à

Christo dictum fuerat, in servit iis, quæ referebat à Christo dicta in Pharisæos propter argumenti similitudinem.

Quoties volui, &c. Voluntas Dei ex Scripturis sacris rectè distinguitur in voluntatem signi & voluntatem beneplaciti. Voluntas signi seu voluntas metaphoricè de Deo dicitur, quando ea facit, *quæ in nobis solent esse signa volendi*, ut loquitur D. Th. 1. p. q. 19. Art. 11. ad 2. *licèt non sint signa quòd Deus velit: sicut punitio non est signum quòd in Deo sit ira, sed punitio eò ipso quòd in nobis est signum iræ, in Deo dicitur ira.* Sic Marc. 6. dicitur de Christo vidente discipulos laborantes in remigando, quòd *volebat præterire eos*, qui tamen non præterivit, sed voluisse dicitur voluntate signi, quia illud faciebat, quod signum esset in nobis voluntatis prætereundi, *quia in diversum ibat*, ut Aug. interpretatur lib. 2. de Cons. Evang. c. 47. Similiter Marc. 7. de Christo abeunte in fines Tyri & Sidonis dicitur: *Et ingressus domum neminem voluit scire*: quia domum latenter fuit ingressus, ac fortè etiam jussit fores occludi, quod dum faciunt homines, signum esse solet quòd latere velint. Sic Luc. 24. de Christo dicitur quòd finxit se longiùs ire, quia nempe progressus fuit aliquantulum tanquam discessurus & longiùs iturus homo. Eodem modo dicitur Exod. 4. Dominus voluisse occidere Moysem, & alibi voluisse disperdere populum suum, quòd videlicet fecisset quæ hujusmodi actionum præparationes esse solent. Hunc loquendi modum confirmat non modò frequens modus loquendi Scripturæ sacræ, sed etiam vulgaris vulgi sermocinatio, in qua frequenter occurrunt hujusmodi formulæ, *hic homo vult perire, hæc domus vult cadere, cælum vult pluere*, quia nempe quæ in hominibus præparationes solent esse signa voluntatis, simpliciter aliquando voluntates dicuntur; sic passim signum nomine rei significatæ appellatur.

Voluntas beneplaciti seu voluntas propriè dicta, quæ est proprie & formaliter in Deo secundum D. Th. loco mox laudato & in quæst. disp. q. 23. de voluntate Dei art 2. per antecedentem & consequentem dividitur. Voluntas beneplaciti antecedens, sic dicta, quia præcedit considerationem rerum in particulari, nihil aliud est quàm velleitas quædam respiciens res in generali, ex qua nullus effectus sequitur. Voluntas beneplaciti consequens est vera & simpliciter dicta voluntas, quæ fertur in res ut sunt in se ipsis & secundum suas circumstantias particulares, & ex hac voluntate procedit omnis effectus justitiæ & misericordiæ divinæ. His observatis jam varias afferimus expositiones textus Evangelici, quo de nunc agimus.

Sunt

Sunt qui velint Christum loqui de voluntate beneplaciti antecedenti. Sed hæc expositio stare non potest, cùm Christus dicat *quoties volui*, voluntas autem antecedens semper eadem perseveret. Deinde Christus significat effectum hujus voluntatis, quâ voluit congregare filios Jerusalem, fuisse missionem Prophetarum; at ex voluntate antecedenti nullus effectus sequitur, sed sola voluntas consequens, quæ est simpliciter voluntas, producit omnem effectum, ut potè quæ sola considerat res ut sunt in se ipsis & secundum suas circumstantias particulares.

Aug. in Enchir. c. 97. intelligit hunc locum de voluntate, quam D. Th. vocat consequentem, ita ut sensus Christi sit, quasi diceret se non obstante repugnantiâ impiæ civitatis collegisse filios ejus absolutâ voluntate, quâ omnia quæcunque vult facit. Impios tamen cives puniendos, quòd quantum in ipsis erat, reluctati fuerint Christo, ne, quos volebat, congregaret. Eandem expositionem tradit in Epist. 106. ad Paulinum & lib. 1. op. imperf. num. 19. Sed obstat quod Ezech. 24. Dominus simili exprobratione dixit ad eandem civitatem, *Mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis*; inde enim apparet etiam hoc loco Dominum significare non esse factum, quod se voluisse dicit.

Quidam sic exponunt, volui ex mea parte, sed noluistis ex vestra, qui sensus legitur in Hom. quadam Hieronymi titulo inter Homilias Patrum in festo B. Stephani; sed licèt hæc Homilia sumta sit ex Comment. Hier. in Matth. præfata tamen verba apud eum non habentur, licèt tolerari possint, si intelligantur de velleitate humanitatis Christi, & affectu naturali, quo sacro-sancta humanitas erat in filios Jerusalem misericorditer commota. Hunc sensum subindicat Hier. Esa. 1. & hanc naturalem voluntatem in Christo agnoscit sexta Synodus Oecumenica, & in ea lecta & approbata Ep. Agathonis Papæ, in qua leguntur aliquæ Scripturæ huc pertinentes. Verùm huic expositioni repugnat id quod Christus ait, *quoties volui*, quódque ante dixerat, *quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt*; per hoc enim, ut observat Hier. significat prædicatores omnium superiorum temporum à se fuisse missos, atque ita voluisse multoties congregare filios Jerusalem, non tantùm eo tempore, quo in carne versabatur, sed jam olim tempore Prophetarum, atqui tunc non potuit Christus voluisse humana voluntate, quia naturam humanam nondum assumserat.

SS. Hilarius & Hieronymus intelligunt de voluntate signi hunc locum, ita ut Christus velit loqui de præceptis, ex-

hortationibus, correptionibus, aliísque mediis ad salutem opportunis, quæ per Moysem aliósque Prophetas illi populo fuerunt à Deo subministrata, quæ tamen omnia populus ingratus & in peccatis obduratus rejecit atque contemsit.

Omnium optima & ad literam accommodatissima est expositio D. Thomæ in opusculo de præscientia & prædestinatione, ut Christus dicatur voluisse congregare filios Jerusalem, quia Prophetis & sanctis à se missis pium hoc desiderium inspiraverat, sed impia civitas semper frustrata est pios eorum conatus. Hic sensus congruit & loco citato ex Ezech. ubi etiam proximè præcedunt hæc verba: *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem*: quæ verba satis indicant intelligi labores Propretarum voluntatem Dei annuntiantium & ignem tribulationis.

Gallina. Græcè ὄρνις, quæ vox Homero & Hesiodo cùm nihil sit aliud quam avis in genere, Platonis ævo cœpit usurpari pro gallinaceo in genere, & per aliquot secula tam de gallo, quàm de gallina dici, donec obtinuit usus, ut proprium esset gallinæ nomen. Unde apud Athenæum lib. 9. Myrtulus ait: *Nunc quidem fert consuetudo, ut solæ gallorum fœminæ ὄρνιθες dicantur, & ὀρνίθια.* Itaque meliùs hîc vertitur *gallina*, quàm *avis* ut vertit Arabs hîc & vulgatus cum ipso Luc. 13. v. 34. Gallinam constanter vertit Syrus in utroque loco. Ita etiam Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus & plerique veteres præter Ambrosium in Lucam, ubi hic locus ita redditur: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis?* Sed gallinæ maximè proprium est, quod non solùm ovis incubat, quomodo reliquæ aves, sed & pullos jam editos sub alis congregat, ut materno calore foveantur & vegetentur; unde Arabicè cognominatur *mater congregationis.* Hinc apud Euripidem in Hercule furente Megara de liberis, quos ex Hercule habuerat, maximè sollicita eos sub alis servare se dictitat, ut pullis gallina incubans. Verba sunt.

Οἱ δ' Ἡράκλειοι παῖδες, οὓς ὑποπτέρους
Σώζω νεοσοὺς ὄρνις ὡς ὑφειμένη.
Et quos sub alis servo natos Herculis,
Pullis ut incubare gallina assolet.

De gallinæ philostorgia Naturæ scriptores sæpè egerunt, sed ut prophanos omittamus, hujus passim meminit Aug. nam lib. 1. quæst. Evang. q. 36. *Quod difficiliùs in ceteris animan-*

mantibus invenies, alis filios suos protegens contra milvum pugnat. Ibidem. *Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta & ipsa infirmetur.* Et in Psal. 58. *Infirmatus est Christus usque ad mortem, & assumsit infirmitatis carnem, ut pullos Ferusalem colligeret sub alas suas, tanquam gallina infirmatur cum parvulis..... Certè notam rem dico, quæ in conspectu nostro quotidiè versatur. Quomodo raucescit vox? quomodo hispidum fit totum corpus, dimittuntur alæ, laxantur plumæ?* Et in Psal. 90. *Multæ hîc aves ante nos fœtant, calefaciunt pullos suos: nulla sic avis infirmatur cum pullis suis, quomodo gallina. Attendat charitas vestra hirundines, passeres, & ciconias. Videmus extra nidos suos, nec cognoscimus, utrum fœtum habeam. At vero gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum: tota mutatur affectu pullorum; quia illi infirmi sunt, infirmam se facit.* Et de verbis Domini Serm. 29. *Illa gallina Domini sapientiæ est. Sed assumsit carnem, ut pullis congrueret. Videte gallinam hispidam plumis, dimissis alis, voce fractâ, & quassâ, ac lassâ, & languidâ congruere pullis suis.*

38. *Ecce.* Jam in proximo in punitionem duritiæ cordis vestri.

Relinquetur, &c. Id est, in vastitatem redigetur Templum & universa civitas per excidium urbis & gentis vestræ.

39. *Dico enim vobis*, &c. Causam illius vastitatis Christus esse dicit quòd à præsentia & ipsius protectione fuerint deserti.

Amodò. Id est, ab hoc tempore, seu post breve tempus.

Donec dicatis. Scilicet ore filiorum, seu posterorum vestrorum.

Benedictus. Id est, ab omnibus hominibus laudetur. Prædicit hîc Christus futuram sub finem mundi Judæorum conversionem, & tunc ipsum ab eis pro vero Messia in Lege & Prophetis promisso agnitum iri.

In nomine Domini. Id est, in autoritate & virtute Dei Patris sui.

CAPUT XXIV.

1. *Egressus Jesus de Templo ibat.* E civitate versus montem Oliveti, ubi noctibus morari solebat.

Ut ostenderent ei ædificationes Templi. Non ignotas, sed tanquam admirandas, ut clarè exprimunt Marcus c. 13. & Lucas c. 21.

2. *Non relinquetur hîc lapis super lapidem.* Id est, lapidi adhærens, qui non dissolvatur. De mirando ædificio Templi videre est Josephum lib. 6. de bello Judaico c. 6. & de mirandis lapidibus quibus constabat, l. 15. antiq. c. ultimo; non enim sic excitatum erat Templum à Judæis è captivitate Babylonica redeuntibus, sed ab Herode Magno, ut latè describit Josephus locis citatis. Quod autem Matthæus hîc dicit Christo ostensum à discipulis & ab eodem ipsis responsum, hoc Marcus c. 13. refert dictum ab uno ex discipulis & responsum eidem uni à Christo; unde vel Matthæus facit Enallagen numeri, vel fortè unus ostendebat Christo ædificationes Templi reliquis discipulis præsentibus, aut alii discipuli ostendebant Christo ædificia Templi, & unus dicebat: *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ.* Discimus autem à Scaligero can. isagog. p. 304. etiam aratrum inductum fuisse imo Templo à quodam Turno Rufo, quem ipse Turranum vocat, de quo multa mentio in Talmud & apud alios scriptores Hebræos.

3. *Accesserunt ad eum discipuli secretò.* Id est, privatim, seu ut Marcus loquitur v. 13. *separatim Petrus & Jacobus & Joannes & Andreas.*

Quando hæc erunt? Id est, quando ædificium illud Templi, quod ad miraculum assurgit, ita ut dicis, destruetur?

Quod signum adventûs tui? Nempe secundi ad judicium.

Consummationis seculi. Id est, finis mundi, de quo sicut de adventu tuo glorioso te aliàs audivimus.

4. *Videte nequis vos seducat.* Q. d. Vos solliciti estis & anxii de Templo & novissimis mundi rebus, sed ante omnia de vobis ipsis sitis solliciti; ne inducamini in errorem.

Multi

Multi enim venient. Post discessum meum corporalem à vobis.

In nomine meo. Id est, nomen meum sibi usurpantes.

6. *Opiniones præliorum.* Id est, rumores præliorum, qui sæpè magis homines turbant, quàm ipsa prælia.

Videte ne turbemini. Id est, cavetè ne plus æquo in hujusmodi præliis, vel præliorum rumoribus audiendis turbemini.

Nondum. Id est, non statim cùm ista fient.

Est finis. Sivè Jerusalem, sive mundi; adhuc enim graviora & plura finem præcessura sunt, quorum ista tantùm sunt præludia & prænuntia.

7. *Consurget enim gens in gentem.* Id contigisse ante excidium Jerosolymitanum, luculentus testis est Josephus, lib. 2. de Bello Judaico. c. 11, 18, 19, 20, 21, & 25.

Erunt pestilentiæ & fames. De ingenti fame ante vastatam Hierusalem fit mentio Act. 11. v. 28. de qua latiùs Josephus, lib. 20. Antiq. c. 2, & 3.

Terræ-motus per loca. Id est, in diversis locis. Testatur enim Eusebius in Chronico sub Nerone tres urbes terræ-motu in Asia concidisse. De alio terræ-motu loquitur Josephus lib. 4. de Bello Judaico c. 7.

8. *Hæc autem omnia.* Scilicet errores, seu seductiones, bella, rumores bellorum, pestes, fames, terræ-motus.

Initia sunt dolorum. Qui scilicet mox Hierusalem & sub finem seculi totum orbem invadent. Præcessisse autem Pseudo-christos ruinam Jerosolymæ testantur Theodas, de quo Act. 5. v. 36. & Josephus lib. 20. Antiq. c. 2. Simon Magus, qui se virtutem Dei magnam dixit Act. 8. v. 9. & se pro Christo venditavit, ut ait Aug. Hæresi. 1. Fuerunt alii multi quorum catalogum recensere longum esse & fortasse supervacaneum. Sed multò plures præcedent consummationem seculi, cujus typus fuit excidium Jerosolymitanum.

Dolorum. Græce, *parturitionum*, id est, dolorum maximorum, quales sunt ii, quibus parturientes affliguntur.

9. *Tunc tradent vos.* Luc. 21. v. 12 *ante hæc omnia.* q. d. Nolite cogitare vos ab omnibus malis immunes futuros, dum ita affligentur improbi. Per Apostolos autem omnes fideles significari observat hîc Hieronymus.

10. *Scandalizabuntur.* Id est, scandalum patientur.

11. *Pseudo-Prophetæ surgent.* Id est, surgent homines, qui se Evangelicæ veritatis doctores jactitabunt, ut sic in errorem inducant fideles. Hîc designantur omnes hæretici, qui partim ante excisam Hierusalem, ut Nicolaitæ, Hymenæus

næus, Philetus & alii; partim ante mundi finem exorituri erant.

12. *Iniquitas.* Id est, crudelitas persequentium, scandalum deficientium, error malè docentium.

Refrigescet charitas multorum. Quâ anteà orga Deum & proximum fervebant.

13. *Perseveraverit.* Græcè, *sustinuerit*, scilicet ista mala, persequutiones, scandala, odia, errores.

Usque in finem. Ita ut nullatenùs dejiciatur.

14. *Et prædicabitur.* Q. d. Non obstantibus tot malis prædicabitur per vos & alios Evangelium de regno cœlorum omnibus patefacto atque proposito, antequam finis veniat.

In testimonium omnibus Gentibus. Id est, ut sit omnibus Gentibus loco testimonii, quo Deus testatur æternam salutem eis à se per Filium paratum, si amplecti velint: ita ut sint inexcusabiles, si nolint.

Tunc veniet consummatio. Seculi, secundum Hieronymum; Jerosolymæ, secundum Hilarium & Chrysostomum; nam Paulus Rom. 1. v. 8, 10. & 18. Colos. 1. v. 6. & 23. testatur suo jam tempore, ideóque ante eversam Jerusalem in universo orbe prædicatum fuisse Evangelium; nimirum quia in maxima orbis noti parte id factum fuerat, quamvis perfectiùs in fine mundi complendum. Nos quia nihil eorum, quæ hactenus dicta sunt, non contingerit juxta Scripturæ phrases etiam ante eversam Jerusalem, malumus omnia ad hunc usque versum indistinctè de Jerosolymæ & seculi consummatione intelligere.

15. *Cùm ergo*, &c. Post monita generalia dilabitur Christus ad solutionem primæ Apostolorum quæstionis de excidio Jerusalem, eámque perducit usque ad versum 23. ut sentit Augustinus in Ep. 80. Qui igitur hunc & sequentes versus ad Antichristum referunt, allegoricum non literalem sequuntur sensum.

Abominationem desolationis. Id est, abominationem, quæ subsequutæ & à Daniele prædictæ desolationis vera causa fuit. Hæc autem abominatio est sceleratissima illa prophanatio totius Templi per Zelotas seu per ingentem latronum manùm, qui erumpentes in Jerosolymam pollutis pedibus, ut refert Joseph. lib. 4. de Bel. Jud. c. 5. sanctum locum intrare cœperunt ac Templo uti, loco castri, ac domicilii tyrannidis adversus populum. Tot verò cædibus innocentium & nocentium toto illo tempore tum inter se pugnantes, tum cum populo, illud repleverunt, ut Joseph. testetur lib. 6. c. 1. per atria divina diversorum sanguinem cadaverum feciſſe

feciſſe ſtagnum, nec potuiſſe ampliùs manere Dei locum, qui domeſticorum funerum erat ſepulchrum. Hinc neque Judæis, neque Romanis in tota obſidione Jeroſolymitana intolerabilius, vel horribilius quicquam viſum eſt, quàm illa immanis Templi prophanatio, quæ facta eſt paulò poſt circumdatam ab exercitu Ceſtii & liberatam Jeruſalem; duravítque uſque ad everſionem ejus per tres circiter annos cum dimidio. Hinc Joſeph. l. 6. c. ultimo, *Puto*, inquit, *ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum, aut Sodomæ incendia paſſuram.* Imo & Titus ipſe ſeditioſos rogabat aliquoties ut à tantâ prophanatione diſcederent, ſéque teſtabatur non eſſe cauſam ejus, ut videre eſt l. 7. c. 4. &c. Hinc idem Joſephus l. 5. antiq. c. 2. teſtatur veterem fuiſſe ſermonem tunc demum civitatem captum iri & ſancta flammis exurenda, cùm ſeditio fuiſſet exorta, templúmque Dei propriæ manus antè violaſſent; *quibus*, inquit, *Zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes ſe miniſtros præbuerunt.* Hic autem ſermo certè ex Danielis vaticinio, vel Chriſti prædictione ortum habuit. Ex dictis patet quòd cùm Lucas c. 21. v. 20. dicit, *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*, ſcilicet ſub Ceſtio (tunc enim erat fugæ locus, non ſub Tito) non deſignat ipſam abominationem deſolationis, ſed potiùs tempus quo illa mox eſſet apparitura, & quo deberent de fuga cogitare ex Jeruſalem & Judæa, eo quòd brevi inſtaret ejus conſummatio.

In loco ſancto. Id eſt, in Templo.

Qui legit intelligat. Si hæc ſunt verba Chriſti, ad Danielis locum referenda ſunt; ſi Evangeliſtæ, ad ipſamet Chriſti verba.

16. *Tunc*, &c. His verbis & ſequentibus intelligendum eſt feſtinationem fugæ fuiſſe præceptam, ut monet Aug. Ep. 80. Quare huic Chriſti monito parentes Chriſtiani ex Jeruſalem totáque regione migrarunt trans fluvium in urbem Pellam, quæ parebat Regi Agrippæ amico & coadjutori Romanorum, ut Euſebius teſtis eſt lib. 3. Hiſt c. 5. & Epiph. Hæreſ. 29. num. 7. & Joſeph. l. 2. c. 25. ait quòd poſt Ceſtii caſus adverſos, nobilium Judæorum multi, tanquam è navi peſſum ſura ex civitate enatarunt.

20. *Orate ut non fiat fuga veſtra hieme vel Sabbato*, Id eſt, ne impedimento aliquo detineamini, quia & hieme imbribus vel frigore, & Sabbato, in quo longiùs bis mille cubitis proficiſci non licebat, impediebatur quis ab itinere. De ſpatio quod continebat iter Sabbati variæ opiniones ſunt, quam-

quamquam in numero duorum millium plerique omnes conveniunt, sed cubitos alii, & alii passus, Hieronymus pedes, Origenes ulnas memorat. Hebræi ferè omnes iter Sabbati definiunt bis mille cubitis, quæ faciunt secundùm eosdem Hebræorum milliare unum, quantùm distabat Tabernaculum ab extremis castris Hebræorum, cùm in deserto essent, unde hæc traditio de itinere Sabbati orta videtur.

21. *Erit enim*, &c. Patet ex Luc. 21. v. 23. id de Judæorum vastatione intelligendum, ut notat Aug. Ep. 80. nam ibidem ait Josephus quòd talia mala illi populo tunc acciderunt, ut vix credibilia videantur: intùs enim latrocinia, fames, pestis, foris ferrum & flamma.

Tribulatio. Græcè θλῖψις, *afflictio.* Luc. 21. v. 13. *pressura*, Græcè ἀνάγκη, *necessitas.* Observat autem Aug. in Ps. 24. Heb. 25. v. 19. in illud *De necessitatibus meis eripe me*, afflictiones vocari necessitates, quòd necesse sit eas usque in finem tolerare ut salvemur. Hinc & ille lusus Senecæ in ambiguo vocis Ep. 12. *Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est.*

22. *Nisi breviati fuissent dies illi.* Id est, nisi æterno Dei decreto dies illi ad parvum numerum redacti fuissent. Sic apud Augustinum Ep. 80. quæ est ad Hesychium, ex antiqua & certa traditione vel ex doctrina & sententia Patrum aiunt septuaginta hebdomadas Danielis ideò dici Dan. 9. abbreviatas, quòd propter lacrymas, preces & vota Prophetarum, citiùs venerit Christus, quàm aliàs venturus erat, juxta illud Psal. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exsurgam dicit Dominus.*

Non fieret salva omnis caro. Duplex Hebraismus, *caro* pro homine, *non omnis* pro nulla. Sensus igitur est, nullus Judæorum evasisset mortem temporalem.

Propter electos. Qui scilicet vel tum vivebant, vel ex Judæis usque ad finem mundi nascituri erant.

Breviabuntur dies illi. Id est, reipsâ, citiùs divina providentia bello & calamitatibus illis finem imponet.

23. *Tunc.* Scilicet ab excidio Jerosolymitano usque ad finem mundi. Expeditâ enim quæstione de eversione Templi & civitatis Jerusalem, transit Christus ad secundam & tertiam quæstionem de regno Messiæ & de fine seculi.

24. *Surgent enim pseudo-Christi.* Tales fuere non pauci, ut olim Barchochebas tempore Adriani Imperatoris, de quo præter Hebræos Eusebius l. 4. Hist. c. 6. Barchochebas, si Latinè interpreteris, valet *filius stellæ*: de quo exponebant

locum

locum illum, *Orietur ſtella ex Jacob.* Nam eum Meſſiam eſſe perſuadere conabatur inter alios R. Aquiba, qui etiam ejus armiger fuit. Dicebat enim tempus adventûs Meſſiæ præteriiſſe. Quod veriverbium utinam Judæi poſt tot annorum intervallum in aures admitterent. Fuerunt alii multi pſeudo-Chriſti quorum catalogum recenſere longum eſſet & fortaſſe ſupervacaneum.

Pſeudo-Prophetæ. Id eſt, falſitatis doctores, cujuſmodi ſunt hæretici pſeudo-Prophetarum ſynagogæ in Eccleſia ſucceſſores.

Dabunt ſigna. Id eſt, edent miracula, quæ ſigna dicuntur ratione ejus propter quod manifeſtandum ſiunt; dicuntur & virtutes, quia id quod fit in miraculis excedit facultatem naturæ; portenta verò à portendendo, id eſt, præoſtendendo; & prodigia quòd porrò dicant, id eſt, futura prædicant.

Magna. Sed mandacia, ut vocantur ab Apoſt. 2 Theſſ. c. 2. tum quia ſigna à pſeudo-Chriſtis & hæreticis edita in mendacium & errorem inducunt, tum quia eadem ſigna ſimpliciter miracula non ſunt, ſed tantùm quoad nos; miraculum enim ſimpliciter dici ſolet, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ; ſed quia non omnis virtus naturæ creatæ, nobis nota eſt, ideò cùm aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, eſt miraculum quoad nos; horum autem aliud mendax eſt, quoniam in eo non vera res hominibus exhibetur, ſed per phantaſma mortales ſenſus à dæmonibus decipiuntur, ut quod magus, pſeudo-Propheta, vel dæmones non faciunt, facere videantur. Aliud miraculum quoad nos dicitur verum, quia vera eſt res quæ exhibetur, ſicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas & veros ſerpentes, non tamen per verum miraculum, ſeu per virtutem excedentem vires naturæ creatæ, ſed per virtutem naturalium cauſarum, ſeu per applicationem naturalium activorum paſſivis. Vide Aug. 3. de Trinitate c. 8.

Ita ut in errorem inducantur. Senſus eſt: Ita ut abſque magna Dei providentia & oppoſitione verorum miraculorum, tota plebs fidelium, atque adeò ipſi electi ſeducerentur, partim terrore Principum & perſecutione, partim ambiguitate veritatis inter vera & falſa miracula vacillantis. Hinc B. Greg. lib. 1. in Ezech. Hom. 9. hunc locum explicans, *Cur*, inquit, *hoc ſub dubitatione dicitur, cùm quid futurum ſit, à Domino præſciatur? unum verò ex duobus eſt, quia ſi electi ſunt, fieri non poteſt, ſi autem fieri poteſt, electi non ſunt.*

Iſta

Ista ergo dubitatio Dominici sermonis ex electorum cordibus, designatio tentationis fuit: quia qui electi sunt ad perſistendum, per ſigna prædicatorum Antichriſti tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, Si fieri poteſt, hoc exprimitur, quòd electi in corde tentabuntur. Nutant enim, ſed non cadunt; dicitur ergo, Si fieri poteſt: quia trepidabunt: & tamen dicuntur electi, qui non cadunt. Dubitatio itaque ſermonis à Domino in electis exprimit trepidationem mentis. Quos & electos nominat, quia cernit quòd in fide & bono opere perſiſtunt. Veriſſimè itaque Aug. in lib. de Corrept. & Grat. c. 7. *Electorum ſi quiſquam perit fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus; horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus.* Hinc Chriſtus ipſe de electis ſuis ovibus ait Joan. 10. v. 28. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

25. *Ecce prædixi vobis.* Periculi magnitudinem, ut illud ſollicitè caveatis; non enim electio aut prædeſtinatio, etiam cognita, eſt aut eſſe debet cauſa ſocordiæ, ſed ſollicitudinis ac diligentiæ, ut per illam ipſam diligentiam, hoc eſt, ſollicitam ardentémque voluntatem, id quod conſtitutum eſt, impleatur, & ex illa ipſa diſcant homines ſe ad prædeſtinationem divinæ gratiæ pertinere, ut præclarè tradit Aug. lib. de dono perſeverantiæ c. 22.

26. *Si ergo*, &c. Magis particulatim Chriſtus explicat quod antè dixerat: *Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic*: ponítque loca determinata duo contraria pro quibuſvis locis.

27. *Sicut enim fulgur*, &c. Q. d. Licèt certò ſciatis me ſecundò eſſe venturum, nolite tamen credere quibuſcunque prædicantibus, *Ecce hîc eſt Chriſtus aut illic*, quia ſecundus meus adventus erit ita manifeſtus & evidens, & ſubitus, ut inſtar fulguris promicantis è nubibus in oriente poſitis & ſubitò non tantùm in meridie & aquilone, ſed uſque in occidentem, hoc eſt per univerſum undequaque orbem apparentis, omnibus innoteſcat ſine præcone & nuntio in cunctis partibus orbis.

28. *Ubicunque fuerit corpus.* Græcè, *cadaver.*

Illic congregabuntur & aquilæ. Sentiunt enim aquilæ naturaliter cadavera etiam tranſmarina ut hîc advertit Hier. Alludit Chriſtus ad id quod dicitur Job 39. v. 30. *Pulli ejus* (aquilæ ſcilicet) *lambent ſanguinem, & ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt*, hoc autem pertinet ad percnopterum ſeu gypætum degeneris aquilæ genus vulturinâ ſpecie, quod ſolum ex omnibus aquilæ generibus alitur cadaveribus, ut ex Ariſtotele lib. 9. hiſt. c. 32. habet Plinius lib. 10. c. 3.

Per-

Perperàm autem Suidas id tribuit percnis, seu, quod idem est, morphnis, qui non aluntur cadaveribus, sed venantur, ut cetera aquilarum genera. Jam sensus præsentis versiculi connectitur cum præcedente & versu 26. quasi diceretur: Siqui insusurraverint hîc aut illic quasi latitantem Christum quærendum, ne credite. Palàm enim sese conspiciendum præbebit Christus, ut fulgur ab oriente ad occidentem emicans, & terrarum universum orbem irradians. Et sicut aquilæ ad cadaver statim advolant mirâ sagacitate: ita piis omnibus æquè demum erit concurrendum, ubi vivificum mortis Christi nidorem percipient. Nec fruſtrà aquilæ vocantur, qui aggregantur Christo, cùm nemo cum illo uniatur, nisi qui ejus carne & sanguine vescitur. Proinde Chrys. Hom. 28. in 1 Cor. Christi corpus πτῶμα, vocari dicit propter mortem. Et ad Eucharisticam Christi communionem hæc transferens, fideles addit aquilas appellari, *ut ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra deberi ei esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere; sed ad superiora semper volare, & in solem justitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.* Ἀετῶν γὰρ ἡ κοινωνία ἐστὶν ἡ τράπεζα. *Aquilarum enim, non graculorum est hæc mensa.* Luc. 17. v. 37. idem Christi dictum repetens Evangelista pro τὸ πτῶμα habet τὸ σῶμα. Sed res eòdem recidit. Nam τὸ σῶμα pro cadavere Græci passim usurpant.

29. *Post tribulationem dierum illorum.* Quibus scilicet Pseudo Christi & Pseudo-Prophetæ dixerint, *Ecce hîc est Christus*, &c.

Sol obscurabitur. Id est, sanguineo colore trans innumeros vapores apparebit, & luna cùm debiliorem sole lucem & actionem habeat, magis fusco, ideóque nigro aspectu demonstrabitur, quasi saccus cilicinus.

Stellæ cadent de Cœlo. Id est, cadere videbuntur; stellæ enim cadere de cœlo videntur, dum luce privantur. Non desunt tamen qui hunc locum intelligant de exhalationibus ignitis, quæ stellis similes de cœlo, id est, de media aëris regione cadent, multò scilicet mirabiliùs, quàm nunc fit, ut ait Aug. c. 24. lib. 20. de civit. Dei.

Et virtutes cœlorum commovebuntur. Id est, omnes vires cœlorum removebuntur. Idem hîc dici videtur, quod Epist. 2 Pet. c. 3. v. 10. *Cœli magno impetu transibunt*, quod Aug. Greg. Mag. & alii de aëris regionibus intelligunt; licèt, cùm præcipua cœli virtus sit in lumine, quo nobis illucescit, eo prohibito, atque, ut sic dicam, quoad nos extincto, moveri dici possint cœlorum virtutes, adeóque ipsi cœli; sicut moveri terra

terra dicitur, cùm homines terræ incolæ gravi metu, aut subitâ & improvisâ calamitate concutiuntur.

30. *Tunc.* Sole obscurato, & lunâ non dante lumen.

Signum Filii hominis. Id est, vexillum, signúmque majestatis ac potentiæ Filii hominis, in quo inhabitat plenitudo Divinitatis substantialiter, omnibus conspicuum apparebit, & tunc plangent omnes orbem terrarum inhabitantes à se offensum, quem adorant Angeli.

Tunc. Illo scilicet spectaculo.

Videbunt, Sensibiliter oculis corporis. Clariùs explicat quod mox obscurius dixerat: *Parebit signum Filii hominis in cœlo.*

31. *Cum tuba & voce magna.* Hebraismus, q. d. cum tuba, id est, cum voce magna. Unde & Paulus cùm 1. ad Cor. 15. v. 25. dixisset, *in novissima tuba, canet enim tuba;* magis se declarasse videtur dicens 1 Thess. c. 4. v. 15. *Ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendit de cœlo.* Ita ut omnia ista non aliud significent quàm motum concitatissimum non sine ingenti sonitu edendum ministerio Archangelorum, jussu Christi Domini, ad miscendum aërem cum ceteris elementis, & quasi spiritum reddendum mortuis necessarium, ut ex visione simili Ezechielis patere potest. Hinc sonitus ille Joan. 3. v. 25. vocatur vox Filii Dei, quam mortui audient.

Congregabunt. Angeli, & congregatos rapient nubes.

A quatuor ventis. Id est, à quatuor mundi plagis, unde spirant præcipui venti.

A summis cælorum usque ad terminos eorum. Id est, ab uno cœli extremo usque ad alterum. Per cœli autem extremum intelligitur locus cœli extremo subjectus, & ideò eandem rem expressit Marc. 13. v. 27. dicens: *A summo terræ usque ad summum cœli.*

32. *Discite parabolam.* Id est, accipite similitudinem.

Cùm jam ramus, &c. Explicat Matth. quod paulò obscuriùs dixit Lucas c. 21. v. 30. *Cùm producunt jam ex se fructum arbores,* fructum appellans quidquid arbores producunt, scilicet folia & gemmas, inchoamenta fructuum. Unde Græcè apud Luc. nulla fit mentio fructûs, sed habetur tantùm verbum *protrudunt* sine addito, ut supplendum relinquatur lectori *folia* vel *gemmas.*

33. *Prope est in januis.* Adagialis locutio, id est, jamjam adest præ foribus *regnum Dei,* ut supplet Lucas c. 21. v. 31. illúdque plenum & pacatissimum, quod post judicium in sanctis revelabitur. Simili locutione Jacobus in Epistola sua catholica c. 5. v. 9. ait de tremendo Dei judicio, *Ecce judex*

judex ante januam assistit. Et ut habetur in historia quadraginta Martyrum, mater ad filium Melithonem Martyrem dicebat: *Fili pauliſper ſuſtine, ecce Chriſtus ante januam ſtat adjuvans te.* Apoc. 3. v. 20. *Ecce*, inquit Chriſtus, *ſto ad oſtium & pulſo*, id eſt, jam jam judicaturus & more Domini à negotio domum redeuntis cum ſervis ſuis rationem initurus, advenio. Hunc eundem ſenſum Chriſtus ibidem expreſſit. v. 3. *Veniam ad te tanquam fur & neſcies quâ horâ veniam ad te.* Et v. 11. *Ecce venio cito.* Sequitur autem, *Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam*, id eſt, ſi quis vigilaverit ad meum adventum, & confeſtim mihi ad judicium properanti aperuerit, ſeu gaudens & cum amore me exceperit judicem, de ſua ſpe & operatione ſecurus & de gloria retributionis hilareſcens. Pergit Chriſtus, *Intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, id eſt, inquit doctiſſimus Eſtius, *particeps erit gaudiorum atque bonorum meorum.* Atque ita nihil aliud ſignificatur loco citato Apocal. niſi quod in præſenti capite ſub finem & capite ſequenti, Marc. 13. & Luc. 12. ubi ex ſimilitudine ſervi vigilantis ad domini ſui adventum, ut venienti confeſtim aperiat, Chriſtus adhortatur omnes fideles ut ſemper vigilent in bonis operibus, ut, Domino ad judicium furis inſtar veniente, inveniantur læti ſuſtinere judicem, & mereantur cum illo diſcumbere & cœnare, id eſt, æterni requie & gaudio frui. Similis extat exhortatio 1 Theſſ. 5. & Apoc. 6.

34. *Generatio hæc.* Nempe Judæorum, quia pleraque ex prædictis in Judæis complenda erant.

35. *Cœlum & terra tranſibunt.* Immutatione, non abolitione ſui. Hier. lib. 4. in Matth. 24. Sic 2 Pet. 3. v. 5, & 6. aquâ inundatus periiſſe dictus eſt mundus, ſeu qui tunc erant cœli & terra; ubi cœli diſerte uſurpantur pro aëris regionibus.

Verba autem mea. Id eſt, hactenus à me dicta.

Non præteribunt. Id eſt, ſortientur infallibiliter & immutabiliter quidquid ſignificant, adeo ut nihil quidquam aliter ſit eventurum, quàm ipſa ſonant & ſignificant.

36. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum.* Additur Marc. 13. v. 32. *neque Filius.* Supple, quâ homo, cùm omnia ſciat quâ Deus. Vide commentarium noſtrum loco laudato Marci. Eandem diſtinctionem videre eſt apud S. Athanaſium in fine Epiſtolæ ad Serapionem, & in oratione 4. contra Arianos, apud S. Hilarium Pictavienſem lib. 9. de Trinitate, S. Gregorium Nazianzenum oratione trigeſimâ ſextâ, quæ eſt quarta de Theologia, S. Am-

brosium lib. 5. de fide cap. 7. Chrysostom. Ser. 117. Tom. 5. S. Cyrillum Alexandrinum lib. 9. Thesauri. cap. 4. & lib. 10. cap. 7. lib. 2. ad religiosissimas Reginas cap. 16, & 17. S. Proclum Constantinopolitanum in Epistola ad Armenios, Titum Bostrensem in cap. secundum Lucæ, Greg. Mag. lib. 8. Epist. 42. & σχεδὸν πάντες οἱ Πατέρες *propemodum universi patres*, ut loquitur præclarissimus Scriptor Leontius Byzantinus in lib. de sectis Act. 10. Ab hac mente veterum Orthodoxorum Patrum longè aberant hæretici Agnoëtæ; non enim agnoscebant in Christo duas diversas naturas inconfusè unitas, salvâ proprietate utriusque naturæ, sed unam tantùm putabant esse naturam compositam, atque adeò quod Christum dicebant ut hominem ignorare, illud Christum penitùs ignorasse existimabant. Quicumquè igitur duas in uno Christo agnoscit distinctas naturas contra Nestorium & Monophysitas, & agnoscit Christum secundum Deitatem neque esuriisse, neque sitivisse, neque mortem perpessum esse, neque quidquam ignorasse, quamvis dicat hæc omnia Christo secundum humanitatem contigisse, is ab hæresi Agnoëtarum immunis est cum SS. Patribus Athanasio, Cyrillo & ceteris suprà laudatis. Agnoëtas autem sensisse quòd Christi Deitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima, testatur Leontius loco suprà laudato, S. Isidorus Hispalensis lib. 8. originum cap. 5. Rabanus Maurus lib. 2. de institutione clericorum cap. 58. Gratianus in decreto causa 24. q. 3. can. *Quidam autem.* Joannes Damascenus in lib. de Hæresibus, Joannes Maldonatus in cap. 24. Matth. Petrus Thyræus in tractatu de gloriosa Filii apparitione cap. 19. num. 26. Adamus Conzen in cap. 24. Matth. Ut fabula igitur rejicienda est narratio Nicephori Callisti, dum contra omnium Scriptorum veterum relationes ait Agnoëtas dixisse Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem verò secundum subsstantiam ei unitam permulta ignorare. Sed fabulosam esse Nicephori relationem de Agnoëtis lib. 18. hist. Eccles. c. 50. præter veterum autoritatem satis evincit primò quod ait Themistium Philosophum sub Valente Imperatore hæresis Agnoëtarum autorem extitisse, cùm Themistius ille Philosophus Ethnicus fuerit, & Themistius Agnoëtarum autor fuerit Diaconus Timothei Alexandrini Corrupticolæ circa annum Domini 531. Secundò quod Nicephorus ait Arianorum errorem ab Agnoëtis resumtum esse, & tamen soli humanitati ignorantiam secundum Agnoëtas tribuit, secum pugnat; neque enim Ariani concedebant Verbum omnia nosse, neque aliun-

de

de Verbi & Patris inæqualitatem, quàm ex ipsius Verbi secundum Deitatem ignorantia, aliisque inferioris conditionis argumentis astruere satagebant. Tertiò Nicephorus ait Severum fuisse hæresis Agnoëtarum renovatorem, quem Diaconus Liberatus scribit præcipuè restitisse Themistio Agnoëtarum autori.

Nisi solus Pater. In Patre comprehendit & Filium, inquit Hier. tota quippe individua Trinitas *unius est cognitionis*, ut loquitur S. Ambr. in cap. 17. Lucæ. Itaque Christus scientiam, quam secundum humanitatem non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc se cum Angelis, qui creaturæ sunt, habere denegavit; sed quia secundum Deitatem consubstantialis est Patri, ejus Deitas seu natura, quâ est super Angelos, habet ut hoc sciat quod Angeli ignorant.

37. *Sicut autem in diebus Noë*, &c. Non eodem loco & tempore id narrant à Christo dictum Matth. & Luc. vel quia bis idem à Christo dictum fuit, vel alteruter ordinem temporis non servat.

Comedentes, &c. Id est, voluptatum illecebris æstuantes.

40. *Tunc duo erunt in agro.* Supple, hîc & versu sequenti, nihil minus quam de die judicii cogitantes. Expunxit Clemens VIII. ex præsenti versiculo has voces: *duo in lecto, unus assumetur & unus relinquetur*: existimans eas ex Luca hùc translatas, quæ tamen in Sixti V. editione & in multis codicibus tam Græcis, quàm Latinis hîc quoque habentur.

Unus assumetur. Id est, sursum rapietur ad Filium hominis, ut indicat Lucas c. 17. v. 37. Per Christi conclusionem de quibusdam hominum generibus, quæ hîc & Luc. 17. per similitudines proposita leguntur, discimus omnem professionem in Ecclesia habere fictos, & in quocumque genere vitæ, quod habet aliquam professionem, nec omnes inveniri probos, nec omnes inveniri reprobos, ut egregiè suo more monet Aug. Conc. 1. in Psal. 36. in exposi. Psal. 99. & in Psal. 132. *Proinde ad quamcumque professionem te converteris, para te pati fictos: alioquin si te non paraveris, invenies quod non sperabas, & deficies, aut perturbaberis.* Ita Aug. Conc. 1. in Psal. 36.

Unus relinquetur. Id est, non rapietur.

41. *Duæ molentes*, &c. Molere opus erat mulierum, ut patet passim ex Scriptura. Molendinum putat Aug. locis mox citatis dictum mundum istum, quia rotâ quâdam temporum volvitur, & amatores suos conterit; molentes verò, qui devincti in sæculo, circuitu rerum temporalium, tanquam molâ detinentur.

42. *Vigilate ergo*, &c. Jam dictum est in præcedentibus moris esse Matthæo simul conjungere quæ ad eandem doctrinam pertinent, licèt alio loco & tempore dicta. Quare quæ inseruit de servo bono & malo præsenti sermoni Christi de judicio, videntur dicta eo loco & tempore, quo referuntur à Luca c. 12. v. 39.

44. *Estote parati.* Explicat Christus quid intellexerit, dum nobis vigilandum esse dixit.

45. *Quis putas est fidelis servus.* Græcè, *quisnam est fidelis servus.* Alludit Christus ad Patremfamilias, qui peregrè proficiscens, unum ex famulis toti familiæ præficit. *Vox Dominica adeò rarum negotium esse demonstrat, ut quis bene Ecclesiæ Dei præsit, ut etiam Christus dubitabundâ oratione usus fuerit, dicens, Quis est fidelis, &c.* Isidor. Pelusiota lib. 3. Epist. 145.

Prudens. Id est, sapiens, *qui*, ut B. Hier. loquitur, *noverit, quando debeat proferre sermonem.*

Ut det illis cibum in tempore. Non ut subditorum corda in sui amorem & propriam laudem convertat, sed ad utilitatem domesticorum præficitur unus è famulis toti familiæ, unicuique opportunè ministraturus pro modo capacitatis uniuscujusque, quod Lucas significat c. 12. v. 42. per tritici mensuram. Auctore Donato in Terentianum Phormionem Act. 1. sc. 1. v. 9. servi quolibet mense quaternos modios accipiebant, idque demensum est appellatum à demetiendo. Ad hanc consuetudinem alludere videntur & Lucæ & Matthæi locutiones præsentes.

47. *Super omnia bona sua constituet eum.* Id est, non solùm super famulitium, sed quia fidelitatem ejus expertus est, super omnes divitias suas penè parem sibi constituet eum.

49. *Manducet autem & bibat.* Id est, comessationibus & voluptatibus vacet.

51. *Dividet eum.* Id est, separabit eum à corsortio ceterorum servorum, & ab officio ipsi credito amovebit.

Partémque ejus ponet cum hypocritis. Id est, sortem ipsi dabit, qualem daturus est impiis, qui Hebraicâ proprietate hypocritæ vocari solent, ut patet Job 8. v. 13. Unde Luc. pro, *cum hypocritis*, habet, *cum fidelibus.*

CAPUT

CAPUT XXV.

1. *Tunc.* Scilicet, cùm advenero judicaturus vivos & mortuos.

Simile erit regnum cælorum. Id est, Ecclesia mea ex hoc mundo collecta similis erit decem virginibus. Hæc parabola sumta est ab antiquo ritu, quo sicut sponso juvenes, ut dicitur Judic. 14. v. 11. ita sponsæ honoris causà virgines addebantur, quæ ipsà nocte nuptiarum in sponsæ ædibus expectabant adventum sponsi; & accenso lumine prodibant obviàm sponso venienti in domum sponsæ, ut ipse eam inde cum virginibus lumen præferentibus in ædes suas vel aliam convivii domum duceret, ubi noctu pro more nuptiarum pompa celebrabatur. Hinc ortum habet Latina phrasis, *ducere uxorem.* Itaque ad rem significatam transeundo, virginum decem nomine significantur omnes profitentes catholicam fidem integram, nec apertè Ecclesiæ rebelles.

Et sponsæ. Hæc verba desunt in textu Græco, & aptiùs quidem tum ad parabolam, ut ex mox dictis liquet, tum ad rem significatam; certum est enim per sponsum significari Christum. Eatenus tamen & sponsæ ibatur obviàm, quia illa per virgines ad ædes sponsi deducenda erat. Designatur autem per sponsam Ecclesia triumphans.

2. *Quinque autem ex eis erant fatuæ.* Fatuitas virginum in eo sita erat, quòd in vasis suis, id est, in cordibus aut conscientia non sumserant oleum secum, id est, charitatem non erant amplexæ, quæ reliquis virtutibus supereminet, ut liquoribus supernatat oleum, fidémque quasi lampadem ardere facit, lætitiam in conscientia parit, & ad omne opus bonum instimulat.

5. *Moram autem faciente sponso.* Id est, Christo adventum suum ad judicium differente.

Dormitaverunt. Id est, ægrotaverunt. Ægritudo autem dicitur dormitatio, quia tendit ad mortem, quæ dicitur dormitio juxta illud 1 Thess. 4 *De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres:* id est, de his, qui mortui sunt.

Dormierunt. Id est, occubuerunt. Ut enim ait Augustinus Sermone 23. de verbis Domini, ubi præsentem parabo-

lam accuratè explicat, *Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur.*

6. *Mediâ autem nocte.* Id est, horâ inexpectatâ.

Clamor factus est. Nempe vocis illius magnæ, de qua diximus capite præcedente v. 31.

8. *Lampades nostræ extinguuntur.* Fatuæ virgines, quæ aliàs bona sunt operatæ ut hominibus placerent, & ab his laudes haberent, jam laudibus humanis deficientibus, lampades earum extinguuntur, & quærunt à prudentibus ut sibi accommodent oleum suum, seu ut suâ charitate sibi subveniant.

9. *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Hac voce significant prudentes virgines quantus tremor sit futurus etiam in ipsis justis, quando judex est venturus cuncta strictè discussurus. *Quis* enim *potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Prov. 20.

Ite potiùs, &c. Hæc est responsio non consulentium, sed subsannantium. Quasi dicerent, Olim tempus erat parandi olei, non modò; ite nunc ad eos, quorum vel gratiam vel laudem quærebatis, ut lampades haberetis accensas.

10. *Dum autem irent emere.* Id est, dum anxii essent de remedio.

Venit sponsus. Scilicet ad domum sponsæ.

14. *Sicut enim homo peregrè proficiscens.* Causalis particula *enim* indicat hanc parabolam eòdem omnino spectare, quò parabola de decem virginibus, ut nimirum, dum horam ultimam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur, vigilantes tanquàm rationem Deo reddituri. Est autem hæc parabola talentorum valde similis parabolæ minarum, quæ refertur à Luca Capite 19. & eundem scopum habet, licèt alio tempore & loco & occasione dicta, & in quibusdam circumstantiis narrationis diversa sit.

Unicuique secundum propriam virtutem, Græcè, *potestatem.* Præclarè autem pro more suo Scholæ Angelus Thomas 22. q. 24. art. 3. ad 1. *Illa virtus secundum quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam accipientis: sed hanc etiam dispositionem vel conatum prævenit Spiritus-Sanctus movens mentem hominis, vel plus, vel minùs, secundum suam voluntatem: unde & Apostolus dicit ad Coloss. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

21. *Euge serve bone.* *Sicut sunt duo timores, qui faciunt duo genera timentium, sic duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servientium. Est timor quem perfecta charitas foras mittit, &*

est

est alius timor castus permanens in seculum seculi. Illum timorem, qui non est in charitate, attendebat Apostolus cùm dicebat: Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore. Iterum autem timorem castum attendebat, cùm dicebat: Noli altum sapere, sed time. In illo timore, quem foras charitas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda; utrumque enim junxit Apostolus, hoc est, servitutem & timorem, dicendo: Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore. Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur & Dominus dicens: Jam non dicam vos servos, &c. Hic autem, ubi dicitur, Euge serve bone, &c. manifestum est illum significari servum pertinentem ad timorem castum, qui permanet in seculum seculi. Itaque miro quodam & ineffabili, sed tamen vero modo, servi non servi esse possumus; servi scilicet timore casto, ad quem pertinet servus intrans in gaudium Domini sui: non servi autem timorem foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. Ut autem tales servi non servi simus, Dominum facere scimus; hoc autem servus ille nescit, qui nescit quid faciat Dominus ejus, & cùm aliquid boni facit sic extollitur quasi hoc ipse faciat, non Dominus ejus, & in se, non in Domino gloriatur, cùm se ipse deceperit, quia sic gloriatur, quasi non acceperit. Aug. Tract. 85. & 89. in Joan.

Intra in gaudium Domini tui. Quia nimirum Deus major est corde creato, continens autem debet esse contento majus: idcirco in gaudium Dei nos intramus, non verò gaudium Dei in nos intrat, ut explicat autor commentarii sub nomine Divi Thomæ in Matthæum. Eandem expositionem amplectitur ipse Divus Thomas 22. q. 28. art. 3. in fine corporis articuli, quamvis *intrare in gaudium Domini* simpliciter explicet B. Hilar. Can. 27. in Matth. *in honorem gloriæ Christi recipi.* Et Chrysostomus Hom. 79. in Matth. *universam beatitudinem assequi*, & apud eumdem autor operis imperfecti Hom. 53. *non spectatorem tantùm beatitudinis esse, sed possessorem.*

23. *Quia super pauca fuisti fidelis*, &c. *Pauca bona sunt omnia præsentis vitæ, quamlibet multa esse videantur, comparatione retributionis æternæ. Sed tunc fidelis servus super multa constituitur, quando devictâ omni corruptionis molestiâ, de æternis gaudiis in cœlesti sede gloriatur. Tunc ad sui Domini gaudium perfectè intromittitur, quando in æternam illam patriam assumtus atque Angelorum cœtibus admixtus, sic interiùs gaudet de munere, ut non sit jam quod exteriùs doleat de corruptione.* S. Greg. Mag. Hom. 9. in Evangelia.

24. *Scio quia homo durus es*, &c. *Verè quod scriptum est: Ad excusandas excusationes in peccatis: etiam huic servo contigit, ut ad pigritiam & negligentiam, superbiæ quoque crimen accederet. Qui enim simpliciter debuit inertiam confiteri, & orare patremfamiliâs: è contrario calumniatur & dicit se prudenti feciſſe consilio, ne dum lucra pecuniæ quæreret, etiam de sorte periclitaretur.* B. Hier. Nempe ut advertit Aug. Tract. 8. in cap. 4. Epiſt. S. Joan. *Perversi homines quod faciunt benè, vitium sibi tribuere: ſi malè faciunt, Deum volunt accusare.*

26. *Respondens autem Dominus*, &c. Retorquet Dominus in condemnationem servi, qui per pigritiam noluit duplicare talentum, quod attulit ipse in sui excusationem calumnians Domino per malitiam.

Meto ubi non semino, &c. *Deus nihil requirit ab homine, niſi bonum quod ipse in nobis seminavit: Et ideo verbum illud vel intelligitur ſecundum pravam existimationem servi pigri, qui existimavit ſe non ab alio accepiſſe: Vel intelligitur quantùm ad hoc quòd Deus requirit à nobis fructus donorum, qui ſunt & ab eo & à nobis: Quamvis ipſa dona à Deo ſint ſine nobis.* D. Thom. 22. q. 62. art. 4. ad 3.

27. *Cum uſura.* *Uſura metaphoricè accipitur pro ſuperexcreſcentio bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus volens ut in bonis acceptis ab eo ſemper proficiamus, quod eſt ad utilitatem noſtram, non ejus.* D. Th. 22. q. 78. ar. 1. ad 1.

28. *Tollite*, &c. Q. d. Servum, qui facere bona opera neglexerit, ſpoliate omnibus Spiritus-Sancti donis, & ſimilia dona date ei, qui habet decem talenta, non ad fructificandum in aliis, ſed ad gaudii, honoris, & gloriæ cumulum.

Omni enim habenti. Scilicet Dei dona, eſſque benè utenti.

Qui non habet. Scilicet bonum Dei donorum uſum.

Quod videtur habere. Nempe ſibi vel aliis.

30. *In tenebras exteriores.* Q. d. Extimas ſeu extremas, id eſt, profundiſſimas tanquam à regni cœleſtis luce remotiſſimas.

31. *Cùm autem.* Jam deſcribit Chriſtus formam, quâ rationem à prædictis ſervis ſit exacturus.

Sicut paſtor ſegregat oves ab hœdis. Alludit Chriſtus ad illud Ezech. 34. v. 17. *Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum & hircorum*, Hebraïcè, *inter arietes & hircos.* Electos igitur comparat Chriſtus cum ovibus, reprobos verò cum hircis. Et licèt ovibus & capris multæ ſint communes dotes, & non pauca communia vocabula; utrumque enim ſæpè Homerus nomine

nomine μόλωνcomplectitur, utrumque indifferenter significatur nomine collectivo צאן, de singulis utriusque individuis dicitur nomen שה, & utriusque pellis dicitur ῥάκος & μηλωτή, &c. tamen scribit probatissimè Theodoretus in Exod. q. 24. quòd cùm Lex dicit victimam Paschalem tollendam ex ovibus, vel ex capris, intendit ut qui ovem habet, eam immolet, & qui ove caret, hœdum. Unde cùm Christus nobis proponatur innumeris locis sub agni typo, & nominatim sub typo agni Paschalis, ne semel quidem illum hœdi nomine insigniri videas, quo in præsenti loco insigniuntur reprobi propter libidinem, quâ, si Chrysostomo credimus, fervet præ ceteris animalibus; propter rixas & gulam, ob quam non rectâ viâ sed per præcipitia solent incedere; adde in primis propter fœtorem & immunditiam vitæ.

34. *Tunc dicet. Nempe mentaliter, non vocaliter; totum enim judicium illud posstremum, & quoad discussionem & quoad accusationem malorum & commendationem bonorum, & quoad sententiam de utrisque mentaliter perficietur; si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur, sicut etiam Aug. dicit lib. 20. de Civ. Dei c. 14. Quòd si liber, ex cujus scriptura omnes judicabuntur, carnaliter cogitetur, quis ejus magnitudinem, aut longitudinem valeat æstimare, aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scripta sunt universæ vitæ universorum? Non autem minus tempus requiritur ad narrandum ore tenus singulorum facta, quàm ad legendum, si essent in libro materiali scripta.* D. Th. in Supp. q. 88. ar. 2.

Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Omnes corporales promissiones, quæ in præmium promittuntur Sanctis in sacra Scriptura, sunt metaphoricè intelligendæ, secundum quòd in Scripturis solent spiritualia per corporalia designari, ut ex iis quæ novimus, ad desiderandum incognita consurgamus. Sic per cibum & potum Luc. 10. intelligitur delectatio beatitudinis; per divitias Matth. 6. sufficientia, quâ homini sufficiet. Denique per regnum, exaltatio hominis usque ad conjunctionem cum Deo. D. Th. 12. q. 4. art. 7. ad 1.

41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Quia ignis est maximè afflictivus, propter hoc, quod abundat in virtute activa, ideo nomine ignis omnis afflictio designatur, si sit vehemens. Unde hinc inferri non potest quòd damnati inferno solâ pœnâ ignis affligantur.* D. Th. in Supp. q. 97. art. 1. ad 1.

Qui paratus est diabolo. Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinavit, ad supplicium justum non ad opus injustum, ad pœnam non ad culpam, ad punitionem non ad transgressionem;

ad

ad interitum, quem ira justi judicis peccantibus reddit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. B. Fulg. lib. 1. ad Monimum c. 26.

42. *Esurivi, &c.* Ponuntur definita opera misericordiæ pro indefinitis. Inculcat enim Christus quodvis misericordiæ opus seu corporale seu spirituale proximo exhibitum, quasi in se ipsum fuisset collatum, in judicio remuneratum iri, & è converso quodvis misericordiæ opus minimo ex suis discipulis denegatum in judicio non minoribus punitum iri suppliciis, ac si fuisset sibi ipsi denegatum.

Enim. Hæc particula causalis non refertur ad præparationem regni, sed ad possessionem; si enim ratio præparationis regni redderetur, Christus dixisset, Venite & possidete regnum vobis paratum à constitutione, id est, ante constitutionem mundi: eram enim esuriturus, & vos mihi daturi eratis ad manducandum. Quod ipsum etiam perspicuè probat altera sententia, quà reprobis dicitur, *Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ubi certè particula causalis debet referri ad hæc verba, *Discedite à me*, non verò ad ista, *Qui paratus est diabolo & angelis ejus*, cùm diabolo, quem Scholastici *Luciferum* appellant, & angelis ejus ignis æternus non fuerit paratus, quòd homines reprobi non fecerint aut facturi essent opera misericordiæ. Præclarè itaque S. Greg. Mag. in Ps. 7. Pœnitentialem ait: *Aliud est secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quòd secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ in qua cum Deo, & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cùm Apostolus dicat: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Quanquam & ex hoc quoque misericordia jure possit nominari sanctorum felicitas, quia pro illis operibus datur, quæ sine præventu misericordiæ Dei nemo adsequitur. Unde in Psalmis dicitur: Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conversatio sancta discerneret, neminem à pœna perpetuæ mortis justitia propria liberaret. Constat ergo, quia quibus misericorditer tribuit, ut in hac vita benè operentur, eis misericordiùs largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc est gratia quam pro gratia dandam Sanctis Dei Apostolus perhibet, ut quibus in hac vita divinitùs datur gratia sanctificationis, eis en hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis.* Hinc & Augustinus

ſtinus in libro aureo de gratia & lib. arb. c. 8. *Vita bona noſtra nihil aliud eſt quàm Dei gratia: ſine dubio & vita æterna, quæ bona vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodò gratia eſt, hoc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia, ut verum ſit quoniam verum eſt, quia reddet unicuique Deus ſecundum opera ejus.* Ibidem c. 9. *Dixit Apoſtolus, Gratia autem Dei vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro: cùm priùs dixiſſet, Stipendium peccati mors. Meritò enim ſtipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Ubi cùm poſſet dicere, & rectè dicere, Stipendium autem juſtitiæ vita æterna: maluit dicere, Gratia autem Dei vita æterna: ut hinc intelligeremus non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere. De quo in Pſalmo dicit homo animæ ſuæ, Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Nunquid non corona bonis operibus redditur? ſed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum eſt, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, ideò dixit Pſalmus, Coronat te in miſeratione & miſericordia: quia ejus miſeratione bona operamur, quibus corona reddetur.* Unde idem Auguſtinus in libro de gratia Chriſti capite decimo ſic loquitur de Pelagio: *Gratiam iſtam aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo, non ſolùm promittitur, verùm etiàm creditur & ſperatur, nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur, nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur. Non enim omnium eſt fides, qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cælorum pollicentem, aut omnibus perſuadetur, quibuſcumque ſuadetur, ut veniant ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis: Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur ut ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtravit, ubi ait, Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Et paulò pòſt, cùm de non credentibus loqueretur, Dixi, inquit, vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.*

In vitam æternam. Beatitudo Sanctorum dicitur vita æterna: quia per hoc quod Deo fruuntur, efficiuntur quodammodo participes æternitatis divinæ, quæ excedit omne tempus: Et ita continuatio beatitudinis non diverſificatur per præſens, præteritum, & futurum: Et ideò beati non habent ſpem de continuatione beatitudinis, ſed habent ipſam rem; quia non eſt ibi ratio futuri. D. Th. 22. q. 18. ar. 2. ad 2.

CAPUT

CAPUT XXVI.

2. *Pascha fiet.* Nempè à Judæis. Quâ ipsâ mente dicitur Marc. 14. v. 1. *Erat autem Pascha & Azyma post biduum.* Pascha nomen est Chaldaicum, ut rectè notat Philo lib. 3. de vita Mosis. Sed Hebræis idem est פסח *Pesach* à radice *Pasach*, quod est διαβαίνειν transgredi, vel ὑπερβαίνειν prætergredi. Unde Hebræum *Pesach* Josephus διαβασία reddit, & Philo διαβατήρια. Ita etiam Origenes lib. 8. contra Celsum. Proinde Gregorius Nazianzenus hoc idem festum διάβασιν vocat Oratione 43. & ἑορτὴν διαβατήριον Epistolâ 58. ad Helladium, voce Græcis non ignotâ. Lacedæmone enim τὰ διαβατήρια dicebantur sacrificia pro transitu, id est, pro felicî expeditionis progressu; quibus si non esset litatum, expeditio in aliud tempus rejiciebatur. Hoc verbo utuntur non semel Xenophon & Thucydides. In Græca versione veteris Testamenti Hebræum *Pesach* ubique redditur Pascha, si excipias secundum Paralip. ubi ea vox decies occurrit & semper redditur *Phasee*: quod cùm Theodotionis proprium esse dicatur, jure quidam suspicantur ipsum esse autorem versionis dicti libri 2 Paralip. Vulgatus interpres constanter, si unum aut alterum locum excipias vertit *Phase*. Ceterùm Pascha dicitur primò Angeli percutientis primogenita Ægyptiorum transultus super Israelitarum ostia, cùm postes eorum videret sanguine agni tinctos, ut dicitur Exod. 12. v. 32. Secundò dicitur Pascha solemnitas Azymorum, in qua occidebatur agnus Paschalis in memoriam transultûs Angelici mox dicti. Hinc Luc. 22. v. 1. *Appropinquabat*, inquit, *dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Hinc παχαλικὸς nonnullis dicitur, qui festorum observationi maximè est addictus. Tertiò Pascha dicitur Agnus paschalis; sic Luc. 22. v. 7. *Venit autem dies Azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* Quartò Pascha dicuntur omnia sacrificia per septiduum solemnitatis Azymorum offerri solita. Sic Deut. 16. v. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus.* Qui certe locus non potest intelligi, quasi præciperetur ut Deo immolentur Agnus Paschalis & aliæ victimæ de ovibus & de bobus; alioqui Moses dixisset He-

Hebraicè, Immolabis Deo Paſcha, oves & boves, vel immolabis Paſcha oves & boves Domino Deo tuo, non verò, ut habetur in textu Hebræo, *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, oves & boves*, ut Paſcha ſit veluti genus ad oves & boves, quomodo in ſimili locutione Exod. 20. v. 24. *Holocauſta & Pacifica* ſunt veluti genus ad oves & boves. Itaque in loco laudato Deutronomii *Paſcha* vocantur oves & boves, quæ Paſchalibus feriis in pacifica ſacrificia mactare moris erat; hâncque expoſitionem confirmat, quod in veritate Hebraica poſt laudatum verſum habetur, *Septem diebus comedes azyma cum eo*, id eſt, cum Paſchate; neque enim per ſeptiduum cum agno comedebantur azyma, ſed illâ ſolùm horâ, quâ comedebatur agnus. Rabbi Moſes Majemonides in tractatu de oblatione Paſchatis cap. 10. per Paſcha loco citato Deuteronomii vult intelligi חגיגה diei decimæ quartæ, id eſt, victima vel pars victimæ unà cum Agno Paſchali menſæ imponi ſolitæ, cujus eſus poterat in poſterum diem differri, ut pacificorum omnium Levit. 7. v. 16. & c. 19. v. 6. Quemadmodum autem in laudato Deuteronomii loco ex Rabbinis & ipſa inſpectione loci conſtat, quòd quævis victima ſive de ovibus ſive de bobus per ſeptiduum azymorum offerri ſolita dicitur *phaſe* ſive *Paſcha* ſine addito, ſic Joan. 18. v. 28. Judæi pollui timentes ne prohiberentur ab eſu victimæ Paſchalis pacificæ, quia res ſanctas comedere iis non licebat, qui legali immunditiâ erant quoquomodo polluti, ut habetur Levitic. 7. & 21. &c. Judæi, inquam, illi dicuntur non introiiſſe Prætorium *ne contaminarentur, ne comederent Paſcha.* Sunt qui ibi per *Paſcha* intelligunt azyma, ſed præter Scripturam & uſum Hebræorum. Victimas verò omnes per ſeptiduum azymorum offerri ſolitas dici *Paſcha* ſine addito, præter hactenus dicta confirmat Rabbinorum authoritas, & inſuper ſiquis contentioſus non eſt, id colliget ex 2 Paralip. 3. v. 22. c 35. v. 7, 8, & 9. & lib. 3. Eſdræ 1. v. 8, & 9. atque hæc ſint dicta de acceptione vocis *Paſcha*, *phaſe*, *peſach*, *phaſec* ſecundum uſum Judæorum. Jam apud Chriſtianos Paſchæ vox nonnumquam ſumitur pro quolibet feſto in honorem Salvatoris inſtituto. Ita Lucas Patriarcha Conſtantinopolitanus ſub Emmanuele Comneno, lib. Senten. Synod. Sent. 9. Cùm nobilis quidam Græcus, jurejurando vovisſet, ſe, unâquâque feriâ tertiâ, carnes non comeſturum in honorem B. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Chriſti, atque feſtus dies Nativitatis Chriſti incidiſſet in feriam tertiam, quæſivit Imperator Byzantinus an jusjurandum iſtud ſervandum eſſet, & Dominicum feſtum quod eſt Paſchale, non lætè & jucundè

ut

ut par est celebrare. Respondet Lucas Patriarcha & Synodus quæ aderat, non esse jejunandum Paschali Christi festo. Illud ratione celebrationis Cœnæ Dominicæ dictum videri debet, cùm & B. Chrysostomus suos ad frequentiorem S. Eucharistiæ perceptionem cohortans, Pascha, id est, festum diem sacræ communioni idoneum sæpiùs occurrere dicat variis in locis, præsertim Homil. de jejunio primi Paschæ, scribit Pascha non esse jejunium, sed sacrificium (laudis scilicet) quod fit in unaquaque Synaxi. Pascha etiam vocatur ipsa Quadragesima beato Timotheo Patriarchæ Alexandrino interrogat. 8. & Pelagio Pontifici Romano in Epist. ad Laurentium Episcopum Centumcellensem. Concil. Tollet. VIII. cap. 9. Quadragesimam appellavit festa Paschalia, vel quia per Quadragesimam disponuntur Christiani ad sanctè celebrandam Paschæ festivitatem, vel quia Pascha derivabant nonnulli à verbo πάσχειν, quod est pati, quasi Pascha significaret Passionem, cujus commemoratio celebratur tempore Quadragesimæ. Hæc dicta sint de nomine Paschæ. Verùm ut redeamus ad textum Evangelicum, útque seriem historiæ Passionis Christi accuratè teneamus, sciendum quòd secundum Legem dies decimus quartus primi mensis Agno Paschali immolando ita erat assignatus, ut qui illo die immundi erant, aut in locis ab urbe Hierosolymitana tam dissitis, ut ad eam maturè se conferre non possent, hoc est, secundum Rabbinorum expositionem, qui die decimâ quartâ mensis, orto jam sole distant ab urbe Jerusalem quindecim milliaribus, vel ampliùs, seu ut exponit Philo lib. 3. de vita Mosis, qui peregrinationis ergò sunt in regione à Judæa procul diffita, iis Num. 9. indicitur Pascha immolandum die decimâ quartâ secundi mensis inter, id est, intra duas vesperas, quas complectitur tempus, quod ab hora sesqui duodecima diurna fluit ad solis occasum, intra quod spatium etiam mactabatur juge sacrificium, accendebantur lampades & fiebat suffimentum, Exod. 29, & 30. Præstaret itaque à Paschatis celebratione ad tempus abstinere, quàm illud observare tempore non suo. Hinc & inter Jeroboami peccata hoc recensetur, quòd solemne festum celebravit mense, quem finxerat de corde suo, 3 Reg. 12. v. 32, & 33. id est, ut habet Chaldæus Paraphrastes, בְּרַעֲוָתֵיהּ, *arbitrio suo*. Hinc & tempore Ezechiæ Regis 4 Reg. c. 16. cùm non esset satis temporis à primo regni ipsius anno ineunte cum mense primo, ut Templum à patre suo Achaz prophanatum, Sacerdotes, Levitas & populum ipsum repurgaret, ante diem ejusdem primi mensis נִיסָן decimum quartum; Templi enim

cori-

consecratio absolvi non potuit ante diem decimum sextum ejusdem mensis 2 Paralip. 29. necdum sanctificati fuerant Sacerdotes ad sufficientem numerum, nec populus poterat Jerosolymam convocari 2 Paralip. 30. Paschatis celebratio universo populo differenda erat in decimum quartum diem secundi mensis. Unde qui volunt Christum celebrasse Pascha alio die, quàm ceteri Judæi, ansam ipsis præbent Christum redarguendi, quòd Legem transgressus Pascha celebraverit die quem finxerat ex corde, seu arbitrio suo, & proinde secundum Legem debuerit mori, quod ipsi Judæi, nec per falsos testes evincere poterant.

3. *Tunc.* Id est, sub idem tempus, quo Christus mortem suam prædixit, nempe ut ait Augustinus in Epist. 86. ad Casulanum Presbyterum, *Quartâ Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant.*

4. *Ut Jesum dolo tenerent.* Quia ut ait Lucas, *timebant plebem*, ne scilicet si apertà vi eum caperent, seditio populi Jesum amantis contra se oriretur.

5. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret.* Græcè *fiat.* Unde secundum textum Græcum verba sunt Judæorum, secundum textum Latinum verba sunt Evangelistæ reddentis rationem cur Judæi noluerint primò ipsum interficere in solemni Paschatis die. Sed nemo mirabitur eos, qui à Christo mortis tradendo nunquam ipsâ festi religione, sed solo populi metu fuerant deterriti, posteà ab hoc consilio discessisse oblatâ per Judam occasione. Neque id sine Numine; ita enim factum est, ut Christi mors plures haberet testes, & in ipsum Paschæ festum incideret, ut vel hinc Christum sciremus per Paschalem Agnum fuisse adumbratum. Judæi ergo vesperâ Paschatis statim post esum Agni Paschalis violento impetu in Christum irruerunt, eodem spiritu acti, quo proditor Judas, qui Paschate jam modò cum Christo celebrato, tam scelerate cohortis se ducem & incentorem præstitit. Sic Cainum à fratricidio non prohibuit sacrificium solemni more nuper oblatum. Adultera mulier post consecratas victimas & vota sua Deo reddita, mox in libidines ruit, Proverb. 7. v. 14, & 15. Zachariam Joiadæ vel Barachiæ filium in ipso Templi atrio prope altare Judæi lapidibus obruerunt, idque, si Hebræis credimus, die propitiationum. Plebeius furor nullos habet limites, maximè cùm religionis velamine obtenditur; quo prætextu in Christum & ejus servos Judæi sæviebant. Unde illud Christi Joan. 16. v. 2. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo:* seu ut habent Syrus & Arabs, *Veniet*

niet tempus quo quisquis vos interfecerit, putabit se oblationem Deo offerre.

6. *Cùm autem Jesu esset in Bethania*, &c. Hæc historia per recapitulationem hîc narratur à Matthæo, ut diximus suprà c. 21. v. 1.

In domo Simonis Leprosi. Sic cognominabatur, fortassis quia olim ipse vel aliquis ex majoribus leprâ laboraverat.

7. *Accessit ad eum mulier.* Hanc Joannes c. 12. Mariam vocat, nempe Magdalenam, cujus soror Martha ministrabat & frater Lazarus unus erat ex discumbentibus cum Jesu.

Habens alabastrum unguenti pretiosi. Supple ex Marc. 14. v. 13. *Nardi spicati.* Id est, unguenti ex spicis nardi, quod præstantissimum erat. Marcus tamen in textu Græco ut & Joannes habent, *nardi pistici*, quod quidam volunt esse idem ac *nardi spicati*, vel errore librariorum, vel latinâ voce à Syris aut à Græcis cum quadam literarum transpositione usurpatâ. Alabaster autem est pixis unguentaria ex alabastrite lapide, ut videre est apud Plinium lib. 36. c. 8. Unguentum autem dicitur mixtura ex liquoribus herbarum odoriferis.

Et effudit super caput ipsius recumbentis. Joannis addit: *Et unxit pedes Jesu & extersit pedes ejus capillis*: Id est, cùm extersisset pedes ejus, eos unxit; primò enim extersit, deinde unxit.

8. *Discipuli indignati sunt.* Dici potest plures indignè tulisse, sed maximè Judam, qui altiori & acerbiori præ ceteris voce de hac unguenti effusione infremuit. Probabilius tamen est solum Judam hoc reprehendisse, ut Joannes notat; Matthæum verò & Marcum discipulis tribuere in genere, quod ab uno eorum factum est, per Enallagen numeri Scripturæ familiarem. Vide quæ diximus c. 2. v. 20. & c. 21. v. 7.

10. *Quid molesti estis huic mulieri?* Joan. 2. v. 7. *Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Q. d. Sinite illam, siquidem unguentum illud *servavit*, quomodo habetur in plerisque codicibus Græcis, ad funerandum me.

12. *Ad sepeliendum me fecit.* Græcè ad verbum, *ad funerandum me fecit.* Hebræis קבר est condire aromatibus corpora defunctorum. Hoc LXX. dicunt ἐνταφιάζειν, *funerare*, *sepelire.*

15. *Constituerunt.* Id est, promiserunt.

Triginta argenteos. Supple, siclos, quanti caput servi æstimatur Exod. 21. v. 32.

17. *Pri-*

17. *Primâ autem die azymorum. Matthæus Evangelista*, inquit Aug. in Ep. 86. *quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vesperâ sequente futura erat cœna Paschalis, quâ cœnâ incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari.* Hinc diserte Marcus ait c. 14. v. 12. *Primâ die azymorum quando Pascha immolabant*, scilicet, Judæi. Hoc igitur contigit die decimâ quartâ mensis אביב. seu ניסן, qui partim Martio, partim Aprili nostro respondet, inter duas vesperas, hoc est, horis pomeridianis, quæ, ut suprà diximus, in duas vesperas dividebantur, quarum unaquæque erat duarum sesquihorarum. Paschales autem agni, ut testatur Josephus lib. 7. de bello Judaico c. 17. mactabantur ab hora tertia nostra pomeridiana usque ad horam quintam vespertinam, quæ hora tertia ex Josephi sententia priorem vesperam à posteriori distinguebat. Hinc cœna Paschalis ad utrumque refertur diem, nempe ad decimum quartum & decimum quintum mensis, quia in utriusque diei confinio comedebatur agnus, & pars una cœnæ præcedebat, altera sequebatur solis occasum & in noctem usque producebatur. Hoc Christo Domino in ultima præsentis diei cœna accidisse colligas non solùm ex Apostolo, qui eum refert, quâ nocte traditus est, sanctissimum cœnæ Sacramentum instituisse, sed & ex Joannis c. 17. v. 30. ubi Judas acceptâ buccellâ statim exivit, cùm jam nox esset, & illum diem appellat idem Evangelista *ante festum Paschæ*, quòd ita scilicet præcedat festum, ut tamen sit pars festi, uti prologus est pars orationis, & progressis pars linguæ; atque ita *ante festum Paschæ* apud Joannem c. 13. idem est ac, in ipso festi exordio. Nam ante occasum solis agnum Paschalem mactari & assari oportuit die mensis *Nisan* 14. ut diserte habetur in *Misna Pesachim* c. 5. & in Majemonide de Paschate c. 1. & comedi in ipso occasu solis ineunte festo diei 15. qui primus erat azymorum. Unde Matthæus, Marcus, & Lucas eandem cœnam Paschalem à Joanne relatam ad vigiliam Paschæ, referunt ad primum diem azymorum, id est, mensis diem 15. Ut enim rectè Gellius, licèt in argumento planè diverso, *tempora duo, cùm inter se opposita sunt, atque ita coherentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.*

Qui verò volunt à Christo anticipatum diem Paschæ, ita ut celebraverit die 13. contra præceptum Legis Deut. 16. v. 6. Judæis dant causam cur innocentes Christum ut prævaricatorem Legis cruci affixerint.

Quidam aiunt Judæos illo anno rejeciſſe ſecundum traditionem ſuam Agni Paſchalis immolationem in diem 15. Lunæ, ne ſolemnitas primi diei azymorum & Sabbatum immediatè ſe ſequerentur; quia Judæi feſtis diebus ab omni opere tam ſcrupulosè abſtinebant, ut continua duo feſta ab illis obſervari non potuerint abſque gravi incommodo. Et verò hodie feſtum azymorum immediatè ante Sabbatum, vel continuò poſt nunquam ſervant. Nam in calendariis ſuis Neomenias ita diſponunt, ut feſti dies cum Sabbato nunquam continui ſint. Atque ut vitent hoc incommodum, canones quoſdam habent de ſuis feſtis, quos accuratè obſervant, puta de Paſchate, ut nunquam incidat in ſecundam, quartam aut ſextam feriam voce בדו ſignificatas.

Sed hi autores refelluntur primò quiá Canones iſti Chriſti tempore nondum erant in uſu. Quin Talmudici libri, qui quinto demum poſt Chriſtum ſeculo abſoluti ſunt, paſſim meminere feſtum, quæ Sabbato continua ſunt. Unde Aben-Ezra in Levitic. 23. ait: *Tam ex Miſna, quàm ex Talmude probatur Paſcha in ſecundam, quartam & ſextam feriam quandoque incidiſſe.* Concinit S. Epiphanius in Ebionæis num. 32. & in Alogis num. 31. Ita Quartodecimanis, qui Paſcha celebrabant iiſdem diebus, quibus Judæi, Paſcha in quamlibet hebdomadis diem incidebat, nullâ excepta, ut videre eſt apud Euſebium l. 5. Hiſt. c. 23. Epiphanium Hær. 50. Auguſtinum de Hæreſ. c. 29. & expreſſius apud S. Philaſtrium in hæreſi de feſto Paſchatis, & Theodoretum hæreticarum fabularum lib. 3. Itaque Judæi tempore Chriſti Neomenias nondum ſuo loco moverant, ne Paſchale feſtum cum Sabbato continuum eſſet. Ut res ſit compertior, ſciendum eſt Judæos, quamdiu ſtetit eorum Reſpublica, non aliter Neomenias & feſta ſua conſtituiſſe, quàm juxta Lunæ apparitiones, ut Rabbinorum doctiſſimus Majemonides diſertis verbis docet in tractatu de conſecratione Neomeniæ c. 5. Sect. 2. & 3.

Refelluntur ſecundò quia dato non conceſſo, veteres illos Judæos, qui extiterunt tempore Chriſti ſtante Synedrio & eorum Republicâ, ferias Paſchales eâ ratione computaſſe, quâ Judæi poſteriores, non licuiſſet tamen alio tempore Paſcha celebrare, quàm quo celebrabat tota gens. Hic ſcilicet locum habere potuit Judaicus Canon: *Cùm domus judicii ſeu Synedrium Neomeniam conſecravit, ſive erret aut in errorem inducat, illa tamen eſt conſecrata: nec quiſquam eſt, qui non teneatur obſervare ſecundum illam diem, licet errorem noverit.* Nam in feſtivitatibus certo tempore celebrandis, non jube-

jubemur præcisè sequi rationes astronomicas, quæ vulgus plerumque latent; sed illorum sequi definitiones, quibus id incumbit muneris, ut Calendariis præsint.

Refelluntur tertio, quia si Pascha à Judæis anno Passionis Christi fuisset rejectum in Sabbatum, ne duo festa essent continua, in idem incommodum incidissent hebdomadâ sequenti, quia septimus azymorum, qui æque festus erat ac primus azymorum, incidisset in Veneris diem hebdomadæ sequentis.

Quidam aiunt ideo à Christo & ceteris Judæis anno Passionis ejusdem Christi Pascha non fuisse celebratum eodem die, quia liberum erat singula festa per duos dies celebrare, cùm de vero tempore, quo deberent celebrari, non esset satis certum. Recentiores enim Judæi propter dubium conjunctionis Lunæ cum Sole Pascha celebrant decimo quinto & decimo sexto *Nisan*. Veteres quoque, siqui erant à Judæa remotiores, binos dies observabant; quia latebat illos, quâ die Jerosolymitani decrevissent celebrare cujusque mensis Neomeniam, ex qua reliqua festa pendebant. Hoc videre est apud Majemonidem in libro de die festo c. 6. Sect. 14.

Refelluntur primo quia Christus Jerosolymis Pascha ultimum celebravit, Jerosolymis autem non potuit esse dissidium, quia quidquid decrevisset Domus judicii de Paschatis celebratione, seu de Neomeniæ consecratione, id omnes sequebantur, nec usquam legitur Jerosolymis aut in Judæa alios uno die, alios altero Pascha celebrasse. Hæc observatio iis quoque est opponenda, qui Judæorum alios putant Neomenias indixisse secundum apparitionem Lunæ, alios verò secundum Lunæ cum Sole conjunctionem, quæ ejusdem Lunæ apparitionem præcesserit integro ut minimùm die, utrumque contendunt potuisse fieri legitimè, cùm Lex non definiat quando inchoanda sit Neomenia, an à conjunctione Lunæ cum Sole, an verò ab ipsius Lunæ apparitione. Christum igitur aiunt eos sequutum, qui à conjunctione Lunæ cum Sole Neomeniam inchoabant, & sic alios, quibus à Lunæ apparitione mensis initium erat, uno die antecessisse in celebratione Paschatis. Verùm hæc omnia gratis dicuntur & sine ullo teste vetustatis. Doctores enim Talmudici, quorum nonnulli seculum Apostolicum proximè attingunt, nihil habent de Neomeniarum indictione à conjunctione Lunæ cum Sole; quæ tamen eos non potuit latere, si tum fuit in publico usu. Præterea si Novi-lunium secundum Legem à conjunctione Lunæ cum Sole fuisset inchoandum, necessaria fuisset Israëlitis Astronomiæ peritia, ut Legi divinæ obsequerentur; at Astronomicæ scientiæ nullum apparet vestigium apud veteres

Israëlitas, & disertè testantur Rabbini Neomenias statutas fuisse ab apparitione Lunæ, sive ad relationem idoneorum testium referentium ad Synedrium sibi Lunam nascentem apparuisse.

18. *Apud te facio Pascha.* Id est, secundùm Legem per Moysem datam hodiè apud te manducare Pascha decrevi. Nam agni Paschalis convivæ jubentur per domos convenire, Exod. 12. v. 3. numerus verò convivarum nec esse poterat infra decem, nec supra viginti excrescere, ut patet, ex Jonathanis Paraphrasi Exod. 12. & ex Josepho l. 17. de bello judaico c. 7. nempe ut astantium unusquisque saltem haberet victimæ Paschalis offulam, vel ut Hebræi definiunt כזית, *quantum olivam.* Est autem Hebraismus Scripturæ familiaris, ut animi propositum per ipsam actionem propositam significet, quem admodum hîc *facio Pascha* ponitur pro *facere decrevi.* Exod. 5. v. 10. *Non do vobis paleas*, id est, decrevi non ampliùs dare. Ezech. 2. v. 3. *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël*, id est, mittere destinavi. Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, id est, non cognoscere decrevi. Luc. 19. v. 8. *Ecce dimidium bonorum do pauperibus, & siquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, id est, dare & reddere constitui.

19. *Paraverunt Pascha.* Id est, agnum Paschalem; ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ ἡ Ἐκκλησία, τότε φησὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν, πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου, *nam Chrysostomus & Ecclesia docent eopse annò*, quo scilicet crucifixus est pro nobis, *Legale pascha perfecisse Christum, antequàm mysticam cœnam institueret*, inquit Photius Bibliothecæ cap. 116. Unde idem Photius Romanæ Ecclesiæ infensissimus, nullam de azymis objectionem movit; quia nimirùm agnovit azymi usum ex prima Eucharistiæ institutione habere autoritatem. Hanc enim ob causam saniores & doctiores quique ex Græcis graviter indignati sunt adversus suos, quòd ea de re Latinis litem moverent, ut probat Allatius in lib. de perpetuo consensu utriusque Ecclesiæ. Hinc iterùm invictum argumentum sumitur contra eos qui volunt à Christo fuisse anticipatum Pascha Judæorum. Nam agnus Paschalis non potuit alibi mactari, quàm in ipso Templi atrio, ubi reliquas victimas mactare moris erat, ut habetur Deut. 16. v. 5, & 6. & Majemonides docet in tractatu de Paschate c. 1. sect. 3. & disertè Exod. 12. v. 23, & 24. agnus Paschalis sacrificium appellatur, ut & alibi passim. Sacrificium autem propriè dictum animalis nullum erat sine aspersione sanguinis per manus Sacerdotum ad altare circumcircà. Quis autem Sacerdotum

id

id officii præstitisset Christo, si alio die celebrasset Pascha, quàm universus populus? Sacerdotes autem solitos spargere sanguinem agni Paschalis habetur disertè 2 Paralip. 30. v. 16. & c. 35. v. 11. Licèt enim plebeiis agnos Paschales mactare per Legem fuerit liberum, modò ne immundities obstaret, ut patet ex 2 Paralip. 30. v. 17. non tamen inde sequitur, quod contendit Philo Judæus in libro de Decalog. & in libro tertio de vita Mosis, Oratorum more rem exaggerans, plebeios die Paschatis Sacerdotum egisse partes, cum per annum in quovis alio sacrificio idem fuerit concessum plebeiis hominibus, ut docent Talmudici in tractatu *Zebachim* capite quinto, & ibidem *Bartenora*, Majemonides in libro de ingressu Sacerdotis in sanctuarium sect. 6. quod patet de holocausto Levit. 1. v. 3, 4, & 5. & de sacrificio pacifico Levit. 3. v. 2. & de sacrificio pro peccato Levit. 4. v. 24. proinde Abrabanel in Leviticum res decem in sacrificio numerat, quarum quinque ad eos attinet, qui victimas offerunt, quinque ad solum Sacerdotem. Ad offerentes attinent impositio manuum in caput victimæ, mactatio, excoriatio, dissectio, extorum ablutio. Ad solum Sacerdotem pertinet Sanguinem in pelvi accipere, eundem aspergere, ignem super altare accendere, ligna digerere, & ordinare partes carnium adolendas. Ex quibus abunde patet in oblatione Paschatis nihil licuisse laicis, quod non eis æquè licuerit in quovis alio sacrificio. Nam ut in aliis sacrificiis, ita etiam in victima Paschali solus Sacerdos sanguinem vel à Levitis, vel à plebeiis acceptum in altare spargebat, ut patet ex 2 Paralip. 30. v. 16. & c. 35. v. 11. & Hebræi omnes etiam Karaitæ, qui nullam traditionem aut constitutionem præter Scripturam admittunt, constanter docent. Solus item Sacerdos extorum victimæ Paschatis adipes in altari adolebat, quod Hebræi omnes asserunt. Hinc Sacerdotes non latebat quot numero essent Paschata, & ut refert Josephus libro septimo de bello Judaïco capite 17. sub Nerone Principe Sacerdotum ut Cestio satisfacerent Judæorum numerum ab iis sciscitanti, responderunt se Paschæ solemni die numerasse Hostiarum viginti quinque myriades & insuper quinque millia & sexcenta. 1 Reg. seu Samuëlis, ut Hebræi vocant, cap. 15. v. 4. in Chaldæa paraphrasi Israëlitas numerasse legitur Saül *per agnos Paschales*. Quod, licèt fabulosum sit, cùm ibi vox Hebræa *Batelaim*, pro qua Vulgatus vertens *quasi agnos* legit *Catelaim*, significet in loco ab agnis denominato Telaim, ut plerique interpretes agnoscunt, quomodo Græcis, Rhene, Arne, Polyrrhenium; hoc

tamen probat ex Chaldæi Paraphraſtis ſententia, qui dicitur eſſe Jonathan, Iſraelitas ſic potuiſſe numerari. Quod ne concipi quidem poteſt, ſi agnum Paſchalem domi ſuæ mactatum quiſque comedit.

Temporis & loci anguſtia fruſtrà nobis objicitur, quaſi inter, ſeu intra duas veſperas, hoc eſt, ab hora ſeſqui duodecima diurna ad ſolis occaſum non potuerint tot agnorum millia ad unum altare ſiſti & offerri. Templi enim atrium latiſſimè patuiſſe docent boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia in Templi dedicatione à Rege Salomone ibi oblata 3 Reg. 8. v. 63. & à reliquo populo ſacrificia ſine numero 2 Paralip. 5. v. 6. Neque parvum fuit altare, quod in ſecundo Templo deſcribit Joſephus lib. 6. de bello Judaico cap. 6. quadratum, tam latum, quàm longum cubitis quinquaginta, id eſt, pedibus ſeptuaginta quinque. In illud autem altare non toti agni Paſchales, ſed ſolùm extorum adipes imponebantur, & ſanguis fundebatur ad baſim; quibus offerendis, ut univerſi tradunt Hebræi, vacabant plurimi & expediti Sacerdotes per horas quatuor, ſi res ita poſtularet, & inſuper Majemonides in tractatu de Paſchate cap. 6. parag. 6. ex Exod. 23. v. 18. agni Paſchalis adipes toti nocte potuiſſe adoleri docet.

Quod autem quidam ex illo Paſchate, qui in Ægypto celebratum eſt, adſtruunt plebeios poſſe immolare domi agnum Paſchalem, gravis eſt allucinatio; nam in Ægypto in propria domo quiſque Iſraelitarum mactavit, quia non licebat alibi, cùm in Ægypto nullum fuerit altare, nec ullus locus, ad quem convenire illi populo fuerit liberum. At poſt exceſſum ex Ægypto res aliter ſe habuit; tum enim non potuit Paſcha alibi mactari, ut dicitur Deut. 16. v. 6. quàm in loco ſacro, quem Deus elegerat, & ad quem Deus juſſerat toties Exod. 23. v. 17. & c. 34. v. 23. ut quotannis venirent mares omnes Paſchatis feſtum celebraturi, ita ut etiam pollicitus ſit ſe Iſraelitarum urbes ab invaſione per miraculum ſervaturum, dum ad feſta ter in anno celebranda in unum locum ſe conferrent, Exod. 34. v. 24. ut apparerent in conſpectu Dei, ſicque ſuas urbes vacuas relinquerent. Similiter cùm in Ægypto Sacerdotes ex populo nondum inſtituiſſet Deus, neceſſe erat laicos Sacerdotum implere locum, ita tamen ut hoc muneris cederet patrifamilias, vel ejus filio majori natu. Quod obtinuit maximè poſt exitum ex Ægypto; tum enim Deus Iſraelitarum primogenitos ex communi clade eximens, novum jus in eos ſibi acquiſivit, Exod. 13. v. 15. Num 8. v. 17. Illos igitur vel redimi oportuit

tuit Exod. 13. v. 13. pretio, nempe quinque siclorum, Num. 18. v. 16. vel Deo consecrari. Atque ut mundarum pecudum fœtus primogeniti victimæ fuere, ita hominum primogeniti Sacerdotum loco habiti sunt, donec iis in deserto recensitis & supra viginti duo millia numeratis, Levitæ, qui ferè totidem reperti sunt, Deus in illorum locum sibi adscivit, & cultui suo dicavit, Num. 3. & 8. Itaque, cùm Sacerdotes, qui ad Deum accedunt, jubentur se sanctificare Exod. 19. v. 22. plerique Sacerdotum nomine primogenitos intelligunt, quia tum nulli erant Sacerdotes proprie dicti. Neque aliter accipitur quod Exod. 24. v. 5. juvenes de filiis Israel Deo leguntur Holocausta obtulisse & pacificas Victimas immolavisse. Unde est quodpro *juvenibus* Onkelos & Jonathan Chaldæi, Saadias Arabs, & Tauvasius Persa habent *primogenitos*. Atque eosmetipsos intelligunt Rabbi Salomon Jarchi, & Rabbi Abraham Aben-Ezra. Quidni igitur pari ratione Pascha in Egypto fuerit administratum aut à patrefamilias aut à primogenitis? At in terrâ Chanaan non id fuisse juris laicis, ut Sacerdotum partes agerent, patet ex dictis.

20. *Vespere autem facto.* Id clarius dicit Lucas 22. v. 14. *Cùm facta esset hora*, scilicet esui Agni Paschalis præscripta, in vespera desinentis diei decimæ quartæ, seu inchoantis decimæ quintæ mensis *Nisan*, seu ut scribit Josephus lib. 3. antiq. c. 10. *Nissan*, ita ut mensi nomen fuerit à bellicis signis seu vexillis, quæ Hebraicè dicuntur *Nissim*. Eadem de causa videtur à Romanis mensis, qui mensi *Nisan* seu *Nissan* partim respondet, fuisse dictus Martius; unde & Hebræi de hoc mense accipiunt quod dicitur 2 Reg. seu Sam. 11. v. 1. *Factum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere.* Quod autem Evangelistæ loquantur de vespera, quâ omnes Judæi eo anno Pascha celebrabant, patet vel ex ipsis verbis Christi ad Judam exeuntem è cœna inchoata *ante diem festum Paschæ*, ut loquitur Joannes c. 13. id est, vigiliâ Paschæ seu decimâ quartâ mensis *Nisan*, cùm jam nox esset, hoc est, inchoaret dies decima quinta ejusdem mensis, quæ est prima solemnitatis azymorum, *Quod facis fac citiùs.* Apostoli enim hæc verba sic acceperunt, quasi eis Christus emi jussisset quàm citissimè, quæ necessaria erant ad festum, quod certè Apostolis in mentem non veniisset, missum Judam scilicet intempestâ nocte ad ea comparanda fuisse, tantâ festinatione, quæ facilè comparare potuisset totâ die sequenti, si festum azymorum non fuisset. Itaque ex ipso Joannis Evangelico textu argumentum sumitur invictum, ut probetur

Christum eâdem die cum cæteris Judæis Paschà immolasse & manducasse; quod qui negant, Christum reum faciunt transgressionis Legis de tempore, & loco Paschæ immolandi præscripto, & insuper Legis de ministris immolando Paschæ assignatis, quos probavimus fuisse solos Sacerdotes; denique Legis de ritu immolandi Agni Paschalis, cùm non potuerit immolari citra generalem populi consensum, juxta illud Exod. 12. v. 6. *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israël*, quem consensum nunquàm Christus obtinuisset, si festivitatem anticipasset. Has transgressiones si Christus fecisset, à Judæis ipsum ut Dominum Legis non agnoscentibus, verè & justè dici de Christo potuisset, *Nos Legem habemus, & secundum Legem debet mori*, maximè cùm Christus ipse professus sit se non venisse Legem solvere. Cùm itaque nemo Catholicus Judæos absolverit ut Christum damnet, meritò venerabilis Beda in lib. De ratione temporum c. 47. ait: *Quòd dominus decimâ quintâ Lunâ feriâ sextâ crucem ascenderit, nulli licet dubitare Catholico.*

21. *Unus vestrùm me traditurus est.* Proditorem designatum Matthæus & Marcus ante, Lucas post mysticæ cœnæ institutionem narrat. Lucæ narrationis seriei favere videtur Joannes.

22. *Nunquid ego sum.* Supple, qui te prodet.

24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Non utique* inquit Bernardus Serm. 35. in Cantica, *si natus non fuisset omninò, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratiâ aut pecus, aut alia quæpiam creatura, quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium.* B. Hier. simpliciter dictum existimat: *Multò melius esse non subsistere quàm malè subsistere.*

25. *Tu dixisti.* Id est, tu es ille traditor. Hîc ergo Christus expressit traditorem, sed ita, ut Apostoli non adverterint, quia fortè submisse loquebatur, ut ait Aug. lib. 3. de consensu Evang. c. 1. & ideò non est hîc propriè notatio proditoris.

26. *Cœnantibus autem eis.* Id est, intra cœnam post lotionem pedum discipulorum & esum Agni Paschalis; tempus enim non actus cœnandi significatur.

Accepit Jesus panem. Azymum scilicet; nam intra septiduum azymorum, cujus initium erat vespera diei decimi quarti finis verò vespera diei vigesimi primi mensis *Nisan*, vetitum fuit non solùm fermentatum comedere, sed & domi habere, idque sub gravi pœnâ, excisionis scilicet ex populo Dei. Refert autem Suidas in voce Ζύμη, ab hora sexta, hoc est,

à

à meridie decimi quarti menſis *Niſan*, ſigno tubâ dato, omnem panem fermentatum, ſiquis apud Hebræos reliquus fuiſſet, igne cremari & penitùs abſumi ſolitum. Hinc & Majemonides in tractatu de ſolemnitate Paſchatis c. 1. Parag. 8. illud Deuteronomii 16. præceptum de non comedendo pane fermentato cum Agno Paſchali, ſic dicit ex Traditione intelligi, ut prohibeatur eſus panis fermentati ex illa hora, quæ ſit ad Agni Paſchalis immolationem idonea, hoc eſt, ex hora meridiana. Nec valet inſtantia Græcorum contra Latinos, ut probent Jeſum accepiſſe panem fermentatum, quòd habeatur Græcè ἄρτον, quæ vox derivatur ab ἀείρειν, *ſuſtollo*; nam Luc. 24. v. 30. ἄρτος dicitur panis azymus, cùm ibi loquatur de pane, quo Judæi veſcebantur in feſtis Paſchalibus. Similiter Levitic. 21. panes propoſitionis, qui azymi erant, in textu Græco per nomen ἄρτος deſignantur, ſicut & ipſi panes azymi comedendi in ſolemnitate azymorum Exod. 12. Unde patet quod nomen ἄρτος indifferenter accipitur pro pane fermentato & azymo. *Licèt verò Dominus Euchariſtiam in Azymo pane omninò confecerit, nequaquam tamen hoc ſuum factum fixit nobis in legem. Reliquit hoc arbitrio ſuorum Apoſtolorum, & ipſis ſuccedentium Epiſcoporum*, inquit verè Chriſtianus Lupus in erudita diſſertatione de Leonis IX. R. P. Actis cap. 6. Plerique Theologi Scholaſtici poſt D. Thomam aiunt univerſam primitùs Eccleſiam azymo uſam in myſteriis; at exortâ hæreſi Nazaræorum, ſeu, Ebionitarum, qui Legalium ceremoniarum jugum Chriſtianis temerè imponebant, pro azymo in univerſa Eccleſia panem fermentatum cœptum adhiberi in Euchariſtiæ uſum. Hac hæreſi extinctâ, ab Occidentalibus priſtinam conſuetudinem reſumtam, ab Orientalibus morem in odium hæreſis Ebionitarum inductum ſemper fuiſſe retentum. Sed nullus legitur apud Veteres, qui hujus mutationis meminerit. Laudant quidem Scholaſtici poſt D. Th. 4. Sent. diſtin. 11. q. 2. ar. 2. quæſtiunc. 3. Leonem primum & Innocentium tertium RR. PP. Sed quod citant, nec in Leonis, nec in Innocentii operibus extat. Quod verò D. Th. 3. p. q. 74. ar. 4. laudat ex Gregorio, ut ratio reddatur tum conſuetudinis Romanæ Eccleſiæ utentis azymo, tum Orientalis fermentatum panem adhibentis, non legitur in ſcriptis Gregorii Magni, ſed quidpiam ſimile legitur in Regiſtro Gregorii VII. R. P. lib. 8. Epiſt. 1.

Ut ut ſit, certum eſt ante annum 867. ſeu ante medium nonum ſeculum cœpiſſe in Occidente uſum azymi ad Euchariſtiæ confectionem. Hoc patet contra Sirmondum in Diſqui-

ſitione

sitione de azymo ex Alcuini epistola 69. ad fratres Lugdunenses, in qua quosdam contendentes in materiam panis Eucharistici mittendum esse salem, hac ratione refellit; quòd *panis qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima.* Alcuinus autem obiit ex paralysi Turonibus die Pentecostes decimo nono Maii anno 804. id est, ante annos sexaginta, quàm Photius pulso Ignatio in sedem Byzantinam intruderetur. Idem patet ex cap. 31. libri primi Rabani Mauri de institutione Clericorum, quem conscripsit anno 819. & proinde plusquam quadraginta annos ante intrusionem Photii mox dictam, post cujus schisma Sirmondus collocat initium usûs azymorum in Ecclesia Latina. Rabani verba sunt: *Panem infermentatum, & vinum aquâ mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis sanctificari oportet.* Aliena autem videtur cujusdam recentioris suspicio locum libri primi Rabani esse depravatum à modernis, quia liber tertius ejusdem operis de constitutione Clericorum editus quædam diversa habet à manuscripto extante in bibliotheca Vaticana, ubi inscribitur Liber de officiis Ecclesiasticis; maximè cùm locus laudatus extet tum in editis, tum in manuscriptis codicibus, ut fidem faciunt duo exemplaria Bibliothecæ Regiæ Parisiis, quorum unum est annorum ferè sexcentorum, alterum octingentorum. Idem etiam insinuat Paschasius Radbertus Abbas Corbeiensis, Rabani æqualis, sed quinque annis mortuus ante ipsum nimirum anno 851. septennio ante ambitum Photii. Dum enim Paschasius Missæ partes ad mores trahit, & azymum trahit in lib. de corpore & sanguine Domini c. 20. ubi & panem Eucharisticum vocat *conspersionem*, quæ definitur à Joanne Genuensi in Catholico *farina per aquam conglutinata sine fermento.* Unde & Haimo Halberstatensis Episcopus in 1 Cor. 5. scribit filios Israël egressos de Ægypto non detulisse inde *fermentatam farinam, sed tantummodò conspersam.*

Certum est secundò Sirmondum deceptum fuisse in eo quòd in Disquisitionis suæ capite tertio negat Leonem nonum & Humbertum Cardinalem, cùm azymorum causam agerent, se perpetui moris præscriptione defendisse. Nam Leo nonus in Epist. 6. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum cognomento Cerularium, *illud*, inquit, *quis non stupeat, quòd post tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis?* Idem in Ep. ad Michaelem eundem & Leonem Acridanum,

Ecce

Ecce jam post mille ac fermè viginti à passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu quâ claruit Deum, mors prætiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Non ergo perpenditis, quantâ impudentiâ dicatur Pater, qui est in cœlis, abscondisse à Principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis sacrificii per dispensationem Unigeniti sui, cui per semet ipsum plenissimè revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis Divinitatis ejusdem Filii sui, &c. Humbertus verò licet non apertè dicat usum azymorum semper viguisse apud Latinos, non obscurè tamen id tanquam indubitatum assumit.

Certum est tertiò Ebionæos non in hoc ab Epiphanio fuisse hæresi notatos, quòd panibus azymis mysteria celebrarent, cùm Epiphanius nusquam azymorum usum, uti hæreses solet, improbet; at improbat eos, qui in altera parte mysteriorum, ut Ebionæi, aquam solam adhibebant, in Hæresi 46. Editionis Petavianæ, in qua hæresis Ebionitarum trigesima est. Præterea Epiphanius referens Ebionæos carnium usum repudiasse, eos confutat exemplo Christi, qui in ultima Paschatis celebratione carnes Agni manducavit & azyma. Quî ergo Epiphanio in mentem venire potuisset, ut hæreseos insimularet Ebionæos in eo, quod Christum Dominum exemplo suo docuisse ipse probat. Incertum est tamen an Ebionæi non reprehendantur ab Epiphanio, quòd præter morem Ecclesiæ Orientalis, in qua vivebant, azymis uterentur, non ut Christum imitarentur, sed ut Judaizarent. Certè Joannis Philoponi tempore, qui vivebat ineunte septimo Ecclesiæ seculo, Ecclesia Orientalis non nisi panem fermentatum ad Eucharistiam conficiendam adhibebat, unde ille malè infert nec à Christo in prima Eucharistiæ institutione adhibitum fuisse azymum. Οὐδὲ, inquit in Disputatione de Paschate, ἄζυμον ἄρτον παρέδωκεν τοῖς ἰδίοις σώμασιν ὁ Χριστὸς, πῶς ἂν οὖν μαθηταὶ ἄνδρες ὁ Χριστὸς ἐποίησε τοῦτο ἐξ ὧν αὐτὸς μὴ ἔσχεν νόμον. Hoc est, Balthasare Corderio Societatis Jesu Theologo interprete, *Neque azymum proprii sui corporis antitypum suis discipulis dedit Christus; nam & hoc etiammum fieret.* De pane Eucharistico hactenus, jam redeamus ad expositionem textûs Evangelici.

Benedixit. Apud Hebræos cibus & potus benedicebatur, seu sanctificabatur per gratiarum actionem Deo omnium bonorum conditori & largitori. Hæc nisi præcessisset, cibus pro prophano habebatur: eâ verò adhibitâ, sanctus, id est,

est, quo vesci fas erat. Hic mos etiamnum apud Judæos perseverat. Hinc quod Matthæus hîc dicit *Benedixit*, Lucas c. 22. v. 19. dicit, *Gratias egit*. Hinc & sacra cœna dicta est *Eucharistia* & *panis Eucharistizatus*, seu, *in quo gratiæ actæ sunt*, apud B. Justinum.

Hoc. Scilicet, frustulum panis à me benedicti & fracti, quod unicuique vestrûm do sumendum manu, & edendum ore.

Est. Non per substantiam quidem, sed per significationem, seu, ut Scholastici loquuntur, sacramentaliter & symbolicè; quomodo *circumcisio est fœdus*, *Agnus est phase*, seu, *pesach*, & *petra erat Christus*.

Corpus meum. Supple, *datum*, δϑὲν ὑμῶν, ex Luc. 22. v. 19. & *fractum* κλώμενον ex 1 Cor. 11. v. 24. id est, morti traditum, & sanguine exhaustum pro expiandis hominum sceleribus. In priori hujus Commentarii editione tribus potissimùm argumentis mihi præjudiciis errorum Romanæ Ecclesiæ præoccupato videbar invictissimè probare transubstantionis figmentum. Primum his verbis proponebam: *Athanasius orat. 3. contra Arianos sic eos increpat, quòd Christum pro vero ac proprio Dei Filio agnoscere detrectarent: Quis cùm Deo suo fidem habeat, loquenti ad eum modum non credat, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui? At nos longè æquiùs Sacramentarios omnes increpamus: Quis cùm Christo suo fidem habeat, morienti & testamentum suum conficienti ac loquenti ad eum modum non credat, Hoc est corpus meum?* Cui transubstantiatio hoc sophismate fuerit persuasum, idem credat necesse est calicem, in quo erat vinum à Christo benedictum, transubstantiari in sanguinem à Christo effusum, aut in novum testamentum, quia Christus jam jam moriturus testamentum suum conficiens accepto calice in quo erat vinum à se benedictum, dixit, *Hic est sanguis meus*, seu, ut habet Lucas, *Hic est calix novum testamentum*. Itaque Christo Filio Dei vivi credendum esse citra omnem hæsitationem profitemur Orthodoxi; at Christo verbis fictitium sensum subjicere horrendum arbitramur esse nefas. Credimus itaque Christo dicenti de pane à se benedicto, & fracto, *Hoc est corpus meum*, &c. Sed res ipsa clamat cum Augustino contra Adimantum cap. 12. quòd *non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui. Sicut de ipso baptismo Apostolus, Consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem. Non ait, sepulturam significamus: sed prorsus ait, Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit.* Aug. Ep. 23. Secundum meum argumentum pro tran-

transubstantiatione sic procedebat: *Hic est Filius, ait Tertul. lib. 4. contra Marcionem, sistit & repræsentat (id est, præsentem exhibet) eum, quem Deus antè per Prophetas promisit. Hoc est, corpus meum similiter verba sunt, quæ sistunt & repræsentant, seu præsentem exhibent carnem, de quâ antè Christus dixerat, Joa. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Verùm quemadmodum Tertullianus de resurrect. carnis cap. 37. Capernaitarum errori ascribit verba Christi Joa. 6. sic accipere, *quasi verè*, id est, corporali manducandi ratione, *carnem suam edendam determinasset*, sic idem lib. 4. adv. Marcionem, *Christus professus*, inquit, *se concupiscentiâ concupivisse pascha suum edere, acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.* Cùm autem vox *repræsentare* semper opponatur rei actu præsentis exhibitioni, si adsit præter accusativum ablativus instrumentalis, ut siquis dicatur, *vultu repræsentare Cæsarem*, meritò Tertullianus lib. 1. contra Marcionem ait de Christo, *Non recusavit panem, quo ipse corpus repræsentat.* Tertium erat argumentum; *Apostolus Gal. 3. v. 15. Testamentorum vult singulas syllabas numerari, ideoque infert, cùm in testamento Abrahæ dictæ sint promissiones, & semini ejus, non verò, & seminibus, quamvis aliàs semen singulariter positum reperiatur pro nomine collectivo multitudinis filiorum, promissiones dictas esse soli Christo, qui pro nobis dignatus est esse Abrahæ semen, seu filius. Dicamus & nos scriptum esse in testamento Christi, Hoc est corpus meum, non verò, hoc est figura vacua, vel virtutis & efficaciæ plena corporis mei.* Verum nullum potest proponi argumentum isto efficaciùs contra transubstantiationem. Cùm enim in testamentis ex Apostolo verba secundùm usitatissimam acceptionem intelligi debeant, quî fieri potest, ut transubstantiatio significetur his verbis, *Hoc est corpus meum*, cùm nunquam & nusquàm vox *est* usurpari soleat pro, *transit, fit, transubstantiatur*: Sed usitatissima est locutio Sacramentalis, qua signum dicatur esse quod significat, quomodò *petra nuncupata est nomine Christi, quem significabat*, ut loquitur Aug. lib. 2. de Trin. cap. 6. Præclarè itaque Facundus Hermianensis Antistes lib. 9. pro defensione trium capitulorum cap. ult. *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus, & sanguinem dicimus; non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quòd in se mysterium corporis & sanguinis contineant. Hinc & Dominus benedictum panem & calicem quem discipulis suis tradidit, corpus suum, & sanguinem vocavit.*

27. *Acci-*

27. *Accipiens calicem.* Cùm Christus id quod erat in calice à se consecrato vocaverit *genimen vitis*, infrà v. 29. & Marc. 14. v. 25. satis declaravit nullam nobis injungi necessitatem miscendi aquam cum vino in sacratissimæ cœnæ celebratione, etsi in calice ab ipso Christo personaliter consecrato fuerit vinum aquâ temperatum, ut vetustissima habet traditio.

Bibite ex hoc omnes. Ergo non sine grandi sacrilegio fideles Laici arcentur à potione calicis.

28. *Hic est enim*, &c. Q. d. Ideò volo omnes & singulos bibere ex hoc calice, quia vinum in eo contentum à me consecratum est symbolum sanguinis mei effusi, seu à corpore meo per mortem separati ad novum fœdus ineundum cum hominibus & vos, aliósque multos ex omni tribu, lingua, populo, & natione salvos faciendos à peccatis suis.

Novi Testamenti. Vox *Testamentum* & voces ipsi respondentes in Hebræa & Græca lingua quamlibet dispositionem & pactionem significare possunt. Propriissimè tamen significant voluntatis decretum de eo, quod post obitum suum quis fieri velit, & consequenter continet promissionem hereditatis; unde & morte testatoris confirmatur Testamentum, ut Apostolus docet in Epist. ad Hebræos c. 9. In Scripturis autem duplicis Testamenti fit mentio, Veteris & Novi; Vetus dictum est, quod ante Novum revelatum fuit, nec propriè Testamentum est, sed potiùs pactum aut fœdus, utpote quod promissionem terrenorum bonorum non absolutam, sed sub conditione implendæ Legis continet, populo eam acceptante, ut videre est Exod. 24. Novum verò Testamentum continet id, quod vetus promittebat, & sicut vetus Testamentum habuit sanguinem vitulorum & ovium, ita novum habet sanguinem Domínicum, cujus effusione ipsum novum Testamentum in Lege & Prophetis promissum, à Christo revelatum & prædicatum sancitur.

29. *Cùm illud bibam*, &c. Transit Christus à significatione vini propriâ ad metaphoricam, ut significet se in beatitudine cum Discipulis inebriandum ab ubertate domûs Dei, hoc est, communicaturum in beatitudine Discipulis suis fruitionem Dei claræ visi, quæ bonum est quod nullum sequetur malum, & satietas quam nulla sequetur fames aut sitis, & deliciis copiosissimis nunquam cessaturis replet animam.

Novum. Id est, mirum, inauditum, non vulgare; hoc sensu Psaltes passim Canticum non vulgare, mirum, inauditum vocat *Canticum novum.* Eodem sensu ait Virgilius Eclogâ 3.

Pollio

Pollio & ipse facit nova carmina ——

30. *Hymno dicto*, id est, absoluto. Ut enim docet Rabbi Moses Majemonides tractatu de solemnitate Paschatis c. 7. & 8. singuli tum viri, tum mulieres ad coenam noctis Paschatis tenentur pocula vini potare quatuor ad minimum, quæ ita oportet misceri ut sint potu jucunda, unde & vini & bibendis habenda est ratio, ita tamen ut non minus quarterio meri cum poculis quatuor immisceatur. Quod si quis ista vini quatuor pocula ebibit mera, is etsi fecit officium, quod pocula ebibit quatuor, tamen hoc idem non præstitit, quia liberè non potavit, sed servilitèr. Horum autem quatuor poculorum suam quodque precem desiderat. Ad primum igitur dies festus consecratur. Incipitur ad alterum Hymnus, hoc est, series illa orationum, queis explicatur cur illâ nocte vescantur Agno Paschali, oleribus amaris & pane azymo. Super tertium poculum redditur Deo de cibo intra coenam capto gratiarum actio. Ad quartum absolvitur Hymnus & carmen istud canitur: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi*, &c. Hoc epoto poculo nihil amplius libare per totam noctem licebat præter aquam, nisi quis vellet super quintum poculum cantare Psalmum 136. *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. poculum enim hoc nequaquam est ita necessarium ut alia quatuor, atque licebat Hymnum *Confitemini* extra triclinium absolvere. Hæc Rabbi Moses, ex quibus conjicimus in ultima coena vinum, quo usus est Christus, fuisse temperatum aquâ, alioquin Judas ipsum ut Traditionum transgressorem insimulasset. Deinde colligimus Christum Hymno absoluto pro more surrexisse de mensâ, quod Matthæus significat per vocem, *exierunt*, id est, surrexerunt exituri. Verisimile enim fit ex illis, quæ habentur Luc. 22. & Joan. 14. Christum cum Discipulis mansisse aliquandiu in Coenaculo, & fortè etiam, ut fit, consedisse. Inter exeundum autem videtur Christus dixisse quæ habentur Joan. 15, 16, & 17. Porro Christi exitus non erat contra Legem, quia non nisi in Ægypto Judæi totâ Paschatis nocte ex ædibus egredi prohibiti sunt, ne scilicet inciderent in Angelum à Deo missum ut Ægyptiorum primogenitos percuteret, qui quidem potuisset etiam extra ædes Israelitas dignoscere: sed ut doceret eorum salutem sitam in eo esse, ut se continerent veluti sub custodia sanguinis Agni, qui effusus fuerat, ne eorum sanguis effunderetur. Quod salutis suæ Sacramentum si rejecissent,

cissent, hoc ipso, gratiâ quoque illo signo significatâ indignos se reddidissent. Sic grassante diluvio Noë & suis nulla salus fuit, nisi in arca inclusis. Neque familiæ Rahab in Jericuntis excidio præterquam in domo ex qua pendebat funiculus coccineus, cui respondet Agni Paschalis sanguis, quo Exod. 12. in Egypto jussi erant Israëlitæ ædium superliminaria & postes aspergere, ne, qui primitiva vastabat, tangeret eos; quod post exitum ex Ægypto factum non esse doctissimus Majemonides dicit; unde 2 Paralip. 30, & 35. docemur in Judæa Paschales Agnos in atrio Templi fuisse cæsos, ibique effusum eorum sanguinem, nec usquam apparet in privatas domos fuisse delatam ullam hujus sanguinis partem, quâ postes ædium aspergerentur. Fuit etiam Judæis in Ægypto peculiare, ut idem Majemonides dicit in fine libri de Paschate, quòd decimâ die primi mensis, id est, quatriduo ante tempus mactationis, Agnus Paschalis jussu Dei erat ipsis seponendus ne inter infensos populos, ut erant Ægyptii, Agnos non facilè reperirent, si non nisi extremo tempore iis quærendis incumberent; at in Judæa non fuit cur id timeretur, cùm in id conspiraverit tota gens, ut huic sacrificio nihil deesset. Nec iis, qui è remotis Judææ partibus Jerosolymam se conferebant, facile fuisset tanto ante festum sibi de Agno prospicere. Plerisque enim Jerosolymam venire moris non erat, nisi biduum ante festum aut pridie festi. Itaque tum demum Agnos ab iis comparabant, qui boves, oves, & columbas in Templo venum exponebant, cùm Judæorum Pascha instabat, ut patet ex Joan. 2. v. 13, & 14. Proinde Josephus pro Lege Mosis, sui ævi morem respiciens, mirâ ἀλαζονίᾳ scribit libro 2. antiquitatum cap. 5. Judæos in Ægypto decimâ tertiâ primi mensis præparasse Paschales victimas in diem decimam quartam ejusdem mensis. Denique Judæis in Ægypto videtur fuisse peculiare quòd accincti & calceati cum baculis in manu & raptim Pascha comederunt, tanquam iter longum post paucas horas in hostili terra suscepturi. Quo emenso quietos, non jam accinctos sed discinctos, nec stantes sed sedentes, nec raptim sed lentè & pacatè comedisse verisimile est. Ita Christus non solùm sedens, sed & more Romano discumbens cum discipulis in triclinio grandi & strato Pascha ultimum celebravit. Hinc in illorum censu, quibus differt nox Paschatis à reliquis noctibus, hoc quoque Judæi observant, quòd cùm ceteris noctibus cœnaturi sedeant vel discumbent, nocte verò Paschali omnes prorsus discumbant. Proinde de primo Judæorum Paschate in Ægypto celebrato loquitur Chrysostomus

mus Hom. 23. in Epist. ad Ephes. & quidem tanquam de re præsenti, si versionem Latinam, non textum Græcum sequamur, dum dicit: *Nunc* (hæc vocula abest à textu Græco) *præcincti & calceati vescuntur, ut rogati dicant, quoniam ad iter faciendum eramus parati.* Ritus autem Paschatis, qui etiam in Judæa sunt observati, fuere Agni Paschalis integri, anniculi immolatio, assatio, manducatio cum oleribus amaris & azymis, absque ulla ossium fractione, &c.

31. *Omnes vos scandalum patiemini.* Id est, ero vobis lapis offensionis & scandali hac nocte, quia ex his, quæ circa me fient pro redemtione generis humani, occasionem ruinæ & lapsûs in peccatum accipietis.

Scriptum est enim. Q. d. Vera enim est illa Zachariæ Prophetia cap. 13. v. 7.

Percutiam. Apud Zachariam habetur *percute*, sed unus & idem est sensus, percusso scilicet Pastore, dispergentur oves.

34. *Antequam gallus cantet*, &c. Id est, ante tempus, quod gallicinium vocatur, seu non cantabit gallus solemni illo cantu, à quo tempus, quo canit, gallicinium dicitur, priusquam ter me negaveris. Interim nullus dubito quin Marcus, qui Petri discipulus fuerat, ipsamet Christi verba retulerit, pro ut illa didicerat à Petro, scilicet: *hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Sed sufficit aliis Evangelistis id memorare, quod præcipuum fuit, nempe Christum triplicem illam Petri negationem non solùm prævidisse & prædixisse, sed & designasse tempus, & fore ut Christum Petrus ter negaret ante gallicinium, secundum scilicet, quòd solum simpliciter gallicinium dicitur; tamen id disertè expressit Marcus, atque illud insuper, primam Petri negationem præcessisse primum gallicinium. At, inquies, inter primum & secundum gallicinium solet intercedere quarta pars noctis, quod spatium tum fuerit horarum propè trium; nam in Judæa, quo anni tempore Christus nocti traditus est, noctes horarum sunt plusquam undecim: porrò inter primam Petri negationem vix potuit elabi media pars hujus spatii, ut patet ex Luc. 22. v. 56, 57, & 58. Ibi enim cùm Petrus ancillæ negasset se nosse Christum, quæ prima fuit Petri negatio, post pusillum alius videns eum, dixit: *Et tu de illis es*, id est, ex discipulis Christi. Petrus verò ait: *O homo, non sum*, quæ negatio secunda fuit. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: *Verè hic cum illo erat: nam & Galilæus est.* Tum Petrus tertiò Christum negavit, *& continuò adhuc Petro loquente cantavit gallus.* Respondeo 1ò. Evangelistas pleraque

summatim retulisse, & dum Petrus accusatus conatus est se purgare, potuisse rem in longius diduci, & pluribus verbis ultrò citróque habitis, in ipsa disceptatione multum insumi temporis. Deinde, ex Lucæ verbis *post pusillum*, non sequi inter primam & secundam Petri negationem nullum, aut brevissimum fuisse temporis intervallum; Joannes enim capite 18. à versu 17. usque ad 25. multa interserit, tanquam facta in illo intervallo. Et 3a. negatio, quam Lucas à secunda removet horæ, circiter, interstitio, tamen in Matthæo & Marco dicitur *post pusillum* contigisse. Itaque illud *post pusillum* potest extendi latius, quàm putatur. Tertiò, horæ Lucæ licet aliquid addere, cùm non dixerit præcisè horam unam intercessisse, sed *intervallo facto, quasi horæ unius*, quod idem est, ac si diceret, intercessisse horam, circiter, unam. Quartò, quamvis inter primum & secundum gallicinium quarta pars noctis soleat intercedere, tamen id perpetuum non est, nam sæpè accidit, ut galli temerè canant, nec statis horis. Quod se tam in excubiis olim, quàm postea in lucubrationibus expertum esse scribit Scaliger in Cardanum exercitatione 239i. Potuit igitur gallus aliquis, post tertiam Petri negationem, solitum gallicinii tempus unâ horâ antecedere. At, inquiet aliquis, cùm Christum negavit Petrus, in Caiphæ domo fuere Scribæ, Sacerdotes & Seniores, ut in Christi vitam inquirerent, & Petrus interim in atrium ingressus expectavit, quis tandem res evaderet, & quid de Christo statueretur. Conventus autem ille usque in tam multam noctem duravisse non videtur. Quis enim credat tot Judæorum Proceres noctem ferè totam egisse in somnem, ut hanc litem deciderent, cùm res potuisset æquè commodè in aliud tempus rejici?

Sed hoc frustrà objicitur, certum enim est id ita factum. Quod patebit perpendentibus quàm multa fuerint gesta illâ nocte ante tertiam Petri negationem. Nam secundum Evangelistas vespere facto, id est, in ipso Solis occasu Christus cum Apostolis Pascha celebravit, lavit eorum pedes, è re nata longissimam concionem habuit, Sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum instituit, ortam secundò inter discipulos de Primatu contentionem gravissimis verbis composuit, Hymnum cecinit, qui ex pluribus psalmis constabat & orationibus, si Talmudicis creditur. Ivit in montem Oliveti, & venit in villam nomine Gethsemani, secessit ut oraret, & post horariam orationem rediit ad discipulos, quos, cùm dormientes reperisset, increpavit, quòd unam horam vigilare non potuissent. Idem secundò & tertiò factum. Inte-

rim

rim cum Juda missi lictores Christum invadunt, & primum ad Annam adducunt, atque inde ad Caipham, quo convenunt Scribæ, Sacerdotes & Seniores. Et Petrus in atrium ægrè admissus & agnitus Christum negat. Deinde Christus a Caipha interrogatur. Quo facto, a Petro secundâ vice, & post horam, circiter, elapsam, tertiâ vice negatur. Nemo erit æquus rerum æstimator, qui non statim agnoscat hæc omnia ante profundam & concubiam noctem fieri non potuisse. Atque id quidem fuit prorsus extraordinarium, ut horis illis de hominis capite ageretur. Sed, præter festum proximè instans, ad id Judæorum Proceres impulit ferina in Christum rabies, & plusquam Vatinianum odium, quo in eum ferebantur. Ad nostram Evangelistarum conciliationem proximè accedit illa Theophylacti in Marcum: *quod Matthæus obscurè dixit, priusquam gallus cantet, interpretatus est Marcus, quòd priusquam bis canet. Galli enim de more habent uno diluculo sæpè canere, deinde tanquam dormire, & post aliquod tempus, iterum canum incipere. Quod igitur dixit Matthæus, scilicet priusquam gallus cantet, id est, priusquam impleas clamorem prioris cantûs, ter me negabis.*

Ut hactenus dicta de gallicinio rectè intelligantur, superest notandum, quòd tempus proximum mediæ nocti (quâ Romani diem incipiebant & finiebant) dicitur *mediæ noctis tacitumio*, seu *gallicinium primum*; gallus enim à media nocte canere incipit. Sequitur *conticinium*, id est, secundum veteres glossas, tempus, quòd est inter gallicinium primum & secundum, quo scilicet interstitio, galli conticescunt. Conticinio succedit *secundum gallicinium*, seu *quarta vigilia noctis*. Quia verò quartâ vigiliâ noctis galli alacriùs & acriùs canunt, atque hominibus utilius, cùm hoc secundo cantu ad diurnos labores excitentur, & quia prioris gallicinii tempus alio designatur nomine, vocatur enim *media nox*, & *mediunoctium*; secundum gallicinium, quod scilicet proximè auroram præcedit, intelligitur semper, cùm aliquid factum legitur gallicinii tempore, absque numeri adjectione. Hinc non solùm hîc Matthæus, Marcus c. 13. v. 35. Luc. 22. v. 34. Joan. 13. v. 38. sed & Censorinus cap. 19. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 3. gallicinium ponunt inter mediam noctem, seu primum gallicinium & auroram. Hoc secundum, seu gallicinium simpliciter dictum significatur per *pullorum cantum* fine addito Tob. 8. v. 11.

Ter me negabis. *De magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratia, cui dictum fuerat: Confirma fratres tuos & roga ne intretis in tentationem: quisque respondit, utique ex libero*

arbitrio: *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire, eidem prædicitur, quòd priusquàm gallus cantet, ter Dominum negaturus sit. Quod quid est aliud, quàm quod in fide defecturus sit? Certè rogaverat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipsius. Nec utique frustrà rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat, operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur perclitari, ut conturbatum ac deficientem ille respiciat & reficiat, sine quo nemo persistit. Ab hac autem confessione gratia Dei, ideo quidam resiliunt, ut cùm eam talem confessi fuerint, qualis divino Eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per secula cuncta natorum, certus apud Deum, definitúsque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contrarie.* B. Prosper in Ep. ad Ruffin. c. 6.

36. *Tunc.* Egressus scilicet ex urbe Jerosolymâ, & trajecto torrente Cedron, qui inter montem Oliveti ad Orientem situm, & inter Jerosolymam ad Occidentem fluit per mediam vallem Josaphat, quæ & vallis Hennon dicitur.

Gethsemani. Hoc nomen sonat Latinè *torcular olei*, sic autem villa ista dicebatur, ob montem Oliveti, ad cujus radices sita erat.

37. *Cœpit contristari.* Non antè contristabatur, quia Christus passionum dominus iis utebatur, cùm id expedire judicabat, doctrinæ & nostri exempli causâ.

38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Id est, tristitiâ tantâ undique circumsepta est & obsessa anima mea, ut nisi aliundè sublevaretur, mortem ipsam inferre per se sola sufficeret. Nempe, ut ait Cyrillus lib. 4. in Joan. c. 1. *Caro factus Christus permittit carni, ut sua patiatur.*

38. *Progressus pusillum.* Hoc clarius explicat Lucas c. 22. v. 41. *& avulsus est ab eis* (id est à tribus Discipulis) *quantùm jactus est Lapidis.*

Procidit in faciem suam. Probabile est, primùm Christum quidem genua flexisse, quod notat Lucas, posteà verò cùm intenderet vim precationis, quod idem Lucas significat his verbis, *prolixiùs*, Græcè *intensiùs*, *orabat*, toto corpore in terram procubuisse, quod notant Matth. & Marc. dum aiunt eum procidisse super terram, & in faciem suam.

Pater mi. Hoc Marcus dicit, *Abba Pater*, quæ est formula Græcis notissima, quâ à pueulis blandè appellari solet pater, & superiores, honoris & reverentiæ ergo, ab inferioribus. Fit autem *Abba* Græcè ab *Appa*, quod patrem, ut & *Papa*, *Tata*, *Atta*, Græcorum pueris sonuit. Meritò itaque

que Aug. in Epist. 178. ait, *Abba* Græcum esse vocabulum; Syriacè enim non dicitur *Abba*, sed *Aba*. Cùm itaque Christus in hac precatione brevi & patheticâ Patrem familiariter & reverenter linguâ, quâ loquebatur, Syriacâ compellaverit, Marcus blandam & familiarem compellationem cum reverentia expressit formulâ blandæ, familiaris itidem & honorificæ compellationis, Græcis, quorum linguâ ipse scripsit, usitatissimâ. Similiter cùm Paulus dicit Spiritum Christi clamare in cordibus nostri, *Abba, Pater*, intelligit nobis tantam ingenerari per Spiritum-Sanctum fiduciam, ut Deum tam familiariter compellare possimus, quàm à puerilis pater blandè hac formulâ Græcis notissimâ *Abba Pater*, solet compellari.

Si possibile est. Id est, si vis, ut explicat Lucas.

Transeat à me calix iste. Non est factum, quod hîc petiit Christus, quia *ratio, quæ petitionem proposuit, nolebat ut hoc impleretur, sed ad instructionem nostram, volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem, & magnam sensualitatis, quem sicut homo habebat.* D. Th. 3. p. q. 21. art. 4. deinde ut ait Aug. Serm. 34. de verbis Apostoli *mortem horret non opinio, sed natura.*

Non sicut ego volo. Hoc est, non juxta appetitum humanum naturalem assumtum.

41. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem: id est, ne sit ab illa abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius, quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: Vigilate ne intretis in tentationem: admonuisse videretur tantummodò hominis voluntatem: cùm verò addidit, Et orate, ostendit Deum adjuvare, ne intretur in tentationem.* Aug. de lib. arb. & gratia c. 4.

42. *Si non potest hic calix transire.* Id est, si non vis ut transeat.

45. *Dormite jam & requiescite.* Exprobrat Christus Apostolis somnolentiam his verbis, quasi diceret, Periculum præsens jam vos satis excitabit, quos crebra monitio mea non excitaverat.

49. *Osculatus est eum.* Rectè Aug. lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 3. existimat Judam post osculum Christo datum, recessisse versus turbas & tunc evenisse, quæ Joannes narrat de turbis prostratis; si enim ante osculum ista contigissent, non opus fuisset osculi signo, cùm bis dixisset ipsis Jesus, *Ego sum.*

50. *Amice ad quid venisti?* Luc. 22. v. 48. *Osculo filium hominis tradis? Hoc est, amoris pignore scelus impleo, & pacis instrumento odia ferio, & charitatis officio mortem irrogas?* B. Ambr. lib. 3. de Spiritu Sancto c. 18.

Manus injecerunt in Jesum. Hoc dictum à Matthæo & Marco vel per anticipationem, vel ita ut nondum Christum ligarent, aut immotum detinerent, sed solùm, quod in eum incurrerint & eum circumdederint.

52. *Qui acceperint gladium. Ille accipit gladium, qui nullâ superiori aut legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.* B. Aug. lib. 22. contra Faustum. c. 70.

Gladio peribunt. Id est, digni sunt qui pereant; non enim eventus, sed meritum homicidæ significatur, juxta legem Genes. 9. Sunt, qui non ad Petrum, sed ad Judæos referant. q. d. Noli Deo præripere ultionem, crudeles enim isti & sanguinarii, etiam te quiescente gravissimas Deo daturi sunt pœnas suo sanguine.

53. *An putas*, &c. Q. d. Tanta est mea dignitas, ut leve esset impetrare legiones Angelorum à Patre, si conveniret.

55. *In illa hora.* Id est, in isto temporis articulo.

57. *Duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum.* Ductus est Jesus ad Annam primùm, sed ostentationis tantùm causâ, nec ibi quidquam actum; quæ enim refert Joannes gesta à Pontifice, non ad Annam referenda sunt, sed ad Caipham, *qui erat Pontifex anni illius*, ut loquitur ipse Joannes. Unde cùm idem Joannes dicit c. 18. v. 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham*, præteritum perfectum *misit* ponitur pro præterito pluſquam perfecto *miserat*. Sic supra cap. 14. v. 3. *Herodes tenuit Joannem & alligavit eum, & posuit in carcerem*, id est, tenuerat, alligaverat & posuerat.

58. *Sequebatur eum à longè.* Addit Joannes, *& alius discipulus*, quem verisimiliùs multi existimant fuisse civem Jerosolymitanum, ideóque Pontifici notum, fortasse in cujus domo Christus cœnaverat, quàm, vel Joannem, vel alium quempiam è duodecim Apostolis.

61. *Possum destruere*, &c. Observat Marcus hoc testimonium non fuisse conveniens, id est, etsi fuisset verum, non tamen fuisse idoneum & sufficiens, ut Christus morti adjudicaretur.

62. *Surgens Princeps Sacerdotum*, &c. Unicum Caiphæ & Sacerdotum examen & judicium fuisse, non duplex, satis apparet, si conferantur cum Luca, quæ Marcus & Matthæus nar-

narrant. Unicum enim discrimen est, quòd Lucas à toto Concilio interrogatum refert Jesum, An esset Christus: Matthæus verò & Marcus, id tantùm à Caipha factum aiunt, quod leve est, cùm alii post Caipham à Christo idem postulasse potuerint, vel Lucas Concilio tribuisse, quod ab ejus capite factum fuerat, *usitato tropo*; quare, quod ait Lucas, *& ut factus est dies*, sic intelligendum est, cùm dies adventaret; quod verò ait Matthæus, mane facto consilium iniisse Principes Sacerdotum, &c. adversus Jesum, non de examine & judicio accipiendum est, sed de judicii executione; quomodo nempe Jesum jam morti adjudicatum morti traderent.

64. *A modò*, &c. Q. d. Breve erit tempus insidiarum, quæ in me concitatæ sunt: parvo enim expleto tempore, superior omnibus meis inimicis efficiar.

70. *At ille negavit.* Petrus primò est mentitus, secundò mendacio adjecit perjurium, tertiò præter mendacium & perjurium, diris se obligavit. Cetera Marc. & Matth. tres negationes Petri simul narrant post judicium & illusiones; Lucas ante utrumque, Joannes verò primam negationem ante examen, reliquas post. Quis autem historiæ seriem diligentiùs hac in circumstantia servaverit incertum est.

71. *Exeunte autem illo januam:* Græcè, *in vestibulum atrii.* Petrus non domo exiit, sed tantùm ex atrio, quò etiam statim reversus est; cùm enim ex Marco constet Petrum ex atrio exiisse, ex Joanne verò, quòd ad ignem stans secundò negaverit; dicendum est, exeunte Petro, ancillam dixisse circumstantibus, sic ut Petrus audire posset: *Et hic erat cum Jesu:* cùm autem Petrus reversus esset, vel ne fugisse videretur, vel ut se purgaret, vel frigoris impatiens, vel scire studiosus, quid de Christo ageretur, alium quemdam, ut Lucas notat, immò alios plures, ut Joannes observat, objecisse ei stanti, & se calefacienti idem, quod ancilla dixerat.

74. *Tunc cœpit detestari.* Id est, execrari, sibimet malè precari, non verò Jesum detestari.

Et continò gallus cantavit. Addit Lucas c. 22. v. 61. *Et conversus Dominus respexit Petrum. Non corporali facie*, inquit Aug. Hom. 1. inter undecim è Carthusia majori de promtas, *nam Dominus in interioribus (sursùm) judicabatur, Petrus foris (deorsùm) in atrio tentabatur, nec vacabat Christo ligato è loco superiori deorsùm respicere, ergo respexit eum Dominus, non corpore sed majestate, non oculorum carnis intuitu, sed mise-*

misericordiâ altissimâ. Respexit, ut ait idem Sanctus Doctor de gratia Christi c. 45. *Petrum non corporalibus oculis, sed in mente & voluntate, quia latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis, usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus, adjuvando, adest voluntatibus & affectionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.* Ergo, concludit Aug. Hom. mox citatâ, *præsumtor periisset nisi Redemtor respexisset.*

75. *Flevit. Quos Jesus respicit, plorant delicta. Negavit primò Petrus & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus, Negavit & tertiò, respexit Jesus, & amarissimè flevit.* B. Ambr. lib. 10. in Lucam.

Amarè. Amara, erat negationis recordatio, ut dulcis esset gratia redemtionis, nisi desertus non negaret, nisi respectus non fleret. Odit Deus præsumtores de viribus suis, & tumorem istum in eis, quos diligit (tanquam medicus) secat, secando quidem infert dolorem, sed firmat postea sanitatem. Aug. Hom. 4. inter 11. in Carthusia majori repertas. Porrò Hebræis amara dicuntur, quæcumque animum graviter angunt.

CAPUT XXVII.

1. *Mane autem facto.* Id est, statim atque illucescere cœpit, ut colligitur ex Marco & Luca simul collatis.

Omnes Principes Sacerdotum. Ne quis causæ tanti momenti deesset.

Ut morti traderent. Id est, ut quâ viâ mortis sententiam jam latam exequerentur, determinarent.

2. *Tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Adde ex Joan. 18. *Et ipsi non introierunt in prætorium*, ne scilicet ingressu Prætorii in capitali causa contaminarentur, sicque ab esu Paschæ, id est, Pacificorum sacrificiorum in festo Paschæ offerri solitorum, prohiberentur. Tradiderunt autem Judæi Christum Pilato, quia licèt non fuerit Præses propriè dictus, cùm tantùm Procuratorem ageret in Judæa & subesset Syriæ Præsidi ex Josepho lib. 18. Antiq. tamen imperium merum, seu pote-

poteſtatem animadvertendi cum exercitu & copiis militaribus acceperat à Tiberio Cæſare, ut Judæos ſæpè tumultuantes & tributa dare Cæſari detrectantes compeſceret, ut colligitur ex Joan. 19. v. 10. & Joſeph 18. Antiq. cap. 4.

3. *Damnatu.* Id eſt, determinato mortis generi adjudicatus.

4. *Tradens ſanguinem juſtum.* Id eſt, hominem innoxium.

6. *In corbonam.* Id eſt, in Theſaurum Sacrum, ſeu in ærarium Templi, quod ſic dicitur à ſacrificiis, quæ *corbanim* dicuntur Hebraicè, quibus emendis, ex ærario Templi ſumtus petebantur.

Pretium ſanguinis eſt. Nempè, quo homo ad ſanguinis effuſionem eſt venditus. *Magna Phariſæorum notatur hypocriſis, ut qui pecuniam immundam ducant, quia pretium ſanguinis, ſecuri ſint interim de ſua conſcientia, quâ tamen mortem innocentis hoc ſibi pretio traditi decreverunt. Sic verè Chriſtus dixit eos Culicem colare, camelum verò deglutire; nec enim tam inanimis pecunia contrahit pollutionem, quam mens.* S. Ambroſius in Epiſtola ad Studium.

7. *Emerunt ex illis agrum Figuli.* Græcè, τὸν ἀγρὸν, id eſt, *Figuli illius*; quaſi diceret, Agrum illum emerunt, de quo olim prophetavit Jeremias, ſeu agrum illum, qui jam per prophetiam Jeremiæ factus eſt celebris.

In ſepulturam peregrinorum. Hoc Providentiâ factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus ſumtum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret, non ſacrilegis Judæis ſit ad lucrum, ſed defunctis ſit ad ſepulchrum, ut jam exinde Chriſtus & vivos paſſione ſanguinis redimat, & mortuos pretioſâ paſſione ſuſcipiat. S. Maximus Taurinenſis Antiſtes.

8. *Haceldama.* Eſt vox Syriaca ſignificans agrum ſanguinis.

Uſque in præſentem diem. Hoc aliis verbis dixit Lucas Act. 1. v. 18. *Et notum factum eſt omnibus habitantibus in Jeruſalem, ità ut appellaretur ager ille linguâ eorum Haceldama*, non enim aliud dicit notum eſſe factum, niſi pretio ſanguinis Chriſti emtum fuiſſe agrum, quem ait à Juda poſſeſſum, vel quia Judas in eo fuit ſepultus, vel quia poſſidere fecit; primum tamen magis arridet; quia ipſe Judas nullo modo fuit particeps conſilii de emendo illo agro, ſed projectis argenteis deſperatione ſe ſuſpendit, & medius crepuit, & effuſa ſunt viſcera ejus.

9. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem.* Magna hîc excitatur difficultas, cur prophe-

tia,

tia, quæ habetur apud Zachariam, dicta per Jeremiam dicatur. Nos omissis variis variorum solutionibus, ne animus probabilibus, advertimus non raro apud Evangelistas duorum Prophetarum sententias connecti, & tamen sub unius nomine citari. Sic supra cap. 21. v. 4, & 5. dicitur dictum per Prophetam dicentem, *Dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*, &c. ubi prima verba usque ad *sedens super asinam*, exclusivè, habentur Esaiæ 62. v. 11. cetera apud Zachariam cap. 9. v. 1. Similiter eodem capite 21. quod dicitur apud Esaiam, *Domus mea domus orationis vocabitur*, connectitur cum his verbis, *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*, quibus alluditur ad dicta Jeremiæ cap. 7. v. 11. quasi ab eodem Esaia dicta fuerint. Sic Marcus Evangelista duo testimonia, Malachiæ & Esaiæ sub unius Prophetæ nomine contexens, ità exorsus est: *Initium Evangelii Filii Dei, sicut Scriptum est in Esaia Propheta, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite vias ejus.* Hoc observato sic exponimus præsentem versiculum, ut sensus sit, tunc cùm ager ille figuli emtus est pretio sanguinis, & inde dictus est ager sanguinis, impletum est, quod dictum est per Jeremiam cap. 19. & quod dictum est per Prophetam, scilicet Zachariam dicentem cap. 11. *Et acceperunt triginta argenteos*, &c. Atque ità virgulam interponimus inter *Jeremiam* & *Prophetam*, ut nimirùm Prophetæ vox non intelligatur de Jeremia, sed de dicente, *Et acceperunt triginta argenteos*, &c. Ceterùm locus Jeremiæ, ad quem alludit Matthæus, non est, ut quidam erroneè putant cap. 32. ubi Propheta dicitur vendidisse ex præscripto Domini agrum; quia ager, de quo ibi agitur, est benedictionis, & quæ ibi dicuntur, in benedictionem dicuntur, ut patet ibidem ex versu 15. nec satis solidè dicitur, quòd ager ille à Jeremia venditus dicatur ager Figuli; quia Jeremias in vase fictili libros emtionis reponere jubetur, nec hoc quicquam facit ad agrum sanguinis, de quo agit Matthæus, & qui è Jeremia eruendus illi erat. Verùm cùm inter agros omnes olim maledictos nullum extitisse omninò certum est, quicum agro seu valle Ennon sit conferendus, utpotè qui execrando & abominando Molochi sacro destinatus esset, qui ager situs erat ad portam Fictilem, seu Figuli ad radices montis Moriæ ad Austrum, ubi etiam ab Hieronymo in lib. de locis Hebraicis assignatur situs hujus agri Figuli, credimus per hunc agrum Figuli, vel assignari ipsum agrum Ennon, vel agrum ipsi quàm proximè conjunctum,

stum, & inde dictum fuisse olim agrum Figuli, nunc ob pretium sanguinis, quo emtus est, agrum Sanguinis; sicque impletum est, quod dicit Jeremias Prophæta cap. 19. *Hæc dicit Dominus: Vade & accipe lagunculam figuli testeam à Senioribus populi & à Senioribus Sacerdotum, & egredere ad vallem filii Ennon, quæ est juxta introitum portæ Fictilis, & prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te. Et dices, Audite verbum Domini Reges Juda & habitatores Jerusalem, &c. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus ille, Topheth & vallis filii Ennon, sed vallis Occisionis.* Igitur Matthæus per id, quod proximè dixit de agro Figuli qui dictus est ager Sanguinis, ait impletum, quod per Prophetam Jeremiam dictum est, locum Figuli olim nominatum ob confractam ibi jussu Domini testam à Jeremia, aliquando vocatum iri locum Occisionis. Deindè addit Matthæus impletum esse vaticinium Zachariæ per id, quod priùs dixerat de pretio Christi venditi. Hoc autem Zachariæ vaticinium ita citat, ut simul illud exponat, verba aliquatenus variando, & quædam de suo interserendo.

Et acceperunt triginta argenteos. Græcum ἔλαβον, potest etiam verti *accepi*, seu *sulti*, ut vertitur à Vulgato interprete Zachariæ 11. v. 13. quod igitur Zacharias de se dixerat, quòd nimirum vile & abjectum pretium à Judæis acceperat, nempè triginta argenteos, quibus ibi æstimasse Dominum dicuntur, hoc Matthæus citat, & applicat ei, qui agrum vendidit, qui eodem modo à Judæis accepit triginta argenteos, quibus appretiatus erat Christus Dominus.

A filiis Israël. Hoc refertur ad verbum *acceperunt*; venditores enim agri à Judæis dictum pretium, triginta scilicet argenteos, acceperunt.

10. *Et dederunt eos in agrum Figuli.* Hebraismus; addit enim hæc Matthæus inter parentheses, quasi diceret, Quos nimirum argenteos ad emendum agrum Figuli dederunt.

Sicut constituit mihi Dominus. Sic reddit Matthæus id, quod Zacharias dixerat paulò ante citatum versum, *Dixit Dominus ad me.*

11. *Jesus autem stetit ante Præsidem.* Nimirùm postquam primò exiisset Pilatus ad Judæos foràs, & voluisset Jesum ipsis tradere, ut secundum Legem suam judicarent eum, idque Judæi recusassent. Et cùm accusassent ut Gentis subversorem & prohibentem tributa dari Cæsari; introivit iterùm in Prætorium Pilatus & vocavit Jesum, quem stantem ante se interrogavit, ut sequitur, & plenius narratur Luc. 23. & Joan. 18.

Tu dicis. Hoc videtur legendum cum interrogatione, ut patet ex Joan. 18. v. 34.

15. *Per diem autem solemnem.* Supple Paschatis. Hinc novum emergit argumentum ad probationem communis sententiæ, quâ asseritur Christum fuisse crucifixum ipso die Paschatis Judæorum, qui hîc vocatur dies Solemnis, quo solebat reus aliquis liber dimitti, & cujus mox præcedens dies designatur his verbis Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ.* Omittit autem Matthæus missionem Christi ad Herodem, nam quæ hîc habentur, contigerunt postquàm Christus ab Herode remissus esset.

16. *Habebat autem tunc vinctum insignem.* Nempè, scelericus, qui nimirùm *in seditione fecerat homicidium*, ut dicitur Marc. 15.

19. *Sedente autem illo pro Tribunali.* Postquàm scilicet dixisset se nullam invenire in Christo causam, id est, *noxam*, ut habetur Joan. 18. Non autem hîc agitur de ultimâ cognitione, de qua Joannes post flagellationem Christi, sed de priori; aliquoties enim Pilatus sedit in Tribunali more judicum ad causam examinandam.

Uxor. Hanc Lucius Dexter in Chronico vocari vult Claudiam Proculam.

Nihil tibi & justo illi. Id est, nihil sit tibi negotii cum hoc viro justo.

Multa enim passa sum hodie per visum. Græcè *in somnis propter eum.* Sunt qui volunt hoc somnium uxori Pilati immissum à diabolo, ut impediret passionem Christi, alii verò volunt immissum à Deo, ut uxor Pilatum moneret officii sui, utque Christus jam inciperet testimonium habere à Gentibus.

22. *Dicunt omnes: Crucifigatur.* Sic nimirum impletum est in Agno vero per Agnum Paschalem olim adumbrato, quod de Agno eodem Paschali præciplebatur Exod. 12. v. 6. *Immolabitque eum universa multitudo*; conspiraverant enim in Christum Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi & universus populus, & omnes uno ore, & animo dixerunt: *Crucifigatur.* Nempè non solùm Judæi Christum, ut blasphemum, & violatæ religionis reum accusabant; sed etiam ut seditiosum & turbas concitantem & prohibentem tributa dari Cæsari. At secundum leges Romanas pœna seditiosorum fuit Crux. Paul. lib. 5. Sent. tit. 22. Ita Quintilius Varus Syriæ Præses Judæos seditiosos cruci affixit. Joseph. lib. 2. de bello Judaico c. 7. Ita & Florus Syriæ quoque Præses. Joseph. ibidem c. 25.

24. *Acce-*

24. *Acceptâ aquâ lavit manus.* Quò nimirum suam ostenderet à Christi morte innocentiam; cæterùm mos ille Judæorum maximè fuit, ut patet Deut. 21. & Psal. 72. ex præsse, *Lavabo inter innocentes manus meas.* Edmundus Merillius in suis notis ad passionem Christi annotavit, Pilatum, non tam Judæorum morem, cùm Romanus esset, quàm Gentium observasse. Mos enim erat antiquis, quando cædem hominis, vel alias mactationes fecerant, aquâ lavare manus, ad expiationem pollutionis, ait Scholiastes Sophoclis. Sic & Romani à Græcis acceptâ formâ, teste Dionysio Halicarn. lib. 7. Orig. Servio ad 12. Æneid. & Plin. Magistratus, & sacrificaturi togam Prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. Quin & Clemens Romanus lib. 2. cap. 52. scribit Judices mortis sententiam laturos, manibus in Solem sublatis, testari solitos innocentiam suam, & tunc probabile est manus abluisse, ut puriores in cœlum tollerent.

25. *Sanguis ejus super nos.* Id est, pœnâ, si quæ sit, ob hujus sanguinis effusionem, nos tenebimur. Cæterùm hæc ablutio manuum Pilati & Judæorum responsio contigit, postquam Christus fuit flagellatus, spinis coronatus, à militibus illusus, & secundò à Pilato interrogatus.

26. *Tunc.* Victus Judæorum pervicaciâ Pilatus.

Tradidit eis. Judæis scilicet, non ipsis militibus Gentilibus per quorum manus crucifixus est. Non autem Pilatus tam citò de Christo supplicium sumens egit contra Senatûsconsultum tempore Tiberii factum, quo pœna damnatorum semper in decimum diem differri debuit, ut refert Suetonius in Tiberio cap. 75. Seneca de Tranq. vitæ cap. 14. vel in trigesimum diem, ut Sidon Apollin. retulit lib. 1. Epist. 7. quia hoc Senatûs-consultum non pertinebat ad insignes latrones & seditiosos, quos damnatos statim puniri interest, ut ait Modestinus in *l. Constitutiones 16. de appellationibus.*

Ut crucifigeretur. Id est, ut crucifigendum curarent suâ quidem autoritate, non tamen sententiâ, quasi cruce dignum. Unde Ioan. 23. ut indicaret Pilatum non tulisse sententiam in Jesum velut reum mortis, dixit: *Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.* Quòd autem congruum fuerit ut is qui pro omnium salute moriturus advenerat, & pro peccato primi hominis satisfacturus, non aliam, quàm mortem crucis pateretur, patet primò, quia *inde nullum genus mortis reste viventi homini metuendum esse discimus*, ut ait Aug. lib. 83. qq. q. 25. nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius & formidabilius. Secundò, qui in ligno vin-

vincebat, in ligno quoque victus est. Tertiò, ita, veritas respondit figuræ; nam Agnus Paschalis, ut tradit Rabbi Moses in lib. de Paschate cap. 8. Sect. 10. ad ignem plenè assandus ex Exod 12. non versabatur in veru ferreo, more nostro; sed veru ligneo transfixus à medio ore usque ad pudenda, subjecto igne, in medio furno suspendebatur, quod Christum in cruce pendentem, iræ divinæ ardore (qui cum igne passim confertur, ut Jerem. 4. v. 4. Thren. 1. v. 3. c. 2. v. 4. &c.) in peccatores, quorum se Christus vadem præstiterat, meritò accensæ, torrendum utcumque referebat. Maximè si hæc Justini vera sunt in Dialogo cum Tryphone Judæo pag. 259. *Agnus assus, in figuram Cruci similem conformatus, ad ignem torretur; nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur, & aliud rursus ad interscapillum, cui appenduntur manus Agni, seu pedes anteriores.* Quidni verò hac in parte illi credamus viro, non solùm Sancto, sed & rerum Judaicarum peritissimo, cùm Sichemis natus fuerit ex patre Samaritano? Christi torrendi in Cruce sunt graves illæ querelæ, *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei, aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.*

27. *Tunc.* Cùm scilicet Jesus esset flagellandus, non cùm tradendus esset ad crucem; per recapitulationem enim hæc quæ sequuntur dicit Matth. & similiter Marcus cap. 15.

Suscipientes Jesum in Prætorium. Id est, accipientes eum, duxerunt intùs in atrium Prætorii, ut ait Marcus, locum scilicet habitationis Prætoris Romani, seu Præsidis. Cæterùm flagellatio traditur ab Evangelistis facta jussu Pilati, non verò coronatio, quam Tertullianus ait fuisse *Romanorum militum commentum*; nam sicut cùm esset à Caipha condemnatus, licentia Ministrorum exprobravit ei accerbissimè quasi arrogatam prophetiam; ita flagellato licentia militaris arrogatam Regiam dignitatem, idque ludibriis crudelissimis, *non jubente, sed permittente Pilato*, ut ait S. Leo Serm. 8. de passione, putans videlicet Judæorum animos ita mitigandos.

Congregaverunt. Nimirum illi quatuor milites, qui susceperunt Jesum in Prætorium; quatuor enim tantùm fuisse insinuatur Joan. 19. v. 23.

28. *Exuentes eum*, propriis vestibus.

Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Detritam scilicet alicujus militis, ut esset instar paludamenti, quo Reges & Imperatores in castris utebantur; Joannes vocat *vestem purpuream,*

purpuram, & Marcus purpuratum, quæ Regibus & Principibus viris propria erat. Unde Ambr. & Hilar. putant purpuram fuisse distinctam à chlamyde coccinea, colore, & vestis genere, sed Aug. vult eamdem fuisse, eo quod purpura quædam sit cocco similima, ut satis patet de Tyria purpura, quæ passim apud Poetas maximè, & apud Plinium à rubeo colore commendatur, & cum sanguine confertur. Unde Virgilius, vel quidam alius ejus nomine, in Rosis,

Hanc tenui folio purpura rubra notat.

Hinc & B. Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo *vestem sublimem* vocat vestem hyacinthinam, vel purpuream, de qua Num. 15. v. 38.

31. *Dimerunt eum.* Marcus & Joan. *Educerunt*, nimirum, extra Civitatem, ut juxta Apostolum ad Hebræos 13. *Extra portam* pateretur, uti hostia pro peccato cremari solebat extra castra, sicque impleta est dicta olim à Christo parabola, quòd Judæi aliquando hæredem essent ejecturi extra vineam.

32. *Exeuntes autem.* Id est, in egressu portæ civitatis. Constat enim ex Joan. Christum exiisse ex Civitate bajulantem sibi Crucem ad instar Isaac ligna sui sacrificii bajulantis.

Cyrenæum. Cyrene urbs est Libyæ in Africa, longéque à Judæa & trans Ægyptum, non illius Libyæ quæ propriè Africa est, sed quæ est Orientis pars contigua Africæ & omnino collimitanea, ita Aug. lib. de Pastoribus cap. 17. Sunt tamen, qui hunc Simonem non ex ista Cyrene, quæ, ut Aug. loquitur loco citato, *Libya ejus Pentapolis ejus* (sic dicitur à Plinio Cyrenaica regio à quinque insignium urbium numero; quæ dicuntur Berenice, Arsinoe, Ptolemais, Apollonia, & ipsa Cyrene, unde regioni nomen, quæ à Cyrene Hypsei filia dicitur nomen suum accepisse) sed ab alia urbe ejusdem nominis à Cyro in Cypro insula condita oriundum; addunt Marc. & Luc. *Venientem de villa*, ut magis innotesceret Judæorum crudelitas ipsum hominem peregrinum à via defatigatum angariantium, seu vi compellentium, ut tolleret crucem Christi jam viribus deficientis. Quod autem Marcus addit ipsum Simonem Cyrenæum fuisse Patrem Alexandri & Rufi, vel distinctionis causâ hæc addit, vel quia hi viri erant tunc temporis quicunque tandem de causa valdè noti.

33. *Et*

33. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha.* Omittit Matthæus historiam mulierum Christum sequentium, & in via plangentium, de qua Luc. c. 23. v. 27. Dicitur autem *Golgotha* Euphoniæ causâ pro *Golgolta*, quod Syriacè significat *Calvariam*; sic verò locus ille dicebatur propter occisorum cranía, quæ ibi sparsa passim & neglecta videbantur, ut tradit Hieron. Veteres autem Patres aiunt sic dictum ob Proto-parentis Adami caput ibi repertum. Quæ etymologia appellatur à B. Hieron. *mulcens aurem populi, nec tamen vera.*

34. *Dederunt ei vinum bibere.* Græcè ὄξος, quod plerùmque est acetum. Marcus dicit, *Et dabant ei bibere myrrhatum*, id est, myrrhâ conditum, vel thure etiam, quia מור Hebræis & Syris primò myrrham significat, deinde etiam aroma quodvis, unde Græcorum μύρον, quod ex Hebræo *mor* factum est, non solùm myrrhinum, sed & unguentum quodvis sonat. In Marco igitur ἐσμυρνισμένον, idem est, quod μεμυρισμένον, vel etiam λιβανωτὸν, quâ voce utitur author Machabæorum lib. 3. ubi describit belluas vino thure condito terribiliter instructas. Extat in Talmude Tract. *Sanhedrin* cap. 6. fol. 43. hic Canon; *Eò, qui exit neci tradendus, propinatur granum thuris in calice vini, ut mens ejus perturbetur:* ubi Glossator addit, *Ne moreat, atque ut stupidus fiat, cùm morti addicitur.*

Cum felle mixtum. Si per vinum myrrhatum verè Marcus intelligit vinum thure conditum, ut diximus, fel potest esse positum à Matthæo pro amaritudine; eadem enim dictio ראש, quæ passim pro herba amarissima sumitur, à Vulgato interprete vertitur Psal. 68. v. 22. *fel*, & Oseæ 10. v. 4. *amaritudo*; si verò *myrrhatum* sumitur pro vino calido poculis myrrhæis infuso, quod indè odorem saporémque contrahit jucundissimum, vel pro vino myrrhâ condito, æquè jucundo & pretioso, ut constat ex Plinio lib. 14. hist. nat. cap. 13. & ex Athenæo lib. 11. cap. 30. tunc dicendum est vinum Christo porrectum fuisse conditum myrrhâ, ut vires adderet Christo, simúlque felle, seu aliquo aromate amarissimo, ut bibenti esset molestum; sed prior expositio magis placet ob Canonem ex Talmude citatum, & magis sit verisimile Matthæum denotasse amaritudinem potûs Christo porrecti, Marcum verò denotasse unde oriretur illa vini amaritudo, nimirùm ex myrrha, seu thure immixto. Si autem latrones cum Christo crucifixi biberunt ex illo vino myrrhato, ut se munirent & indurarent adversus cruciatus mox subeundos, non multùm biberunt; si enim largiùs cum vino bibatur myrrha,

myrrha, vel obumbrare mentem, vel accelerare fatum docet Galenus. Similiter thus si admisceatur vino largius, furorem excitat, ut testatur Dioscorides lib. 1. & Serapio, & Damir Arabs; latrones autem non fuisse mentis impotes dum crucifigerentur, patet ex iis quæ locuti sunt.

Cum gustasset. Ne scilicet traditionem contemnere videretur, quæ nititur authoritate sacræ Scripturæ per Salomonem dicentis cap. 31. Proverb. v. 6. *Date siceram mœrentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Hinc & calice consolationis recreabantur, qui suos sepelierant, de qua consuetudine Jerem. c. 16. v. 7.

Noluit bibere. Id est, transmittere, quod Marcus significat his verbis, *non accepit*; ut scilicet magis dolorem crucis persentiret.

35. *Crucifixerunt eum.* Nempe quatuor clavis, sic enim olim consueverant, ut patet apud Plautum in Mustella: *Ea lege*, inquit, *crucifigatur, ut his affigantur pedes, bis brachia*; idem sentit Gregorius Turonensis, cui antiquiores imagines suffragantur. Nonnus autem Metaphrastes Evangelii secundum Joannem, & Nazianzenus in carmine de Christo à cruce depositio astruunt communiorem sententiam, quâ Christus asseritur fuisse crucifixus tribus clavis, uno videlicet duos pedes terebrante.

Diviserunt vestimenta ejus. Ergo nudus crucifixus est Christus, sicque secundum prophetiam Psaltis, operuit confusio faciem ejus. Ait autem Cyrillus damnatorum vestes quasi hæreditatis lege ad se pertinentes sibi vindicasse milites, sicque partiti sunt in quatuor partes vestimenta Christi exteriora, sed tunica interior inconsutilis non fuit ab eis discissa, sed una cum reliquis quatuor partibus tota fuit sorti commissa, quis eam tolleret, ut patet ex Joan. 19. v. 24. & quid quis tolleret de vestimentis divisis, ut patet ex Marc. c. 15. v. 24.

36. *Ut impleretur*, &c. Hæc in Sixti V. editione male omissa Clemens VIII. bene restituit ex Græc. Syr. & vetustis Codicibus.

Diviserunt sibi vestimenta mea, &c. Hæc verba sumta sunt ex Psal. 21. qui totus est de Christo, quod satis indicat Christus, dum infrà prima hujus Psalmi verba sibi applicat, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

36. *Servabant eum.* Scilicet carnifices & reliqui custodes cum Centurione suo, de quo infra.

37. *Hic est Jesus Rex Judæorum.* Matth. Marc. & Luc. videntur expressisse sensum, non ipsa verba causæ supplicii, Joannes verò ipsa verba cruci affixa, ut confirmant communiter crucium inscriptiones.

38. *Duo latrones.* In textu Græco apud Luc. c. 25. v. 33. appellantur κακοῦργοι, facinorosi, malefici.

42. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Christus erat Agnus è grege sumtus adinstar Agni Paschalis Exod. 12. v. 3. sumtus ex fratribus suis, ut dicitur Deut. 28. v. 15. æquè particeps carnis ac sanguinis, fratribus denique per omnia similis, excepto peccato, ut dicit Apostolus in Epist. ad Hebræos cap. 2. & 4. Quod ipsum Lex aperte innuit, cùm Agnum jubet integrum eligi in victimam Paschalem Exod. 12. v. 5. pro quo Græci τέλειον, *perfectum* habent, aut, ἄμωμον *immaculatum*; quò patet Petrum in 1 Epist. c. 1. v. 19. alludere, cùm redemtionem nostram tribuit sanguini, ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου *Agni immaculati & incontaminati*, id est, à peccato immunis; peccata enim sunt maculæ animæ. Ab iis autem Christum fuisse prorsus immunem in confesso est; quis enim eum arguit de peccato? Joan. 8. v. 46. non peccavit, neque inventus est dolus in ore ejus. 1 Petri c. 2. v. 22. ille ipse Pilatus, qui Christum tanquam reum secundum petitionem Judæorum cruci adjudicavit, eumdem tanquam insontem suffragio suo absolvit, professus coram Judæis se nullam in eo noxam reperiisse. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui per Spiritum-Sanctum semetipsum offerret immaculatum Deo; neque enim pro nobis potuisset satisfacere, qui victimas offerre pro suis delictis necesse habuisset, ut Sacerdotes ceteri: neque immeritò à Judæis id illi fuisset objectum: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.* Sed falluntur Judæi, ideo enim se non salvat, ut alios salvos faciat, qui apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in se non habet, ut dicitur 1 Joan. c. 3. v. 5.

Descendat nunc de cruce. Non descendet, perfidi Judæi, quia tempus non est ostendendæ potentiæ, sed perfectæ patientiæ; ut advertit Aug. in Psal. 40. ne impatientiæ videatur cedere. Non descendet, ut majus divinitatis suæ præbeat testimonium, tantam patientiam exercendo, quantam nemo posset hominum, & post mortem gloriosè resurgendo.

Et credimus ei. Græcè, *credemus.* Hæc non seriò promittunt, sed propter conditionis, ut putant, impossibilitatem:

ut

ut enim ait Hieron. *Quid est plus de cruce descendere adhuc viventem, an è sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit & non credidit, ergo si etiam de cruce descenderet similiter non credere-tur.*

43. *Confidit.* Id est, jactavit se fiduciam habere.

Si vult eum. Id est, si Deus Pater ei favet tanquam dilecto Filio suo.

44. *Latrones improperabant ei.* Vide dicta suprà c. 21. v. 7.

45. *A sexta autem hora.* Scilicet, jam transacta, seu signo ejus dato, hoc est, ipso medio die, quo lumen solis est maximum. Hinc colligitur Christum fuisse crucifixum horâ sextâ, ut & insinuat Joan. dum dicit Christum horâ quasi sextâ fuisse adductum foràs à Pilato sedente pro tribunali in loco qui dicitur *Lithostrotos*, ubi eum tradidit voluntati Judæorum, ut crucifigeretur. Verùm opponitur quod Marcus dicit c. 15. v. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Hujus difficultatis duplex est solutio, ut improbabiles omittamus. Prima est communior, nimirùm ut dies dicatur partitus in quatuor partes, quarum unaquæque complectatur tres horas, ut patet ex Matth. 20. ubi paterfamilias dicitur exiisse conducere operarios primo mane, circa horam tertiam, sextam, & nonam, adeo ut unumquodque trium horarum spatium nomen habuerit à prima earum hora, sicque Marcus dixerit Jesum crucifixum horâ tertiâ, quia nondum sexta erat data, totum autem spatium à tertia hora usque ad sextam horam datam tertia vocabatur. Quia verò mox datura erat sexta, ex Joan. colligitur Christum fuisse crucifixum horâ quasi sextâ, seu ad exitum spatii trium horarum, quod tertia dicebatur; mox verò sextâ datâ factæ sunt tenebræ, de quibus loquitur Matth. Altera est solutio, ut sensus apud Marcum sit, erat autem tertia hora, seu tertia jam agebatur hora, ex quo actus fuerat Christus in crucem, dum facta est inter milites divisio vestimentorum Christi, de qua locutus est Marcus versu laudatum mox præcedenti, & ceteri Evangelistæ diserte testantur, quòd contigerit post crucifixionem Christi, licet non determinent, quotâ præcisè horâ post crucifixionem contigerit, adeo ut particula & sumatur pro, *postquam*, qui Hebraismus frequens est in Scripturis, ut videre est, Josue 7. v. 25. &c. sicque Marcus non assignat horam crucifixionis Christi an fuerit hora tertia vel sexta.

Tenebræ factæ sunt. Hujus eclypseos meminit pseudo-Dionysius Areopag. Epist. 7. ad Polycarpum, ubi notat factam

illam contra rationem eclypſis ſolaris, cùm non eſſet Synodi tempus. Harum tenebrarum etiam Phlegontem meminiſſe in Olympiadibus, teſtes ſunt Tertullianus, Origenes, Africanus, Philoponus, & alii, qui & ipsâ hujus prophani hiſtorici authoritate utuntur ad Gentilium obſtinationem convincendam, & Chriſti mortem admirabilem perſuadendam. Tertul. in Apolog. c. 21. *Eodem*, inquit, *momento, quo Chriſtus crucifixus eſt, dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt.* Hanc eclypſim in Græcorum libris legi teſtatur Oroſius lib. 7. c. 4. Ethnicis Romanis innotuiſſe, & ab ipſis in Annalibus ſcriptum, at evulgari vetitum invidiâ, ne cœlum doluiſſe Chriſti velut divini viri mortem putaretur, ſcribit B. Aug. Epiſt. 80. ad Heſychium. Hinc apud Ruffinum in Actis Sancti Luciani martyris illud ſolemne: *Perquirite in Annalibus veſtris, & invenietis temporibus Pilati fugato Sole interruptum tenebris diem.*

46. *Sabaſthani.* Eſt dictio Syriaca pro Hebræo עזבתני. *Eli* & *Elohi* ut habetur apud Marcum, idem ſonant Hebraicè.

Ut quid dereliquiſti me? Hæc eſt vox dolentis, miſerámque ſuam vicem deflentis ex præſenti ſenſu intolerabilis ſuæ deſertionis. Quemadmodum autem ſol in paſſione Chriſti à mundo non disjunctus, ad id tamen temporis mundum deſeruit, ſubtrahendo ab ipſo ſuum lumen; ita ſervatâ unione hypoſtatica, Chriſti divinitas humanitatem deſeruit, ut eiſdem teneretur anguſtiis, quibus illi qui cum maximis ægritudinum paroxyſmis conflictantur. Unde Hieronymus, *Ne mireris*, inquit, *verborum humilitatem, & querimonias dereliſti, cùm formam ſervi ſciens ſcandalum crucis videas.* Porrò præſens hoc querimoniæ verbum eſt quartum à Chriſto in cruce prolatum. 1ò enim pro crucifixoribus oravit, ut habetur Luc. 23. v. 34. 2ò latroni ſe deprecanti Paradiſum, id eſt, beatitatem voluptatis pleniſſimam promiſit, ut habetur ibidem v. 43. Deindè Matri ſuæ Joannem commendavit, & Joanni Matrem ſuam, ut habetur apud Joannem c. 19. v. 26. Quartò poſtquam ſol occidiſſet in meridie juxta prophetiam Amos cap. 8. & ſic tenebræ factæ eſſent ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam, quæ nobis tertia eſt pomeridiana, derelictum ſe queſtus eſt, non per deſperationem, cùm in eodem Pſalmo Chriſtus Patrem ſuum vocet ſpem ſuam ab uberibus Matris, nec quiſquam poſſit dicere, ut advertit Ambroſ. in Pſal. 43. *Deus meus, niſi qui Deo defert plenum pietatis effectum.* B. Leo Serm. 17.

17. de Paſſione, vult hæc verba, *ut quid dereliquiſti me*, eſſe inquirentis cauſam derelictionis, ut nobis daret occaſionem quærendi cauſam mortis Chriſti & fructum ejus, ſcilicet peccatum hominum offendentium, & gratiam Dei offenſi: nam utrumque tam magnum eſt, ut ſoli Deo planè perſpectum ſit. Cyrillus lib. 2. ad Reginas vult ſenſum eſſe, Memento Deus ut quid, ſeu in quem finem me dereliqueris, nimirum ut placatus ultionem humano generi imminentem avertas; & ita ſunt verba Chriſti tanquam Sacerdotis Patrem placantis, & fructum ſacrificii exorantis pro humano genere. Qui ſcire cupit quomodo factæ ſint tenebræ ſupra univerſam terram, conſulat Dionyſium Areopagitam in Epiſt. ad Polycarpum, & Phlegontis teſtimonium, quod habetur apud Euſebium in Chronico anno Chriſti 33. quibus oppoſitum videre poteſt B. Ambroſium Epiſt. 83. & alibi, qui vult non per eclypſim, ut exiſtimant authores præfati, ſed per verum occaſum ſolis in occidente trium horarum ſpatio ſuper univerſam terram factas eſſe tenebras.

47. *Eliam vocat iſte.* Id dictum veriſimile eſt à Judæis Helleniſtis, qui cùm Hebraica verba non intelligerent, Eliæ nomen ſibi notum audire arbitrari ſunt, niſi fortè illudendi causâ ex induſtria ſacra Chriſti verba hi, de quibus loquitur Evangeliſta, perverterint.

48. *Et continuò.* Nimirum poſtquàm verbum quintum, *ſitio*, protuliſſet Chriſtus, ut patet ex Joannis 19. v. 28, & 29.

Impoſuit arundini. Ut nimirum poſſet porrigens ſpongiam aceto plenam pertingere ad os Chriſti in crucem à terra exaltati. Sunt qui exiſtimant hanc arundinem fuiſſe hyſſopi caulem, quòd Joan. cap. 19. ait, *Illi autem* (hîc Joannes quod ab uno milite factum eſſe conſtat ex Marc. & Matth. militibus indeterminatè tribuit, ſicut Marc. & Matth. latronibus, quod ab uno latronum factum eſſe dicitur, Luc. 23. v. 39.) *ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Sed falluntur, nam apud Marc. & Matth. in textu Græco habetur θέντες κάλαμῳ. At κάλαμος non pro ſola quidem arundine capitur, ſed propriè eſt, frumenti caulis, ut habetur in Heſychio, unde ad alia transfertur, & calamus dicta fiſtula ex calamis conflata, & ſtipula καλάμη; & propriè calamitatem ruſtici grandinem vocant, quòd comminuat calamum, hoc eſt, culmum & ſegetem. Ita Donatus ad Comicum. Et calamus ſcriptorius, quomodo cùm Græci κάλαμον nunquam ſumſerint, hujus tamen uſus à Romanis ad Chaldæos, Arabes, Æthiopes & Perſas eſt pro-

pagatus. Nusquam tamen legitur pro herbæ caule, qui neque sit nodosus, neque concavus, qualis est hyssopi caulis. Secundò hyssopi caulis non potuit ad hoc sufficere, ut spongia ipsi defixa vel involuta potuerit ad Christi e terra in crucem exaltati os admoveri, cùm hyssopi caulis etiam longissimus non sit cubitalis, ut testatur Isaacus Ben-Omram. Nec satis solida est eorum ratio, qui colligunt hyssopum in Judæa arborescere, ut sinapi, de quo Christus Matth. 13. v. 31. ex eo quod dicitur Salomon de omni arbore differuisse à cedro usque ad hyssopum, quasi hyssopus sit arbor; Hebraice enim pro arboribus habetur עצים, quod sonat *ligna*, quæ vox extenditur Josue 2. v. 6. usque ad stipulam lini. Nos itaque exiltimamus, neque idem dici à Joanne atque à Matthæo & Marco, neque sollicitandum textum Joannis citra fidem ullius exemplaris, sed *hyssopo* sumendum apud Joannem, non in Dativo, quasi spongia hyssopum circumdederit, ut communiter sumitur ob errorem olim inveteratum, Græcos carere Ablativo, sed in Ablativo, ut indicetur spongiam aceto plenam fuisse circumdatam hyssopo, seu herbâ hyssopi, ut existimat Augustus seu hyssopi succo, ut existimat Nonnus; nempe ut aceti acore cum hyssopi amaritudine mixto fieret potus ingratior. Nemo autem mirabitur Evangelistam dixisse *hyssopo circumponentes*, supple, illam spongiam, *obtulerunt ori ejus* pro, *hyssopo circumpositam*, qui legerit apud Matth. c. 26. v. 27. *Accipiens calicem gratias egit & dedit illis*, pro eo quod Marcus dicit c. 14. v. 23. *Accepto calice gratias agens dedit eis*, &c. atque ita Matth. & Marcus de aceti spongia egerant, & quomodo calamo alligata Christi ori fuisset admota; sed hoc unum præterierant, quod Joannes supplet, spongiam illam fuisse hyssopo circumdatam, ut non solùm acerbus, sed & amarus esset Christi potus, ut impleretur quod dictum est per David Psal. 68. *Et dederunt in escam meam fel, in siti mea potaverunt me aceto:* In quo Psalmi loco quod in Vulgata redditur *fel*, Hebraice est ראש, quod propriè est herbæ amaræ genus in segetibus nascens Oseæ 10. v. 4. ubi à Vulgata redditur *amaritudo*. Hæc autem herba cum absynthio sæpè jungitur, ut æquè amara, ut videre est Deut. 29. v. 18. Jerem. 9. v. 15. Thren. 3. v. 19. & Amos 6. v. 12. Amaram autem in Judæa esse hyssopum testatur Isaacus Ben-Omram mox citatus.

Dabat ei bibere. Supple ex Marco c. 15. v. 36. *dicens*, ceteris astantibus, *Sinite videamus si veniet Elias ad deponendum eum.*

49. *Ceteri verò dicebant.* Scilicet, porrigenti spongiam aceto plenam & hyssopo circumdatam.

50. *Jesus*

50. *Jesus autem.* Nempè cùm accepisset acetum, & dixisset *consummatum est*, ut habetur Joan. 19. v. 30. clamans voce magnâ, clarè ac sonorè emittens emortualia verba, Luc. 23. v. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Græcè, *commendabo*, id est, jam jam deponam animam meam in manus tuas.

Emisit spiritum. Supple, *inclinato capite*, ex Joan. 19. v. 30. Verè tunc dici potuit illud Psalmi. *Emittes spiritum & renovabis faciem terræ.* Emisit Christus spiritum & novum induxit seculum & vetera abolevit, ut ea in melius mutaret & quasi recuderet; emisit spiritum & ecce nova fecit omnia, velum templi scissum est ad ostendendum reserationem mysteriorum Legis; aperta sunt monumenta ad ostendendum quòd per ejus mortem vita mortuis daretur nova, terra mota est, & petræ scissæ sunt, ad ostendendum quòd vetus cordium humanorum durities, per ejus passionem esset convertenda in novam compunctionem per quam emollirentur, novum instituit Testamentum, nomen novum victori pollicetur Apoc. 2. v. 17. novam nobis viam per carnem suam consecravit Heb. 10. v. 21. nos invitat ad novam Jerusalem Apoc. 3. v. 12. ex duobus populis condidit in semetipso unum novum hominem Ephes. 2. v. 15. Vult ut Deo serviamus in novitate spiritûs, non in vetustate literæ Rom. 7. v. 6. & hominem veterem crucifigamus ut novo induamur Ephes. 4. v. 24. Proinde siquis est in Christo, ut ait Apost. 2æ. ad Corinth. c. 5. v. 17. nova sit creatura, vetera enim transierunt, & ecce facta sunt omnia nova. Est insuper animadvertendum quòd Christus mortuus est & expiravit horâ nonâ, quæ nobis est tertia post meridiem, quâ horâ mactabatur olim Agnus Paschalis inter duas vesperas, quod est, Josepho interprete, ab hora nona usque ad undecimam. Et sicut à Davidis ævo Paschales Agnos mactari oportuit Jerosolymis, ita verus agnus ibi passus est, prout ipse prædixerat non contingere ut Propheta pereat extra Jerusalem Luc. 13. v. 33.

51. *Et ecce.* Hac loquendi connexione, ut observat Aug. lib. 3. de consensu Evang. c. 19. indicat Matthæus statim post expirationem Christi velum Templi scissum fuisse. An velum illud fuerit velum exterius, quod primis portis oppandebatur, ut existimant Origenes & Hieronymus, an verò velum interius, quod instar parietis separabat Sanctum Sanctorum à Sancto, ut existimant Cyrillus Alex. B. Leo & alii plerique veteres, definiri non potest. Duo autem fuisse vela in Templo, quod Herodes instauraverat, ex Josepho discimus belli Judaici lib. 5. c. 14. Unde non est urgendus articulus in textu Græco apud Matth. & Marc. dum dicunt τὸ καταπέτασμα, quasi insinuarent unicum tunc in Templo velum fuisse; ut

enim non ſemel in commentariis ſuis in Joannem monet B. Chryſoſtomus, tunc demum urgeri poſſunt articuli, cùm neque rationes Theologicæ, neque Hiſtoria obſtat.

53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus.* Hinc Tertul. hos vocat *appendices Dominicæ Reſurrectionis.* Videtur autem illud *poſt reſurrectionem ejus* referendum ad omnia precedentia, *exeuntes, ſurrexerunt, aperta ſunt*; ratio enim ſicut vetabat ne exirent de monumentis ante Chriſti reſurrectionem; ita etiam ne antè reſurgerent, vel antè monumenta aperirentur, quanquam hoc poſtremum ſit incertius.

Venerunt in ſanctam civitatem. Id eſt, à monumentis, quæ erant extra civitatem, venerunt in civitatem Jeruſalem, quæ ſancta appellatur propter Templum & Sancta Sanctorum, & ob diſtinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando verò dicitur, apparuerunt multis, oſtenditur non generalis fuiſſe reſurrectio, quæ omnibus appareret, ſed ſpecialis ad plurimos, ut hi viderent, qui cernere merebantur. Hæc Hieron. Vide Aug. in Epiſt. 99. ad Evodium; ubi ſentire videtur quod qui reſurrexerunt cum Chriſto, iterùm morituri reſurrexerint, quàm ſententiam etiam D. Th. 3. p. q. 53. art. 3. ad 2. præfert alteri, quà dicuntur ſic reſurrexiſſe, ut non eſſent ampliùs morituri, licet hanc poſteriorem opinionem idem S. Doctor junior 4 diſt. 43. art. 3. quæſtiunc. 1. & ſub illius nomine autor commentarii in Matth. judicaverit probabiliorem. B. Hier. in hunc locum, & apud ipſum ſub ejus nomine autor Sermonis de Aſſumtione utramque ſententiam ſub dubio reliquit.

54. *Centurio autem.* Supple ex Marc. 15. v. 39. *Qui ex adverſo ſtabat*, hoc eſt, è regione Chriſti crucifixi.

Et his quæ fiebant: Inter quæ potiſſimùm comprehenditur, ut patet ex Marco, quòd clamans Chriſtus expiraſſet.

Dicentes. Hoc eſt, Deum glorificantes, ut patet ex Luc. c. 23. v. 47. *Dicebant verè filius Dei erat iſte.* Cyrillus & Baſilius exiſtimant hic confeſſione Centurionem, & qui cum eo erant, agnoviſſe Chriſti divinitatem; ſed magis veriſimile videtur, eos tantùm agnoviſſe innocentiam Chriſti, & juſtitiam. Unde apud Lucam, qui meminit tantùm confeſſionis à Centurione factæ, non verò quæ ab iis, qui cum eo erant, facta eſt, hæc Centurioni Deum glorificanti tribuit verba; *Verè hic homo juſtus erat.* Aug. enim lib. 3. de conſenſu Evang. c. 20. exiſtimat Lucam non meminiſſe confeſſionis diſtinctæ ab ea, cujus meminit Matthæus. Addit autem Lucas omnem turbam adſtantem ad ſpectaculum iſtud, viſis his quæ fiebant, percutientes pectora ſua eſſe reverſos, ut indicetur qui facit mirabilia ſolus, feciſſe ne in electis hominibus otioſa jam eſſet ea, quæ apud ſe eſt copioſa re-

redemtio, ut impleretur istud Christi effatum, *Si exaltatus fuero à terrâ, omnia trahàm ad meipsum: Videlicet electa*, inquit S. Greg. Magnus lib. 6. Ep. 179. ad Gregorium Presbyterum & Theodorum Diaconum.

55. *Erant autem ibi mulieres, &c.* Consuetudinis Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam more gentis antiquo) ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum facere poterat in Nationibus, Paulus abjecisse se memorat 1 Cor. 9. v. 5. dicit enim ipse, *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli?* ministrabant autem Domino de substantia sua, cujus illæ metebant spiritalia; non quòd indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quòd victû atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti.

56. *Maria Jacobi, & Joseph Mater.* Eadem hæc est, quæ vocatur à Joanne Maria Cleophæ, quod nomen patris ejus quidam esse volunt, ita ut fuerit filia Cleophæ, uxor Alphæi, & mater Jacobi fratris Domini, & Judæ, qui se ipse nominat fratrem Jacobi, & Joseph, sive Jose, Ἰωσῆ, ut habent Græca; idem enim nomen est, pronuntiatione diversâ. Sunt qui existimant maritum hujus Mariæ, non patrem, fuisse Cleopham, qui fuerit cognominatus Alphæus.

Et mater filiorum Zebedæi. Hanc existimat Origenes esse illam, quam Marcus 15. v. 40. vocat Salomen.

57. *Cùm autem serò factum esset.* Supple ex Joan. 19. & Judæi, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, rogassent Pilatum, ut frangerentur crucifixorum crura, & unus militum transfixisset lanceâ latus Christi, & continuò exiisset sanguis & aqua, non fractis ejusdem Christi cruribus, quòd repertus esset jam mortuus. Nota obiter ad morem crucifixos è cruce eximendi, ut festi honori consulatur, insignia esse hæc Philonis, in Flaccum, ubi de festo Imperatoris natalitio; *Quosdam jam novi crucifixos, instante tali festo, de cruce depositos, & cognatis redditos, ut sepulturam, & justa exequiarum exequerentur. Decebat enim vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus, simúlque solemnitatis sacrum servari honorem.*

Venit quidam homo dives, &c. Dives refertur non de jactantia scriptoris, quo virum nobilem atque ditissimum referat Jesu fuisse discipulum, sed ut ostendat causam, quare à Pilato corpus Jesu potuerit impetrare. In alio Evangelista Joseph iste βουλευτὴς appellatur, id est, Consiliarius, & de ipso quidam putant primum Psalmum esse compositum, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, &c.* ut refert Hieron. In Latina versione appellatur hic Joseph apud Marc. *nobilis Decurio.*

Ari-

Arimathæa. Civitas Judæ putatur esse propter Lyddam inter Jerusalem & Joppen; dicitur autem hic Joseph ab Arimathæa, quia inde erat oriundus, licèt fuerit Jerosolymæ accola. Videat autem prudens lector, quid interſit inter illam locutionem, *Venit Joseph ab Arimathæa*, ut loquitur Marcus c. 15. v. 43. & istam quâ utitur Matthæus cap. 2. *Magi venerunt ab Oriente*, an non eodem modo dici possit Magos Orientales venisse, sicut hîc dicitur Joseph Arimathæus? Vide dicta suprà c. 2. v. 1.

58. *Tunc.* Supple ex Marc. 15. v. 45. cùm cognovisset à Centurione Pilatus, quòd Jesus esset jam mortuus.

59. *Et accepto corpore Joseph involvit illud in sindone munda.* Quam nimirùm mercatus erat, ut dicit Marc. c. 15. v. 46. Involvit autem corpus Jesu postquam ad eum venisset Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Est autem sindon pannus lineus subtilissimus, quæ hîc dicitur munda, quia nova; non solùm autem Joseph involvit corpus Jesu centum libris aromatum conditum in sindone munda, sed etiam unà cum Nicodemo illigavit illud institis, sicut mos est Judæis sepelire, faciem tegendo sudario. Conferatur v. 40. c. 19. Joan. cum v. 6. & 7. c. 21. patebit eâdem formâ Christum fuisse involutum, quâ fuit Lazarus Joan. 11. v. 14. Monet autem Aug. super Joan. tract. 120. ideò ab Evangelista dici *sepelierunt eum sicut mos est Judæis sepelire*, ut admoneremur in hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cujuslibet gentis esse servandum.

60. *Et posuit illud in monumento novo.* Ne post resurrectionem ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. Nemo autem miretur Christum Dominum à Josepho fuisse sepultum ipso Paschatis die, siquidem & Tobias c. 2. v. 1. & 4. legitur in Textu Græco die Pentecostes mortuum extulisse, ut ejus sepulturæ prospiceret. Quidni autem de Christo idem licuisset, cùm res non posset differri, quia instabat Sabbatum, quo nullum prorsus opus facere licebat, ne cibum quidem parare, ut habetur Exod. 16. quod licebat facere die azymorum, ut habetur Exod. 12. Deinde etsi festa Judæorum duraverint noctem & diem, tamen nocturnis horis multò plura licebant, quàm diurnis, quibus populus convocandus, & cultui divino vacandum erat. Vnde Evangelista observat Josephum corpus Christi è cruce depositum pollinxisse & sepelisse, cùm jam sero factum esset.

61. *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria.* Duas præcipuas nominant Matth. & Marc. hîc ex mulieribus, quæ subsecutæ sunt Christum, & sederunt contra sepulchrum videntes ubi poneretur, & quemadmodum positum erat corpus ejus,

ejus, & revertentes paraverunt aromata & unguenta, ut habetur Luc. 23. v. 55, & 56.

Sedentes contra sepulchrum. Id est, è regione sepulchri.

62. *Alterâ autem die, quæ est post Parasceven.* Hanc Parasceven vocat Joan. Parasceven Paschæ, non quòd fuerit vigilia festi Paschæ, sed quòd fuerit Veneris dies, quæ Sabbati fuerit Parasceve, & inciderit in ipsum Paschatis festum; quomodo nos appellamus Dominicam Pentecostes, vel Paschatis, quæ incidit in ipsum Paschatis festum, sic veris vel autumni æquinoxium, quod in ver vel autumnum incidit. Appellabatur autem ab Hebræis dies Veneris ערב *Erev*, vel ערובתא, *Arouvta*, *Parasceve*, ut & ab ipsis Arabibus, qui Sabbatum non observabant; quia cùm Sabbato ignem accendere, parare cibum non licuerit, necessaria fuit Parasceve, id est, horas aliquas ante Sabbati vesperam insumere in iis instruendis & adornandis, quæ ad festum erant necessaria, ut præcipitur Exod. 16. v. 5, & 23. Hinc Marc. c. 15. v. 42. diserte dicit, *Erat Parasceve, quod est Ante-Sabbatum.* Et Luc. 23. v. 54. *Et dies erat Parasceves & Sabbatum illucescebat*, id est, imminebat. Et in Bereschith Rabba c. 11. dies hebdomadis sic nominantur, prima hebdomadis, secunda, tertia, quarta, quinta, Parasceve, Sabbatum.

63. *Post tres dies.* Hebraismus, id est, intra tres dies, sic enim Hebræi loqui solent, ut dicant post tres dies fieri, quod fit tertio: Sic Deut. 31. v. 10. Annus remissionis dicitur esse post septem annos, cùm tamen annus remissionis septimo quoque anno contingeret.

64. *Jube ergo custodiri sepulchrum, &c.* Non suffecerat Principibus Sacerdotum, & Scribis, ac Pharisæis crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, & quantùm in illis erat, manum opponeret resurgenti, ut diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quanto enim amplius reservatur, tanto magis resurrectionis virtus ostenditur. Unde & in monumento novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est; ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. *Quòd autem in sepulchro ponendus esset, Prophetæ testimonium est, nempe Esaiæ dicentis c. 33. secundum LXX. Hic habitabit in excisa spelunca petræ fortissimæ, stabilemque post duos versiculos sequitur, Regem cum gloria videbitis.* Hieron.

Novissimus error. Græcè, novissima impostura.

66. *Munierunt.* Græcè, ἠσφαλίσαντο, quod verbum suprà vertitur per custodiri: propriè autem significat, tutum reddere contra pericula & munire, sicut hìc vertitur.

Signantes lapidem cum custodibus. Q. d. Duobus modis sepul-

pulchrum munierunt. Primò sigillo publico contra omnem fraudem, sive corruptorum custodum, sive Discipulorum, obsignarunt lapidem, quo ostium sepulchri claudebatur; secundò adhibuerunt custodiam militum.

CAPUT XXVIII.

1. VEspere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati. Hoc Gallicè diceretur, *la nuit du Samedy au Dimanche*; quia nimirùm nox seu vespera Sabbati dupliciter dici potest, scilicet vel quæ succedit feriæ sextæ, & secundum usum Judæorum à solis occasu diem inchoantium unà cum die Sabbati artificiali integrat diem naturalem; vel vespera seu nox, quæ succedit Sabbato; hæc confusio ut tolleretur, & nulla esset ambiguitas, quâ nocte surrexerit Christus, addit Evangelista, *quæ lucescit in primâ Sabbati*, ubi vesperam lucescentem dixit, noctem advenientem in prima Sabbati, quasi diceretur nox, quæ pertinet ad primam Sabbati. Sic Lucas c. 23. v. 54. narratis omnibus, quæ contigerant in sepultura Christi ait, *Et dies erat Parasceves, & Sabbatum illucescebat*, id est, advenichat, seu imminebat. Hæc de tota phrasi Evangelistæ sunt scienda, nunc examinemus voces sigillatim.

Vespere. Vespera Hebræis & mane non sunt, sicut apud nos, extrema diei naturalis, à se invicem multùm dissita, sed integrantes naturalis diei partes, quæ totam conficiunt, ut videre est Genes. 1. Hinc totum νυχθήμερον, Dan. 8. v. 14. vocatur Hebraicè ערב בוקר *vespera-mane*. Et eadem vox נשף, ὀψὲ *vespere* redditur Esaiæ 5. v. 1. & πρωΐ *mane*, Job 7. v. 4. Vocat igitur Matth. vesperam illucescentem, noctem jam recedentem ut illucescenti auroræ locum faciat, nisi malis illucescentem dici, quasi advenientem. Ceterùm indifferenter dici possunt mulieres fecisse vesperè, seu noctu, sive mane, seu diu, quod fecerunt valdè diluculo seu summo mane, cùm adhuc essent tenebræ; ut enim monet Gellius l. 7. c. 21. *Tempora duo cùm inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis, locus ipse confinii demonstretur.*

Sabbati. Græcè, σαββάτων, est Enallage numeri familiaris Hellenistis, ut Hebræam vocem שבתון reddant, σάββατα, ut videre est Exod. 16. v. 10. & c. 20. v. 10. & alibi passim. Unde optimè Vulgatus interpres vertit τῶν σαββάτων per genitivum singularem bis in præsenti versiculo; neque rarò in novo

novo Testamento legimus τῆς σαββάτου eveniſſe, quod uno Sabbato evenit. Vocatur autem iſſud Sabbatum crucifixionem Chriſti mox ſubſequens Joan. 19. v. 31. *Magna dies Sabbati*, quia apud Judæos nullum fuit feſtum, in quod non quadraret hoc epitheton. Joan. 7. v. 37. *Magna dies feſti* vocatur ultima Scenopegiæ, quæ tamen ſupra primam nihil habuit. Eſa. 1. v. 13. ubi Hebraice habetur, *Novilunium & Sabbatum & ſolemnem convocationem non feram.* Græci hab.nt: *Neomenias veſtras & Sabbata, & diem magnam non feram.* Proindè ad hunc Eſaiæ locum Procopius aſſerit magnam diem appellari diem quamlibet in Lege Κλητὴν (à populi convocatione) dictam, ut azymorum prima & ſeptima, & Pentecoſte, & decima menſis (Tiſri) & uno verbo, feſta quævis ſolemnia; itaque nulla eſt dies ſacris cœtibus convocandis deſtinata, quæ non pro magna haberi debeat, ideóque omne Sabbatum magnum dici poteſt, & in primis, ſi in aliquem azymorum diem incidat, ad quorum celebrationem Jeroſolymam undequaque confluebant Judæi omnes. Tamen hodie Judæi Sabbatum magnum vocant, non quod in Paſchales dies incidit, ſed quod illos proximè præcedit, cujus appellationis ratio fabuloſa eſt in Synagoga Buxtorfii c. 12.

Qua luceſcit. Id eſt, ut diximus, quæ advenit, vel quæ iſſuceſcenti auroræ locum facit.

In prima. Græcè, *in unam*, quod eſt Hebraiſmus; apud Hebræos enim numerus Cardinalis paſſim ponitur pro numero ordinali. Sic Geneſ. 1. v. 5. dicitur, *Factúmque eſt veſpere & mane dies unus*; hic autem Hebraiſmus ſervatus eſt etiam in textu Latino apud ceteros tres Evangeliſtas.

Sabbati. Id eſt, Hebdomadæ; nam vox *Sabbaton* ſumitur & pro die ſeptima Hebdomadis, & pro Hebdomade; 1. modo ſumitur principio præſentis verſiculi. 2. ſenſu ſumitur quoties præceditur ab aliquo numero ordinali, & interdum etiam ubi non præceditur ab hujuſmodi numero; ſicut in illo dicto Phariſæi apud Luc. c. 18. *Jejuno bis in Sabbato.* In veteri Calendario Romano à Doctiſſimo Academiæ Pariſienſis Cancellario Joanne Frontone in lucem edito & eruditiſſimis notis illuſtrato Hebdomada dicitur pro die Dominica; ita ut cùm apud Hebræos Hebdomada appelletur nomine Sabbati, apud Chriſtianos è contrà dies Dominica deſignata fuerit nomine Hebdomadæ, quia Dominicæ officium toti inſervit Hebdomadæ, uti obſervat idem Fronto. pag. 14. & 74. modò citati operis.

Venit. Id eſt, ſecundum Dionyſium Alexandrinum, ad veniendum ſe accinxit; ſecundum Auguſt. verò advenit. Nam Dionyſius Alexand. in Epiſt. ad Baſilidem vult mulieres nocte ſubſequente Sabbati diem valdè diluculo ſuſcepiſſe iter ad mo-

nu-

numentum Christi, cùm scilicet adhuc essent tenebræ, sed ad sepulchrum non advenisse, nisi orto jam sole, ut habet Marcus. Secundum Aug. verò, cui libentius subscribimus, vespere seu nocte subsequente Sabbatum, jam illucescenti auroræ locum faciente, seu ut Marcus loquitur, *valde mane, orto jam sole*, id est, proximo adveniente in has partes sole, seu ortu suo jam cœlum illuminare incipiente (ad hunc enim sensum referri potest dictio Græca ἀνατείλαντος, quasi dicat, cùm sol jam ad Orientem accessisset; est enim Græcis ἀνατολὴ Oriens) seu ut Lucas, *valde diluculo*, seu ut Joannes, *cùm adhuc tenebræ essent, veniunt mulieres ad monumentum.* Ut autem jam observavi ex Gellio, indifferenter dici potest accidisse diu vel noctu, quod accidit in illo temporis articulo, quo quàm proximè conjunguntur illæ duæ partes integrantes diei naturalis.

Maria Magdalene & altera Maria. Addit Marcus, & *Salome.*

Videre. An scilicet ingredi possent sepulchrum Christum unctura amoto lapide; nam de hoc fuisse sollicitas patet ex earum discursu apud Marcum c. 16. v. 3. Hunc versiculum Evangelistarum interpres Juvencus Presbyter sic expressit:

Sydera jam noctis vicino cedere soli
Incipiunt: tumuli matres tum visere septum.

2. *Et ecce.* Supple, cùm essent in itinere, & dicerent ad invicem, *Quis nobis revolvet lapidem ob ostio monumenti*, ut dicitur Marc. 16. v. 3. cùm enim ad monumentum advenissent, *viderunt revolutum lapidem*, ut dicitur ibidem versu 4.

Revolvit lapidem. Græcè additur, *ab ostio*, scilicet monumenti.

5. *Respondens.* Id est, loqui incipiens, de quo Hebraismo alibi diximus.

8. *Exierunt.* Hoc vocabulo significatur mulieres fuisse ingressas monumentum, ut dicitur Marc. 16. v. 5, contrarium tamen videtur indicare Matth. hîc v. 5. quasi Angelus super lapidem sederit extra monumentum, & invitaverit mulieres ut intrarent, cùm Marcus dicat mulieres ingressas in monumentum, & ibi Angelum vidisse. Vera solutio pendet à forma monumenti. Conflat autem ex descriptione Brocardi, & eâ quam nuperrimè fecit Legatus Regis Franciæ, sepulchrum esse velut cubiculum ferè quadratum ex petra excisum, septem plus minus pedum longitudine & altitudine. Ostium habet valdè demissum ad Orientem. Ad dexteram, id est, ad latus boreale habet loculum instar mensæ valdè demissum, cui Corpus Domini impositum fuit. Porrò antequàm speluncam seu cubiculum istud ingrediaris, occurrit alia crypta ejusdem figuræ, & magnitu-

nitudinis, ſolo pariete ab illa altera ſeparata, in quo pariete fuit oſtium illud parvum, de quo dictum eſt. Sic ergo facilè intelligitur lapidem ab oſtio revolutum fuiſſe ab Angelo, ita quidem ut eſſet extra monumentum, in quo fuerat Corpus Domini; intra tamen prout complectitur etiam illam anteriorem cryptam, & in illo lapide ad dexteram revoluto ſedit Angelus, quaſi ſepulchri interioris cuſtos, tùm demum conſpicuus factus mulieribus, cùm Petrus & Joannes rediiſſent ad ſemetipſos, ut plenius explicabimus Marc. 16. ubi & conſonantiam Evangeliarum de Domini apparitionibus quinque primis, quæ ipsâ die reſurrectionis evenerunt, fusè dicemus.

9. *Jeſus accurrit illis.* Decies Chriſtus apparuit poſt reſurrectionem. 1ò. Mariæ Magdalenæ ſub ſpecie Hortulani, Marc. 16. & Joan. 20. 2ò. Reliquis mulieribus, de qua apparitione hîc Matth. 3ò. Petro, Luc. 24. 4ò. Euntibus in Emaûs, Marc. 16. & Luc. 24. 5ò. Omnibus Apoſtolis ſimul, cùm abeſſet Thomas, Marc. 16. Luc. 24. Joan. 20. hæcque fuit ultima quæ contigit ipsâ die reſurrectionis. 6ò. Poſt dies octo undecim Apoſtolis ſimul, Joan. 20. 7ò. Ad mare Tiberiadis Joan. 21. 8ò. In Galilææ monte pluſquam quingentis fratribus ſimul, de quâ apparitione hîc Matth. v. 16. Apoſt. 1 Cor. 15. v. 6. 9ò. Jacobo, Denique Apoſtolis omnibus in Jeruſalem, 1 Cor. 15. v. 7.

17. *Dubitaverunt.* Scilicet ante id tempus, eſt itaque *dubitaverunt* pro *dubitaverant.*

18. *Data eſt, &c.* Q. d. Data eſt mihi ut homini authoritas quæ ad univerſa ſe extendit, & ego non ampliùs ſecundum corporalem præſentiam cum hominibus converſaturus, vobis meam poteſtatem committo, ut non jam ad ſolas oves quæ perierunt domûs Iſraël, ſed ad omnes totius mundi nationes eatis, eâſque veſtrâ doctrinâ meæ ditioni ſubjiciatis, & deinde ubi fidei ſuſceperint veritatem, mundetis eas lavacro aquæ in verbo vitæ.

19. *Docete omnes gentes.* Non hic ampliùs ſecundum Legalis typicíque cultûs anguſtias audimus, *Non intrabit Ammonita Eccleſiam Dei, aut Moabita*: ſed audimus, *In omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.*

In nomine. Id eſt, in virtute, efficacia, authoritate, quæ una eſt in Patre, Filio, & Spiritu-Sancto, licèt Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus ſint perſonaliter diſtincti. Vel potiùs baptizare in aliquem, ſeu aliquo, in nomen vel nomine alicujus eſt baptiſmo aliquem alteri auctorare, & devovere: unde Apoſtoli leguntur baptizaſſe in nomine Chriſti, Domini Jeſu, Domini Jeſu Chriſti; unde & illud Apoſt. Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus*

sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, id est, quicumque per baptismum Christo sumus auctorati, & devoti. Et idem, 1 Cor. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* id est, numquid Paulo per baptismum estis consecrati? Hinc possumus dici indifferenter baptizati in nomine Patris vel Filii, vel Spiritus sancti, licèt tum administratur baptismus soleat ex instituto Christi administrari in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Secundum Hilarium lib. 2. de Trin. *in nomine*, id est, *in confessione.*

Docentes eos, &c. Fidem ante baptismum, mores post baptismum jubentur docere, quem pulchrum ordinem hîc observat B. Hieron. nam neque fides, neque baptisma satis ad salutem sunt, nisi digna Deo accesserit conversatio.

Omnia. Non hæc, non illa, sed omnia, ut observat B. Basil. procemio in Regul. fusiùs disputatas.

20. *Ecce ego vobiscum sum*, &c. Omnibus Apostolis, eorúmque successoribus in officio pastorali pariter facta est hîc promissio perpetuæ præsentiæ Christi secundum providentiam, & secundum ineffabilem, & invisibilem gratiam. Neque ulla locorum, personarúmque decedentium, vel succedentium diversitas discriminat potestatem ministerii ordinariam Apostolis datam, & ab eis ad successores pari autoritate transmissam. Hinc, *ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii. Potentia divitiarum, & pauperiatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt*, inquit Hier in Ep. ad Evagrium, quæ incipit, *Legimus in Esaia.*

FINIS.

CHRISTO JESU
AUTORI, ET CONSUMMATORI FIDEI
SACRUM,
ECCLESIÆ ANGLICANÆ
ET
CUJUSVIS ORTHODOXÆ
JUDICIO,
HOC QUICQUID EST OPERIS
AUTHOR
EX ANIMO SUBJICIT.

Semper agam grates Christo, dabo semper honores,
Laus Domini semper vivet in ore meo.

Explicatio Literalis

EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

MARCI mentionem ſæpè habent Actus Apoſtolorum & B. Pauli Epiſtolæ; ſed quòd Evangelicæ hiſtoriæ ſcriptoris ea mentio ſit Divo Hieronymo viſum videtur, id tamen non apparet; Evangelii quippe ſcriptor is eſſe potiùs videtur, quem ſub primæ ſuæ Epiſtolæ finem D. Petrus filium ſuum appellat. Is Alexandriæ Eccleſiam, ſecundam olim orbis Chriſtiani Sedem, fundavit; ipſúmque Romæ, Chriſtianis compellentibus, Evangelium ſcripſiſſe: communis eſt Sanctorum Patrum & Euſebii ſententia. Quòd autem id, ut Lucas & Joannes, Græco idiomate conſcripſerit, teſtatur cum D. Hie-

ronymo S. Auguſtinus, Patrúmque maxima pars. Matthæum in multis proximè ſecutus eſt, in pluribus ſolummodò contraxit, in quibuſdam tamen Matthæo fuſior eſt, & ſcitu digniſſimas nonnunquam rerum circumſtantias inter Evangeliſtas ſolus commemorat. Evangelii ſui hiſtoriam, quâ à B. Petro audierat, eâdem ratione recenſuit. Mortuus eſt autem, ut refert B. Hieronymus, octavo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ipſi Aniano. Circa annum à Chriſto nato DCCCXLI. hujus Evangeliſtæ corpus à Juſtiniano Duce Venetias tranſlatum perhibetur.

SAN-

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

CAPUT I. VERS. I.

Initium, &c. Sensus est, narraturus lætissimum illud nuntium de redemtione generis humani, quod in mundum attulit Jesus Christus consubstantialis Dei Filius, à prædicatione Joannis exordium duco, quem ut Evangelii Præcursorem, ita quasi initium fuisse futurum, jam olim à Prophetis erat scripto consignatum.

2. *Sicut scriptum est.* Vide dicta à nobis Matth. 27. v. 9.

Mitto Angelum, &c. Vide Matth. 11. v. 10.

3. *Vox clamantis*, & cætera quæ sequuntur usque ad versum duodecimum, exposita sunt Matth. 3.

4. *Baptizans, & prædicans.* Hoc καθ' ὑστερον πρότερον dictum est; neque enim Joannes vocationem à baptismo ordiebatur:

diebatur: ſed, utì Apoſtoli poſteà fecerunt, ita ipſe etiam priùs prædicabat pœnitentiam, Mat. 3. v. 2. fidem in Chriſtum pro peccatis totius mundi in cruce immolandum Joan. 1. v. 29. & ſtudium bonorum operum, Luc. 3. v. 8. deinde in ſigillum doctrinæ ſuæ de remiſſione peccatorum credentibus in Chriſtum venturum & peccata mundi ſublaturum, ſincereque pœnitentibus, & dignos pœnitentiæ fructus facientibus certò concedendâ baptizabat in nomine, hoc eſt, confeſſione, atque invocatione Dei, qui unus eſt naturâ, & trinus perſonis, à quo juſſus erat baptizare, ut dicitur Luc. 3. v. 2. & 3. Joan. 1. v. 33. Hinc ubi temporis ordo ſervatur, prædicatio quidem pœnitentiæ, hæc autem baptiſmo Joannis præponitur, ut videre eſt, Mat. 3. v. 1, 2, & 3. Luc. 3. v. 3, & 7.

5. *Baptizabantur.* Gregorius Hieromonachus Alexandrinæ Eccleſiæ Primicerius, ac Philothei Patriarchæ ad Florentinam Synodum Vicarius atque Legatus, in ejuſdem Concilii hiſtoria apud Sylveſtrum Sguropulum, Sect. 9. cap. 9. contendit *baptiſma* dici merſionem, ad quam ſequitur emerſio; *catabaptiſma* verò, propriè dici demerſionem, quâ quid peſſum ire, ſeu, ad ſui exitium fundum petere cogitur. Hinc adverſus Parmenianum Carthaginenſem Donatiſtarum Epiſcopum, qui Chriſti carnem dixerat *Jordanis demerſam diluvio*, Scripſit B. Optatus Milevitanus Antiſtes: *Satis inconſideratè hoc uſus es verbo. Quod verbum ſoli Pharaoni & ejus populo debebatur, qui pondere delictorum, tanquam plumbum, ita merſus ſit, ut ibi remanſerit, Chriſti autem caro, dum in Jordanem deſcendit, & aſcendit, demerſa à te dici non debuit.*

8. *Ego baptizo*, &c. Q. d. Ego quidem in remiſſionem peccatorum morte Chriſti impetrandam abluo vos aquâ naturali; at Chriſtus aquâ ſpirituali extraordinariè vos abluet effuſione viſibili donorum, quæ *Spiritûs* nomine in Scripturis ſignantur.

Baptizabit. Apud Græcos autores ordinariè βαπτίζειν eſt *mergere* ac *tingere*. Sed quià aliquid mergi ſolet ac tingi, ut lavetur atque abluatur, βαπτίζειν pro *abluere* uſurpatur Judith 12. v. 7. Eccleſiaſtici 34. v. 30. Luc. 11. v. 33. κατὰ ματάλυσιν. Ut autem ab ordinaria ſignificatione fluxit metaphora quâ βαπτίζειν pro *affligere* uſurpatur, quòd, qui affliguntur, quaſi calamitatum gurgite mergantur & abſorbeantur, ut videre eſt Pſ. 17. Heb. 18. v. 17. 31. Heb. 32. v. 6. 68. Heb. 69. v. 1. 15, & 16. Sic ab altera ſignificatione, quâ βαπτίζειν *abluere* ſignificat transfertur ad donationem

nationem Spiritus-Sancti, qui ut animam imbuat, & abluat, aquæ inſtar in eam effunditur, quomodo loquitur Joel c. 2. v. 28. Petrus Act. 11. v. 17. & Paulus Tit. 3. v. 6. Atque ita Chriſto interprete Act. 1. v. 5. & Petro Act 11. v. 16. Joannes metaphoricè dixit Chriſtum baptizaturum Spiritu-Sancto, prædicens viſibilem ab ipſo faciendam donorum effuſionem, quæ facta narratur à Luca Act. 2. v. 3. Porro quemadmodum, teſte B. Philaſtrio, quia Joannes dixerat Matth. 3. Chriſtum igni baptizaturum, Hermius & Seleucus baptiſmo aquæ uti nolebant, Sic Pauliciani Manichæi, teſte Euthymio Panopliæ parte. 2 Tit. 21. quia Joannes dixit Chriſtum baptizaturum Spiritu-ſancto, res materiales in ſacramentis averſabantur, & uſum aquæ refugientes in baptiſmo, horum duntaxat verborum, *Ego ſum aqua viva*, prolatione perficiebant baptiſmi ſacramentum. Hos Paulicianos alios eſſe à Paulianis, ſeu Paulianiſtis, etſi Balſamo eos confundat, ex Cedreno, Matthæo Blaſtare, & Hiſtoria miſcella evicit doctiſſimus Juſtellus notis in Codicem canonum Eccleſiæ univerſæ ad Can. 15.

9. *Baptizatus eſt à Joanne in Jordane.* Scilicet, nequis ſub ullius ſanctimoniæ, quam antebaptiſmum haberet, prætextu, averſetur baptiſmum aquæ veræ & naturalis, quali Joannes & Apoſtoli baptizaſſe tradunt Scripturæ. Non enim ſola fides converſióque cordis ad ſalutem ſufficit, *niſi ubi articulus neceſſitatis aquam excluſit, non contemtus religionis*, ut poſt Aug. loquitur Petrus Bleſenſis Ser. 24. in feſto S. Jacobi. Quamvis autem, [illegible] Tertullianus ait Lib. De baptiſmo, cap. 4. *Nulla diſtinctio eſt, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; neque quicquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit*, tamen, ut ſanctimonia baptiſmi loco ipſo, ubi baptizari voluit Chriſtus, magis & efficaciùs Chriſti & baptiſmi ejus memoriam ob oculos poneret, multos in ipſo Jordane baptizari voluiſſe in libro De locis Hebraicis ab Hieronymo tranſlato teſtatur Euſebius, qui & id deſideratum à Conſtantino in ejus vita lib. 4. cap 61. aſſerit. Hinc ab Epiſcopo Jeroſolymitano fuiſſe Clerum præfectum baptizandis in Jordane advenis refert in Prato ſpirituali Joannes Moſchus, qui ſexto Eccleſiæ ſeculo vixit.

12. *Statim expulit*, & cætera quæ ſequuntur uſque ad verſum vigeſimum primum, expoſita ſunt Matth. 4.

21. *Statim Sabbatis.* Helleniſmus, id eſt, Sabbato; non enim tamdiu Capharnai manſiſſe Chriſtum, ut per plura Sabbata ibi docere potuiſſet, ſatis patet ex verſu 38. & ex Luc. 4. v. 42. De ſimilibus Helleniſmis, vide Matth. 28. v. 1.

22. *Stupebant*, &c. Vide Matth. 7. v. 28. & 29.

23. *Erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo*, &c. Id est, ut explicat Lucas. c. 4. v. 33. *habens dæmonium immundum*. Sic Galli eum esse in febre dicunt, qui febre tenetur seu laborat.

24. *Quid nobis & tibi*. Supple, rei. Luc. 4. v. 34. in textu Græco præponitur his verbis interjectio, Ἔα, & in textu Latino *sine*, id est, permitte, supple, nobis torquere hunc hominem.

Venisti perdere nos, &c. Exire ab homine perditionem suam vocant dæmones; sic nimirum se malum pati existimant crudeles, dum homines non torquent.

Scio. Hebraismus, id est, experior; nam experiebantur dæmones per effecta virtutis Christi ipsum esse fontem omnis sanctitatis, de cujus redundantia derivatur quidquid in hominibus est sanctitatis. Sic Paulus c. 3. ad Ephesios ait multiformem sapientiam Dei mediante suâ prædicatione per Ecclesiam esse manifestatam Principatibus & Potestatibus, id est, dæmoniis; quia per destructionem operum suorum experiebantur multiformem Dei sapientiam, excitatâ contra eos Ecclesiâ in Gentilitate ab ipsis tamdiu occupata & oppressa.

Sanctus Dei. Hebraismus, id est, infinitis & immensis intervallis superiorem quibusque creaturis habens sanctitatem, quæ definitur à B. Dionysio Areop. lib. de Divinis nominibus c. 12. *ab omni scelere libera, perfecta & omnino immaculata puritas*. *Est autem*, inquit Rabbi David Kimchi in illud Psal. 135. *Justitia tua sicut montes Dei, ea lingua sanctæ consuetudo, cùm rem aliquem eximiam vult demonstrare, ut illam cum Dei nomine conjungat*. Idem in illud Psal. 79. *Cedros Dei*; *Quam*, inquit, *rem vult Scriptura præ ceteris magnam, eam cum Dei nomine conjungit*.

25 *Comminatus est*. Id est, minis adhibitis increpavit, unde Chrysost. Concion. 2. de Lazaro non longè à principio *Christus*, inquit, *dicentes ipsi dæmones, Novimus te qui sis, increpavit multa cum acrimonia, nobis legem præscribens, ne quo pacto dæmoni credamus, licèt veri aliquid dixerit; nam sana dogmata salutiferáque non à dæmonibus, sed ex divina Scriptura licet exactè discere*.

Obmutesce. Immundum spiritum jubet Christus tacere, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, &, ut ait B. Ambros. in Luc. 9. lib. 6. *ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem; improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpè permiscet, ut sub specie veritatis testimonium fraudis*

dis obtexat. Hinc & Paulus dæmoniis tametsi vera dicentibus silentium imposuit Act. 16.

26. *Discerpens.* Id est, vehementi motu concutiens, quod fortè Luc. c. 4. v. 35. expressit his verbis, *cùm projecisset illum in medium.*

Exiit ab eo. Adde ex Luca, *nihilque illum nocuit*, ut loquitur Vulgatus interpres.

27. *Mirati.* Nempe, admiratione religiosâ, ut satis indicant quæ sequuntur, cujusmodi admiratio non solet esse sine timore.

In potestate. Id est, cum potestate, seu tanquam potestatem habens.

Quænam doctrina hæc nova. Quia Dominus ac Redemtor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi ire post concupiscentias suas, neglectis æternis, ad temporales divitias & voluptates cor apponere, & abjectâ justitiæ servitute, diabolo & iniquitati servire? Sed his omnibus cœlestis medicus obviantia adhibet medicamenta, præcipiens pœnitentiam & fidem Evangelii, & miraculis suam doctrinam confirmans.

28. *Rumor.* Id est, *fama*, ut habet Lucas. c. 4. v. 37.

29. *Et protinus*, & cætera quæ sequuntur in præsenti capite exposita sunt à nobis Matth. 8.

34. *Quoniam sciebant eum.* Id est, experiebantur Christi potentiam, quam ipse dæmoniorum ministerio manifestari hominibus nolebat, ut suprà dictum est.

43. *Commiratus est ei.* Id est, *increpavit eum multa cum acrimonia*, ût loquitur Chrysost. loco mox citato.

44. *Vide nemini dixeris.* Non est prohibitio, sed humilitatis significatio, ad nostram instructionem; figuratus enim sermo est, quo significat se ex eo facto non quærerere suam gloriam; sicut alibi dicit, *Non quæro gloriam meam.*

CAPUT II.

1 *Post dies.* Subauditur, aliquot. Ita Gr. & Syr. At Sixt. & Mſ. habent *post dies octo.* Quæ habentur in præſenti capite, expoſita ſunt Matth. 9. & 12. capite.

5. *Vidiſſet.* Supple, miſericorditer.

Fili dimittuntur, &c. Quemadmodum Chriſtus hîc rogatus ut paralyſin ſanaret, contulit & majus bonum remiſſionem videlcet peccatorum; ita Deus, quo ſpiritualem mundationem ac ſanitatem faceret teſtatiorem interdum iis, qui baptizabantur, miraculoſè reſtituit corporis ſanitatem. Sic ut cætera brevitatis cauſâ omittam, Socrates narrat. lib. 8. Hiſt. cap. 4. Judæum, cùm ab Attico Cp. baptizaretur, liberatum fuiſſe à paralyſi.

10. *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Non virtute humanæ naturæ, ſed virtute naturæ Divinæ; in qua quidem natura Divina conſiſtit poteſtas dimittendi peccata per autoritatem, in humana autem natura conſiſtit inſtrumentaliter & per miniſterium.* D. Th. 3. p. q. 16. art. 11. ad 2um.

16. *Videntes quia manducaret cum Publicanis. Convivere peccatoribus, infirmis quidem eſt vitandum propter periculum quod eis imminet, ne ab eis ſubvertantur. Perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile eſt quòd cum peccatoribus converſentur, ut eos convertant; ſic enim Dominus cum peccatoribus manducabat & bibebat. Convictus tamen peccatorum, quantum ad conſortium peccati, vitandum eſt omnibus. Et ſic dicitur,* 2 Cor. 6. *Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis; ſcilicet, ſecundum peccati conſenſum.* D. Th. 2ã 2æ. q. 25. art. 6. ad. 5um.

19. *Poſſunt.* Id eſt, *æquum eſt, rationique conſentaneum,* ut ait B. Greg. Nazianz. Or. 36. vel, *poſſunt,* id eſt, ſolent, quomodo Matth. 5. dicitur, *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita,* id eſt, non ſolet. Ut enim advertit loco citato B. Greg. Nazianz. *Fieri poteſt, ut civitas ſupra montem poſita abſcondatur, majori nimirum aliquo monte ipſius luminibus obſtruente.*

22. *Nemo mittit vinum novum.* Id eſt, præcepta perfectæ vitæ. Vide ſuprà c. 1. v. 27.

In utres veteres. Id eſt, homines imperfectos.

Alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effunditur, & utres peribunt.

peribunt. Id est, præcepta perfectæ vitæ contemnentur, & homines imperfecti præcepta hujusmodi ferre non valentes in deteriora mala prorumpent, sicut dicitur Proverb. 3. *Qui nimis emungit, elicit sanguinem.*

23. *Sabbatis.* Enallage numeri, id est, Sabbato, quod à Luca dicitur secundo-primum; de hoc egimus Matth. 12. v. 20.

26. *Abiathar.* Hic & Abimelech seu Achimelech dicitur. Vide quæ diximus Matth. 12. v. 3. Fortassis tamen Marcus non appellat Abiathar Principem Sacerdotum, quòd tunc temporis cùm David manducarit panes propositionis, fuerit summus Pontifex, sed quia hoc nomen aliquando & de simplici Sacerdote dici potest, ut observavimus Matth. 8. v. 4.

CAPUT III.

1. *Terùm.* Supple ex Luc. 6. v. 6. *in alio Sabbato.*
Manum. Supple ex Luc. 6. dexteram.

2. *Observabant.* Scilicet, *Scribæ & Pharisæi*, ex Luc. 6. v. 7.
Si Sabbatis curaret. Enallage numeri, id est, *si in Sabbato curaret*, ut habet Lucas.

3. *Surge.* Supple ex Luc. *& sta.*

4. *Dicit eis.* Scilicet Scribis & Pharisæis ipsum interrogantibus utrùm liceret Sabbatis curare, ut patet ex Matth. ubi præsens historia à nobis est expositа.
Cum ira. Nempe ad imperium rationis excitata, & secundum rationem moderata, neq; mansuetudini oppositа, *quæ*, ut habet Philosophus 4. Ethic. c. 11. *medium tenet in ira.* Est autem in nobis duplex ira; prima dicitur à B. Greg. 5. mor. c. 33. *ira per vitium*, quâ appetitur vindicta sine ordine rationis, & hæc excæcat oculum mentis, & in Christo nullatenus esse potuit. Altera est, *ira per zelum*, quæ moderata est secundum rationem, & ejus ductum sequitur, & hæc licet sit laudabilis (satagit enim emendare, quæ in domo Dei perversa videt, & si emendare non potest, tolerat & gemit) in nobis tamen hæc ipsa ira utcumque turbat, & impedit oculum animæ contemplantis; quia *in nobis secundum ordinem naturalem potentiæ animæ mutuò se impediunt, ita scilicet, quòd cùm unius potentiæ operatio fuerit intensa, alterius operatio debilitetur*

bilitetur; ſed in Chriſto per moderationem Divinæ virtutis, unicuique potentiæ permittebatur agere quod erat ei proprium, ita quod una potentia ex alia non impediebatur. Et ideo ſicut delectatio mentis contemplantis non impediebat triſtitiam, vel dolorem inferioris partis, ita etiam è converſo paſſiones inferioris partis in nullo impediebant actum rationis. D. Th. 3. parte q. 15. art. 9.

8. *Idumæa.* Regio Judææ vicina à meridie, Judæámque inter & Arabiam & Ægyptum, & aliquando Judæis erat ſubdita.

Trans Jordanem. Vide quæ diximus Matth. 4. v. 25.

13. *Et aſcendens.* Vide dicta à nobis Matth. 5. v. 1.

Vocavit ad ſe quos voluit ipſe. Qui ſcilicet operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

14. *ut mitteret.* Id eſt, ad miſſionem ordinaret, quæ poſtea contigit & deſcribitur infrà cap. 6.

15. *Dedit illis poteſtatem*, & cætera quæ ſequuntur uſque ad verſ. 20. expoſita ſunt à nobis Matth. 10. à verſu 1. ad 5.

16. *Et impoſuit.* Fortaſſis eſt Hebraiſmus pro *impoſuerat.* Vide quæ diximus Matth. 4. v. 18.

17. *Boanerges.* Corrupta dictio per inſertionem *o*, pro *banerges*, ex בני *bene*, ſive *bane*, filii, & רגש *Regeſch*, ſtrepitus, tumultus; quamvis alii, *a*, velint ſuperfluere; aiunt enim, quòd *Scheva*, ſæpe in *o* breve mutetur, ut patet in Sodoma & Gomorrha, & ſimilibus.

Filii tonitrui. Hebraiſmus, id eſt, tonantis ſeu tonitoris; ſic & pacifici dicuntur filii pacis. Hoc igitur nomine ſignificavit Chriſtus filios Zebedæi ſublimitate prædicationis Evangelicæ & miraculis orbem commoturos. Unde primus Jacobus occiſus, Joannes verò etiamnum per Apocalypſim ſuam, & ut ait Epiphan. hæreſ. 73. *per propriam ſui Evangelii grandiloquentiam, veluti ex quibuſdam nubibus tonat.*

21. *Cùm audiſſent ſui.* Id eſt, ejus cognati & propinqui.

In furorem verſus eſt. Id eſt, extra ſe factus eſt. Prophetarum olim credebatur proprium, dum Spiritu corriperentur, extra ſe ac parùm ſui compotes eſſe: unde & *inſanire*, aut mitiori voce *alienari* dicebantur; ſic Seneca lib. de conſtantia ſapientis: *Cùm*, inquit, *Sapientem negatis inſanire, non negatis & alienari, & parùm ſana verba emittere.* Hinc 4. Reg. cap. 9. v. 11. filius Prophetarum ab Eliſæo miſſus à ceteris *inſanus* vocatur, Sic & 1. Reg. cap. 9. v. 18. ubi habetur in textu Hebræo & Vulgato, *invaſit ſpiritus Dei malus*

Saül,

Saül, & prophetabat, Chaldæus Paraphraſtes vertit, *& inſaniebat*; & ibidem cap. 19. dicitur de Saül, quòd *expoliavit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetavit cum cetiris coram Samuele, & cecidit nudus totâ die illâ & nocte*; quod ſatis indicat Saülem fuiſſe ſui impotem, & in poteſtate Spiritûs. Hinc & Montaniſtæ, ut ſe Prophetas ſimularent, verba ambigua, & quæ nihil ſani præ ſe ferrent, effundebant, ut teſtatur B. Epiphan. Atque ita etiam in præſenti loco amici, & cognati Chriſti ut furenti eum turbæ eriperent, ac ſic (quod veriſimile eſt) ſervarent, ſuæ eum poteſtatis eſſe negant.

22. *Beelzebub habet.* Vide Matth. 9. v. 34, &c.

28. *Omnia dimittentur*, &c. Vide Matth. 12.

CAPUT IV.

1. ET *iterum*, &c. Quæ ſequuntur uſque ad verſ. 21. expoſita ſunt Matth. 13.

10. *Qui cum eo erant duodecim.* Non diceret Marcus, *duodecim*, niſi, ante hic numerus Apoſtolorum fuiſſet conſtitutus, & eſſent hæ parabolæ dictæ poſt electionem Apoſtolorum; quare quod idem Marcus poſt parabolas narraturus ſedatam maris tempeſtatem ſubdit: *Et ait illis in illa die cùm ſerò eſſet factum*; id intelligi non poteſt de die dictarum parabolarum; hæc enim tempeſtas contigit ante vocationem Matthæi.

22. *Sed.* Hebraiſmus Rabbinis uſitatus, id eſt, niſi.

24. *Videte quid audiatis*, &c. Id eſt, attendite iſtis quæ vobis dicuntur, quâ enim menſurâ metiemini attentionem, eâdem metietur vobis in cognitione.

26. *Sic eſt regnum Dei*, &c. Id eſt, perinde ſancta Eccleſia aliquando cum Deo in cœlis regnatura perducitur per virtutis incrementa ad ſumma, atque ſementis, quam jecerit agricola in terram, &c. Præclarè hanc parabolam explicat & applicat B. Greg. lib 2. in Ezechiel. Hom. 15. *Semen* inquit, *homo jactat in terram, cùm cordi ſuo bonam intentionem inſerit. Et poſtquam ſemen jactaverit, dormit, quia jam in ſpe boni operis quieſcit. Nocte verò exſurgit ac die, quia inter adverſa & proſpera proficit. Et ſemen germinat & creſcit, dum neſcit ille: quia dum adhuc metiri incrementa ſua non valet, ſemel concepta virtus ad perfectum ducitur. Et ultrò terra fructificat; quia prævenitnte ſe gratiâ mens hominis ſpontanè ad profectum*

fectum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc tenueritudinem habere. Ad spicam verò herba pervenit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit. Sed cùm ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, & messem suam desecat, quia cùm unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Cùm igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus; cùm verò operari recta incipimus, herba sumus; Cumque in ejusdem operationis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus.

25. *Et ait illis*, &c. Quæ sequuntur usque in finem capitis, exposita sunt à nobis Matth. 8. à v. 23. ad v. 28.

CAPUT V.

OMnia ferè, quæ in hoc capite habentur, enucleavimus Matth. 8. & 9.

19. *Vade*, &c. Chrysost. Hom. 33. in Matth. super illud Matth. 9. *Videte ne quis sciat*, ait non esse hoc contrarium ei, quod hic à dæmone liberato dicit, *Vade in domum tuam ad tuos & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit. Erudit enim nos Christus, ut prohibeamus eos, qui volunt nos propter nos laudare; si verò ad Deum gloria referatur, injungamus nedum permittamus, ut hoc fiat.*

20. *In Decapoli.* Id est, in omnibus Decapoleos civitatibus; quod Lucas c 8. v. 23. his verbis significat, *per universam civitatem*, supplendum relinquens Lectori ex Marco, Decapoleos. De Decapoli diximus Matth. 4. v. 25.

25. *Mulier quæ erat in profluvio sanguinis.* Id est, quæ laborabat nimio ac continuo per duodecim annos præter naturam sanguinis fluxu extra tempus menstruum. Unde à B. Optato Milevit. lib. 5. adversus Donatistas dicitur hæc mulier *laborasse de secreta causa fœminarum.*

27. *Venit in turba.* Ne scilicet agnosceretur, & ut immunda ex Lev. 15. ab accessu ad Christum prohiberetur. Hinc B. Petrus Chrysolo-

Chryſologus Ser. 1. De Hæmorroiſſa ait, quòd ipſa *prima dedit formam, quomodo peccator tacitâ confeſſione deleat ſine confuſione peccatum: quomodo delinquens ſoli Deo cognitus, de reatu nudare apud homines verecunda conſcientiæ non cogatur: quomodo homo poſſit veniâ judicium prævenire.*

Retrò. Pudor quippe, ut ait B. Optatus, *impedithat ne cauſam ſuam coram maſculis indicaret.* Sic gloſſæ veteres αἰτίαν *cauſam* ſumunt pro morbo.

28. *Dicebat enim.* Supple ex Matth. 9. v. 21. *intra ſe*, id eſt, cogitabat.

29. *Siccatus eſt fons ſanguinis ejus.* Eleganter & verecundè exprimit Evangeliſta mulierem ob continuum ſanguinis fluxum per ſecretiores partes omni formâ privatam, & viribus exhauſtam, ineptámque ad opus conjugale à Chriſto ſic ſanitati reſtitutam, ut non niſi tempore à natura conſtituto fluerent ipſi muliebria. Hoc phraſi Hebraicâ טהרה ממקור רמיה, *mundata eſt a fonte ſanguinis ſui* dicitur Levit. 12. v. 7. Id eſt, ſtetit fluxus menſtrui, ſeu, ut Celſus loquitur *fluxus muliebrium ſedatus eſt.* Nempe ſanguinis menſtrui profluvium *fontem* מקור ſine addito, aut מקור הדמים *ſanguinis fontem* appellat Scriptura, ut videre eſt Levit. 12, & 20.

30. *Virtutem quæ exierat de illo.* Id eſt, quæ operata erat Hæmorrhoiſſæ ſanationem; virtus enim phraſi populari dicitur exire ab agente, dum aliquem effectum extra ſe ipſum agens producit. *Quid*, inquit Fulgentius lib. 2. ad Thraſym. *hæc virtus quæ de Domino exivit, nunquid exundo diſceſſit? an ad ſanandum ſic exiens potuit pervenire, ut à Salvatore localiter non poſſet exire? Quod ſi localiter ab eo, qui virtus dicitur, virtus exivit: dicatur qualiter virtus à virtute diſceſſit? Si verò talis credulitas, fidei Chriſtianæ videtur incongrua: non alium putemus illum de Chriſto virtutis exitum, niſi Divinæ curationis effectum. Tunc enim ad mulierem virtus Salvatoris exivit, quando in ſe virtutem Divinæ curationis agnovit.*

31. *Et dicebant ei.* Supple ex Luc. 8 v. 45. *negantibus autem omnibus*, ſcilicet, quàm proximè Chriſtum circumdantibus.

32. *Circumſpiciebat videre eam.* Non quaſi illam ignoraret cui fidem illam donaverat, quam interiùs ad ſe traxerat, quam exteriùs ſanaverat, ſed humano ſe habebat more, ut & interrogatione & circumſpectione perculſa mulier ſe ipſa ſponte proderet, & miraculum palâm profiteretur, ut ſic eſſet commendatius.

33. *Timens & tremens.* Quòd nimirum immunda mundum tetigiſſet.

34. *Vade*

34. *Vade in pace.* Hebraiſmus, id eſt, noli timere.

Eſto ſana à plaga tua. Quaſi diceret, Sis ſecura profluvium ſanguinis non ampliùs rediturum.

35. *Ab Archiſynagogo.* Id eſt, ab ædibus Archiſynagogi; nam ipſe Archiſynagogus Jairus erat cum Jeſu. Sic Terent. in Hecyra: *Sed quid Bacchidem à noſtro affine exeuntem video?* id eſt, ab affinis domo.

49. *Ejectis omnibus.* Scilicet, plangentibus, & lugentibus.

43. *Et dixit dari illi manducare.* Nimirum, inquit Chryſoſt. *ut fidem reſurrectionis faceret.*

CAPUT VI.

3. *Nonne hic eſt faber.* Vide dicta Matth. 13. v. 55.

Joſeph. Græcè Ἰωσῆ B. Hieron. hunc vocat Joſetem, quis fuerit non conſtat.

Simonis. Hic dicitur Jacobo fratri Domini ſucceſſiſſe in Epiſcopatu Jeroſolymitano, & eſſe diverſus à Simone Cananæo Apoſtolo in Perſide poſt prædicatum Evangelium unà cùm Juda Apoſtolo pro fide Chriſti occiſo. Hegeſippus tamen, & Euſebius Simonem Apoſtolum volunt poſt Jacobum rexiſſe Eccleſiam Jeroſolymorum, & cùm eſſet 120. annorum martyrio affectum. Nonnulli volunt hos duos poſteriores Judam & Simonem non fuiſſe germanos priorum, Jacobi ſcilicet, & Joſeph, quòd Maria B. Virginis ſoror ſeu cognata, & ut ex collatione Matth. 23. Marc. 15. & Joan. 19. perſpicuè deducit Hieron. contra Helvidium cap. 7. Cleophæ uxor tantùm legitur Jacobi & Joſeph mater Matth. 27. & Marc. 15.

5. *Non poterat.* Id eſt, quaſi non poſſet, ſe gerebat; impotentia enim, ignorantia, & hujuſmodi attribuuntur Deo vel Chriſto ſecundum ſimilitudinem effectûs, quia ea faciunt, quæ dum ab hominibus fiunt, ſigna ſunt impotentiæ, ignorantiæ, & hujuſmodi. Vide Matth. 13. v. 53. ubi, quæ in primis hujus capitis quinque verſibus habentur, ſunt expoſita. Placet hic ſubjicere præclaram B. Greg. Nazian. obſervationem de multiplici vocabulorum *poſſe* & *non poſſe* acceptione. *Poſſe*, inquit oratione 36. *vel non poſſe, non uno modo dicitur: variam enim ac multiplicem ſignificationem habet. Non-*

nunquam

nunquam enim secundum virium defectum dicitur, & certi temporis ac personæ ratione habitâ: ut quòd puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut cum aliquo dimicare. Luctabitur enim fortasse aliquando, & cernet, & cum hoc dimicabit, etiamsi cum altero nequeat. Interdum de eo dicitur quod sæpenumerò contingit, ut illud, Non potest civitas abscondi supra montem posita. Fieri enim potest ut quædam civitas abscondatur, majori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente. Impossibilè etiam dicitur, quod minimè æquum est rationique consentaneum: cujus generis est illud, Non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu præsens est sponsus, sive eum intelligas qui corporis oculis cernitur (neque enim ærumnæ atque afflictionis tempus erat illud tempus, quo Christus nobiscum versabatur) sive eum ut Verbum spectes. Quid enim eos corporeo modo jejunare necesse est, qui sermone purgantur? Quartâ significatione hoc fieri non posse dicitur, à quo nostra voluntas abhorret: cujusmodi est illud, Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui ea excipiebant. Quoniam enim ad morborum depulsiones utrumque accedere necesse est, nempe ut & ægroti fidem, & medici vim & facultatem medendi asserant: idcirco alterum deficiente altero minimè contingebat. Quanquam haud scio, an hoc quoque genus tertio adjungendum sit, quo impossibile nihil aliud significat, quàm quod minimè rationi consentaneum est. Neque enim iis medicinam afferre conveniebat, quibus incredulitas detrimentum allatura erat. Quo etiam in ordine ponendum est illud, Non potest mundus non odisse vos: &, Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Quo enim pacto quicquam horum impossibile est, nisi quia voluntas repugnat? Jam illud quoque impossibile dicitur, quod naturâ quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile. Quo in genere est illud, eundem hominem bis nasci non posse, nec acu camelum admitti. Quid enim prohibeat quominus hæc fiant, si Dei voluntas tulerit? Præter hos omnes modos impossibile dicitur, quod nullâ omninò ratione fieri potest.

6. *Mirabatur.* Vide Matth. 8. v. 10.

Castella. Non solum in civitatibus prædicabat Dominus, sed & in castellis, ut discamus pauca non spernere, neque magnas semper quærere civitates, sed verbum Dei in vicis abjectis & vilibus seminare. Theophilus Antiochenus in Caten. aurea.

7. *Et vocavit,* &c. Vide Matth. 10. v. 1. &c. ex quo capite versus decimus quintus hîc in textu Græco inter versum 7. & 12. Vulgatæ Editionis est fortassis insertus.

8. *Ne quid tollerent. Quis hoc mandasset, nisi qui & corvos alit & flores agri vestit?* Tert. lib. 4. cont. Marcionem cap. 21.

31. *Unge-*

13. *ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Hæc unctio *non erat sacramentalis; dabatur enim etiam non baptizatis*, inquit Balthasar Paës in suo Commentario in Epist. Jacobi cap. 5. v. 14. & 15.

14. *Dicebat.* Aug. lib. 2. de Cons. cap. 43. & antiqui Latini legunt hîc pluraliter, *dicebant*, quod maximè congruit narrationi Lucæ, qui videtur Marcum explicuisse; imò legendum pluraliter indicat ipse Marcus, cùm subdat. v. 16. *Quo audito Herodes ait*, ubi perspicuum est non priùs à Marco inductum esse Herodem loquentem, sed eos, qui Herodi narrabant.

15. *Propheta est, quasi unus ex Prophetis.* Id est, vel quasi unus ex Prophetis. Est autem supplenda disjunctio *vel* per virgulam, ut sensus sit Propheta ille est, qui sic Antonomasticè dicitur, cuique per Moysen Deuter. 18. est promissus, vel si non est hic ille Propheta, saltem nihil cedit aliis Prophetis. Hinc Euthymius, *In quodam*, inquit, *exemplo dictio Propheta habet articulum ut sit, Propheta ille est, aut tanquam unus Prophetarum.* Intelligebant autem illum Prophetam, de quo Moyses vaticinatus fuerat, is erat Christus.

16. *Herodes ait.* Dubitans, non affirmans. Vide Matth. 14. ubi præsens narratio fuit à nobis expositа.

21. *Dies opportunus.* Supple, Herodiadi.

27. *Docollavit eum.* Scilicet, speculator, ut in textu Græco clarè exprimitur his verbis: *Ille autem abiens decollavit eum in carcere.* Quæ sequuntur expositа sunt Matth. 14. ubi & Evangelistas inter se conciliavimus.

38. *Quot panes habetis.* Interrogationes non semper ignorantiæ signa esse, sed interdum ad utilitatem & institutionem illius, qui interrogatur, pertinere, etiam humanis & quotidianis exemplis doceri potest. Unde & Deus interrogat sæpenumerò, ut, *Adam ubi es? ubi est frater tuus?* &c.

48. *Volebat præterire eos.* Scilicet voluntate signi, quia ut ait Aug. lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 47. *in diversum ibat.* Hoc autem erat indicium & præparatio quædam ad prætereundum, & in nobis signum esse solet nos velle prætерire. Reverâ itaque voluntate beneplaciti eos prætерire non volebat, *sed magis*, ut ait Bernardus, Serm. 74. in Cantic. *probare fidem, & elicere precem.* Vide Matth. 14.

49. *Putaverunt phantasma esse.* Theodorus Pharanitanus Episcopus Cyri asseclа, ac monothelitarum ante ipsum Cyrum Alexandrinum patriarcham Antesignanus in Sexta Synodo damnatus *scripsit*, inquit venerabilis Beda, *corporale pondus non habuisse secundum carnem Dominum, sed absque pondere & cor-*

corpore super mare deambulasse. At contrà fides Catholica, & pondus secundum carnem eum habere prædicat, & onus corporeum & eum ponderi, atque onere corporali incedere super aquas, non infusis pedibus. Nam Dionysius egregius inter Ecclesiasticos scriptores in opusculis de divinis nominibus hoc modo loquitur: Ignoramus qualiter de virginis sanguinibus aliâ lege præter naturalem formabatur, & qualiter non infusis pedibus corporale pondus, & materiale onus habentibus deambulabat in humidam & instabilem substantiam. Hæc Beda in Marc. 6.

51. *Plus magis.* Id est, multò magis.

52. *Intellexerunt.* Hebraismus, id est, intellexerant, seu satis consideraverant miraculum mox in panum multiplicatione editum, ut inde ejus omnipotentissimam Divinitatem, cui nihil est impossibile, distincte perciperent.

Erat enim cor eorum obcæcatum. Q. d. Nondum ut non cæcis oculis mentis divina Christi opera viderent, quæ oculis carnis videbant, datum erat eis ab eo, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Vide Aug. 10. Conf. cap. 6.

CAPUT. VII.

4. *Foro.* Sapple, venientes.

6. *Populus.* Sasboldus scriptor pius & doctus in hunc Esaiæ locum ità commentatur: *Sane qui & hodiè legunt certas preces & audiunt sacrum, & iis absolutis conferunt se ad pocula, aut his similia, illi quoque sunt, qui hic dicuntur labiis suis honorare Deum, cor autem eorum longè esse ab eo; quod valde est horribile in homine Christiano, & maximè in Sacerdote existimante omnia tunc rectè se habere, quando lectæ sunt horæ, non cogitante interim, ut mens elevetur in Deum, & cor ei per amorem jungatur, ut sit humiliatum & contritum, & res fluxas atque mundanas contemnat.* Sic ille, sed non est quod dicamus sanctum contra eos hæc posita, qui in precibus evagationes mentis patiuntur, nam Judæi & Pharisæi verè de Deo cogitabant, quando Deum laudabant nominatim, ut ostendit Pharisæus dicens; *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum*: sed generaliter ponitur hæc sententia contra eos, qui verbis Deum honorant, factis autem contemnunt.

31. *Exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare*, Gr. *De finibus Tyri & Sidonis venit ad mare.*

32. *Mutum.* Id est. difficulter loquentem, seu balbutientem, ut textus Græcus sonat, & sequens versus 35. indicat.

ut imponat illi manum. Quid, inquit Aug. lib. 3. de Baptismo adversus Donatistas cap. 16. *est aliud manuum impositio, nisi oratio super hominem?* Quibus verbis vult Aug. manûs impositionem esse quandam ceremoniam externam, quâ, qui utitur, significat se orare, benedicere, benè precari, vel apud Deum intercedere pro eo, cui manum vel manus imponit. Est igitur oratio non vocalis, sed ut ita dicam ceremonialis cum vocali tamen, vel saltem mentali oratione conjuncta. Id autem significari per manuum impositionem patet ex Genes. 48. & 4. Reg. 5. v. 11.

34. *Apprehendens eum de turba seorsum misit.* Id est, cùm apprehendisset eum seorsim, ut nos suo exemplo jactantiæ fugam doceret, misit, &c.

Et exuens. Id est, cùm in digitos suos expuisset.

33. *Suspitiens in cœlum ingemuit.* Scilicet, ex commiseratione. Quærens autem à Patre auxilium ostendit se verum hominem, & Patre minorem secundum humanitatem, vel ut ait B. Greg. lib. 1 in Ezechiel. Homil. 10. *Suspiciens in cœlum ingemuit, non quòd ipse ntcessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit, ut & aures nostræ per donum Spiritûs-Sancti, qui digitus Dei vocatur in Scripturis, & lingua per salivam, quæ ex capite in os defluit, id est, per sapientiam acceptam in divino eloquio solvi valeat ad verba prædicationis.*

Ephpheta, quod est adaperire. Hoc est, aperitor, seu sis solutus tam à vinculis aurium, quàm à vinculis linguæ, ut audias & sine balbutie loquaris. Hoc autem se ostendit Deum coæqualem Patri, quòd uno verbulo, & solo imperio statim perfectæ sanitati hominem restituit.

36. *Præcepit*, &c. Altisiod. lib. 3. tract. 7. dicit mandatum Christi mox à Spiritu-Sancto fuisse revocatum. Sed rectiùs dicemus non fuisse præceptum proprie dictum, sed quandam significationem modestiæ, quâ cupiebat non propalari miracula à se facta, nisi quatenus id spectaret ad gloriam Dei: juxta illud Joan. 8. *Ego non quæro gloriam meam, etsi glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*; simul ut exemplum humilitatis, & vitandæ vanæ gloriæ nobis ostenderet. Vide D. Th. 3. p. q. 13. art. 4. ad. 2. & q. 44. art. 3. ad 4.

Tanto magis plus. Pleonasmus Scripturæ familiaris.

37. *Amplius admirabantur.* Nimirum attoniti quòd Christus nollet laudari ab iis, quibus tot ac tanta bona opera erat operatus.

Benè

Benè omnia fecit. Hebraismus, id est, omnia beneficiorum genera in homines contulit. Hinc Act. 10. v. 38. dicitur Christus pertransiisse benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.

CAPUT VIII.

6. *Gratias agens.* Vide quæ diximus Matth. 15. v. 36.

7. *Piscículos.* Vide dicta ibidem v. 34.

8. *Sportas.* Vide dicta ibidem v. 37.

9. *Quasi quatuor millia.* Matth. 15. v. 38. *quatuor millia extra parvulos & mulieres.*

Dalmanutha. Vide dicta ibidem v. 39.

12. *Ingemiscens Spiritu.* Vide dicta Matth. 16. v. 4.

Si dabitur, &c. Id est, non dabitur. *Est autem,* inquit Elias Cretensis in Orat. 1. Apol. B. Greg. Naz. *multis in locis sacræ Scripturæ hujusmodi quoddam loquendi genus, apertam negationem habens. Cujusmodi illud etiam est, quòd à Propheta Elia ad Achab dictum est. 3 Reg. 17. Vivit Dominus Deus exercituum, si erit annis tribus ros & pluvia; hoc est, non erit. Ezechiel 14. Vivo ego dicit Dominus, si filii eorum aut filiæ liberabuntur; id est, non liberabuntur.*

15. *Cavete,* &c. Vide dicta ibidem v. 12.

16. *Cogitabant.* Vide dicta ibidem v. 7.

17. *Cogitatis.* Græce, *disceptatis.*

22. *Adducunt ei cæcum. Scientes,* inquit Beda, *quòd tactus Domini sicut leprosum mundare, etiam cæcos illuminare valeret.*

23. *Extra vicum.* Bethsaida; quæ Joan. 1. v. 44. vocatur civitas, hîc dicitur vicus, quia exigua, & fortè neque mœnibus cincta erat.

24. *Video homines velut arbores ambulantes.* Id est, homines ab arboribus non possum visu distinguere, nisi ex ambulatione; nondum quippe percipio lineamenta membrorum. quibus homines ab arboribus discernuntur. Idem contingere homines eminùs, vel in nocturna luce spectantibus notat venerabilis Beda.

25. *Deinde iterùm,* &c. *Quem,* inquit Beda, *uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix & quasi per gradus ad lucem redeat, atque gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat.*

27. *Et egressus est*, &c. Quæ sequuntur expositu manent ex dictis Matth. 16.

28. *Quasi.* Hæc particula deest in textu Græco.

31. *Post tres dies resurgere.* Hebraismus, id est, tertio post die. Vide Matth. 27. v. 63.

33. *Vade retro*, &c. *Cur*, inquit S. Petrus Damiani Serm. 1. de Evangelista Marco, Marcum alloquens, *à tot magistri praeconiis calamum reprimis? & sola, quæ infirmitatis sunt, ad posterorum memoriam stylo committis? Credendum est: quia cùm unus utrumque Spiritus impleat, alter ab altero, ille in docendi, iste in scribendi studio non discordat. Sicut enim Petrus à propria sua laude abstinuit: ita veridicus illius interpres ab ea, quam in magistro non didicit, suæ descriptionis articulum refrenavit. Ad magnum quippe est nostræ ædificationis exemplum, ut & ille de se non offerenda, reprehendenda proferret: & iste sic per veritatis lineam rectus incederet, ut ne ad magistri quidem favorem aliquatenus declinaret.*

CAPUT IX.

PLeraque quæ habentur in præsenti capite exposita sunt Matth. 17. & 18.

1. *Transfiguratus est. Transfiguratio*, inquit victor Antiochenus, *de qua hic agitur, secundum quendam externum fulgorem facta est. Nam ut Matth. narrat, facies ejus resplenduit ut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; ut Lucas autem habet, species vultus ejus facta est altera, & vestitus ejus albus & refulgens. Hinc tamen inferre non licet aliquam naturalis formæ mutationem in cœlesti illo regno olim futuram. ut enim Christi effigies secundum se non est immutata, sed tantùm illustrata; ita nec justi quoque, qui corpori claritatis illius conformabuntur, secundum formam mutabuntur; sed illorum tantùm corpora quamdam splendoris & lucis accessionem acceptura sunt, quem quidem splendorem, lucisve accessionem Apostolus Paulus mutationem, Evangelistæ autem transfigurationem vocant.*

11. *Quomodo scriptum est.* Scilicet Esaiæ 53. de quo capite potissimùm intelligendum est, quod dicit Hieron. in Epist. ad Paulinum, *Esaias non Prophetiam mihi texere videtur, sed Evangelium.* In illo enim capite non tam futura prædicere, quàm præsentem Christi passionem propriis oculis conspectam narrare videtur.

12. *Sicut scriptum est de eo.* Hoc refertur ad prima hujus versiculi verba, *Elias venit*, & alluditur ad Prophetiam Malachiæ cap. 3. v. 1.

13. *Con-*

13. *Conquirentes.* Id eſt, diſceptantes, ſeu altercantes.

16. *Spiritum mutum.* Id eſt, qui hominem mutum efficiebat.

17. *Allidit illum.* Supple, ad terram.

Spumat, &c. Hæc omnia eſſe ſolent ſymptomata morbo comitiali, ſeu epilepſiâ laborantium. Hunc Matthæus vocat ſimpliciter lunaticum.

18. *Areſcit.* Id eſt, inquit Euthymius, *ſine ſenſu eſt.*

Reſpondens eis. Græcè, *ei.* Nempe Chriſtus patrem epileptici alloquendo arguit omnes, etiam ſuos ipſos diſcipulos de incredulitate.

Incredula. Supple ex Matth. & Luc. *& perverſa*, ſeu ut habet textus Græcus, *& diſtorta*, quæ ſcilicet videns non videt, & audiens non audit obcæcatum habens cor.

Quamdiu apud vos ero. Non tædio ſuperatus hoc dicit Chriſtus manſuetus, ac mitis, qui non aperuit, ſicut Agnus coram tondente, os ſuum, ſed loquitur Chriſtus adinſtar Medici, qui ſi ægrotum videat contra ſua præcepta ſe gerere, dicit: uſquequò artis perdam induſtriam, me aliud jubente & te aliud perpetrante? B. Hier. in Matth. 7.

19. *Cùm vidiſſet eum.* Scilicet Jeſus puerum epilepticum adhuc accedentem, ut patet ex textu Græco Luc. 9. v. 24.

20. *Interrogavit.* Ut ſcilicet mali gravitas omnibus innoteſceret.

22. *Si potes credere.* Vide quæ diximus Matth. 13. v. 58.

Omnia ſunt poſſibilia credenti. Vel accipere, vel facere in nomine meo.

23. *Credo Domine*, &c. *Adhuc*, inquit B. Greg. lib. 22. Moral. c. 14. *aſcendebat ad fidem, quam jam perceperat, qui uno eodémque tempore clamabat ſe & jam credere, & adhuc ſe incredulitate dubitare. Hinc eſt etiam quòd Redemtori noſtro à diſcipulis dicitur, Auge nobis fidem, ut quæ jam accepta per initium fuerat, quaſi per augmenta graduum ad perfectionem veniret.*

40. *Quiſquis enim*, &c. Argumentatur Chriſtus à minori ad majus. Q. d. Si qui minimum quid fecerit in nomine meo, mercedem pro benefacto eſt accepturus, quantò magis ille mercedem ſuam recipiet, qui nomini meo favens, in eo virtutes operatur? Vide dicta Matth. 10. v. 42.

41. *Et quiſquis*, &c. Eſt antitheſis oppoſita verſui 36. eò enim redit Chriſtus poſt quæſtionem à Joan. interpoſitam de eo, qui in nomine Chriſti dæmonem ejiciebat, quâ ipſe ſermonem Chriſti abruperat. Vide dicta Matth. 5. v. 30. & 18. v. 6. & 7.

43. *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Sic Eſai. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Eccli. 7. v. 19. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Hinc Aug. lib. 21. de Civit Dei c. 9. *Potuit*, inquit, *breviùs dici, Vindicta impii, cur ergo dictum eſt, Carnis impii, niſi quia utrumque, id eſt, & ignis & vermis pœna erit carnis.* Verùm cùm neque in textu Græco, neque in Syra & Arabica verſione, ſed in ſola Latina loco citato Eccli. extet carnis mentio, meliùs Aug. tam vermem quàm ignem ad corpus pertinere probaſſet ex Judith. 16. v. 21. *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum.* Tamen, ut teſtatur B. Hieron. in locum citatum Eſaiæ, vermis nomine à pleriſque conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſuppliciis conſtitutos, quare vitio ſuo atque peccato caruerint Electorum bono.

45. *ubi vermis eorum non moritur.* Cadavera dimittit vermis cùm abſumſit uſque ad oſſa, ita ut præter ſolum σκλήρον nihil ſuperſit. At in inferis alius eſt vermis, qui animas nunquam dimittit. *Vermis ille*, inquit Theophylact. *uniuſcujuſque eſt conſcientia & memoria eorum, quæ in hac vita fædè ſunt acta, quæ quaſi vermis abſumit.* Idem fortè ſignificavit vetus illa fabula de vulturibus, qui in inferis Tityi jecur renaſcens, perpetuò lancinant. Idem videre eſt apud Procopium in Eſaiam, & B. Bernardum de conſideratione lib. 5. cap. 12.

46. *Si oculus tuus ſcandalizat te*, &c. Hinc Julius in Epiſt. ad Orientales Epiſcopos relata apud Athanaſium; *In rebus*, inquit, *Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ, ſed Canones Apoſtolici requiruntur, operáque dari ſolet, ne quis ex parvis in Eccleſia ſcandalizetur. Expedit enim ſecundum Evangelicum verbum molam aſinariam ſuſpendi à collo, atque ita demergi, quàm unum ex puſillis ſcandalizari.* Gravem hanc Julii monitionem eâ conditione temperant Scriptores è Commentariis venerabilis Bedæ in præſens caput, ut vitetur proximi ſcandalum, quantum fieri poteſt ſine peccato.

47. *ubi vermis eorum non moritur.* En tertiò eamdem ſententiam repetit ſupremus Magiſter, ut altiùs impreſſa maneat. *Omni*, inquit Victor Antiochenus, *ſupplicio gravius eſt immortalem illum vermem pertuò extra ullam prorſus intermiſſionem avidè vorantem, dirèque corrodentem circumferre; deſignatur autem hoc vermis nomine impurata, ſceleratáque conſcientia; ſiquidem una hæc animam peccatricem, nulliúſque boni ſibi conſciam, inutilis pœnitentiæ aculeis inſtar edacis vermis continuò pungit & rodit. Unuſquiſque ergo ſcelerum ſui ipſius accuſator erit: etenim dum ea ſecum perpendit, animóque jugiter revolvit, quæ in mortali hac*

vita

vita improbè gessit, vel invitus se reum confiteri compelletur, propriæ nimirum conscientiæ stimulis actus, ejusdémque contra se testimonio apertè convictus. Ad hunc itaque sensum peccatorum vermis immortalis dicitur; neque enim quæ de vermi hic disputantur, ad sensibilem aliquem vermem, qui impiorum corda apud inferos rodat, transferenda sunt. Hæc eleganter & doctissimè Victor Antiochenus.

Et ignis non extinguitur. Ut ignis, inquit idem Victor Antiochenus, *qui peccatores incendit, alibi æternus, ita hoc loco inextinguibilis appellatur. Sunt autem qui per inextinctum hunc ignem, pollutæ, improbæque conscientiæ judicium & æstimationem designatam putent. Quandoquidem judicium illud, per, & propter immortalem vermem, instar æstuantis ignis in impiis usque grassatur flammæque more viscera illorum perpetuò depascitur.* B. Hieron. lib. 18. in Esaïam 66. *Vermis* inquit, *qui non moritur, & ignis qui non extinguetur à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, quia vitio atque peccato suo tanto caruerunt bono, juxta illud quod dicitur, Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina. Psal. 31. & in Proverbiis cap. 25. Tinea ossium cor intelligens; & iterum sub obelo, Sicut tinea vestimentum & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Hoc ad verbum legitur Homil. 9. inter Homilias Origenis in diversos Matthæi locos. B. Ambro. lib. 7. in Luc. cap. 14. eamdem tuetur sententiam: *Qui,* inquit, *pacem & charitatem non detulerit ad Christi altaria, tolletur pedibus & manibus & mittetur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Quæ sunt tenebræ exteriores? Nunquid illic quoque carcer aliquis, latumiæque subeundæ sunt? Minimè, sed quicumque extra promissa sunt cœlestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mandata Dei lumen sunt; & quicumque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen in tenebris est Christus. Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur, & vermes: ita si quis non decoquat peccata sua velut quâdam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quamdam contrahat veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur; unde & Esaïas ait: Ambulate in lumine ignis vestri, & flammæ, quam accendistis. Ignis est, quem generat malitia delictorum. Vermis est, eò quòd, irrationabilia animæ peccata mentem, sensumque compungant, & quædam exedant viscera conscientiæ: quæ tanquam vermes ex unoquoq; nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. Denique Dominus id declaravit per Esaïam dicens, Et videbunt*

membra hominum prævaricantium in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Sridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eò quod ſero unumquemque pœniteat, ſero ingemiſcat, ſero iraſcatur, quod tam pervicaci improbitate deliquerit. His favet, quod Aug. lib. 12. de Geneſi ad literam cap. 34. ait duplici ratione inferos dici & credi ſub terris, vel quia ſicut carni mortuæ locus ſub terra deputatur, ſic animæ per carnis peccatum mortuæ ſimilitudine ſubterranei loci repræſentantur, vel quia ſicut in corporeis rebus inferiora dicuntur, quæ graviora ſunt, ita in rebus ſpiritualibus inferiora dicuntur, quæ triſtiora ſunt. Hæc tamen verba retractans Aug. 2 Retractationum cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor dicere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſit.* Philo Judæus in lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ, *Deus*, inquit, *injuſtam, impiámque animam fugatam à ſe ipſo longiſſimè diſſipat in locum concupiſcentiarum ac ſacinorum, qui locus impiorum vocatur aptiùs, quàm ille fabulоſus apud inferos; reverà enim infernus nihil aliud eſt, quàm vita miſeri, ſceleraті, execrandique hominis.* Philoni ſubſcribit B. Greg. Nyſ. in Dialogo de anima & reſurrectione cum ſorore Macrina, quem *aureum librum* vocat Baronius anno 378. num. 46. ubi ſolvit objectiones quæ fieri ſolent ex Scripturis ad probandum eſſe quædam ſubterranea animarum receptacula, quæ vulgò inferi, & orci nomen obtinent. B. Joan. Damaſcenus librum 4. de fide orthodoxa concluſit his verbis: *Et tradentur diabolus, & dæmones ejus, & homo ejus, id eſt, Antichriſtus, & impii, & peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis eſt apud nos, ſed qualem novit Deus.* B. Greg. Mag. lib. 15. Mor. cap. 14. *Ignis*, inquit, *corporeus, ut eſſe valeat, corporeis indiget fomentis. Qui, cùm neceſſe eſt ut ſervetur, per congeſta ligna procul dubio nutritur, nec valet niſi ſuccenſus eſſe, & niſi fotus ſubſiſtere. At contra gehennæ ignis, cùm ſit incorporeus* (D. Th. 4. Diſtinct. 44. q. 3. legit *corporeus*, ut habetur in Editione Lugdunenſi Hugonis à Porta) *& in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret.* B. tamen. Hieron. in Epiſt. ad Avitum inter Origenis hæreſes recenſet eam ſententiam, quâ ignis infernalis dicitur eſſe conſcientia peccatorum. *Origenes*, inquit, *lib. 2. Periarchon, ignem gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura ſancta peccatoribus comminatur, non ponit in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum, quando Dei virtute & potentiâ omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur, & veluti ex qui-*

quibuſdam feminibus in anima derelictis, univerſa vitiorum ſeges exoritur, & quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac præteritæ voluptates mens intuens conſcientiæ punitur ardore, & pœnitudinis ſtimulis conſoditur. Et lib. in Epiſt. ad Epheſios 3. exponens illud ex capite 5. *Nemo vos decipiat inanibus verbis, &c.* ait: *Quia ſunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis eſſe ſupplicia, nec extrinſecùs adhibenda tormenta: ſed ipſum peccatum, & conſcientiam delicti eſſe pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & animo ignis accenditur in ſimilitudinem febris, quæ non torquet extrinſecùs ægrotantem, ſed corpora ipſa corripiens punit ſine cruciatuum forinſecùs adhibitione, quod poſſidet. Hæc itaque perſuaſiones, & decipulas fraudulentas Paulus verba inania appellavit & vacua, quæ videntur florem quemdam habere ſermonis, & blandiri peccantibus; ſed dum fiduciam trahunt, magis eos ferunt ad æterna ſupplicia.* D. quoque Greg. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 29. poſt Auguſtinum lib. 21. de Civit. Dei cap. 9. & 10. cum D. Th. & ceteris Scholaſticis docet ignem inferni eſſe corporeum; imò Haymo Halberſtatenſis in Eſa. 66. Baſilius in Pſal. 33. Author de triplici habitaculo apud Aug. tom. 9, quem authorem B. Bonaventura Soliloq. cap. 4. citat nomine S. Fulgentii, alii nomine S. Patritii Hybernorum ac Scotorum Apoſtoli, Innocentius III. lib. de contemtu mundi cap. 1. & 2. Julianus Pomerius lib. 3. de vita contemplativa cap. 12. Hugo Victor. lib. 4. de anima cap. 13. Author Elucidarii B. Anſelmo aſcripti, Chryſoſtomus, Theophylactus, & inter recentiores Serrarius in Judith. 16. Greg. de Valentia 3. part de Bear. & Damnat. corporum Diſput. 11. q. 5. puncto 3. exiſtimant propriè dictos vermes fore in propriè dicto igne inferorum; hàncque ſententiam Aug. probabilem appellat lib. 12. de Civit. Dei. cap. 9. Verùm nihil pro igne vel verme corporeo validè & irrefragabiliter colligi poteſt ex ſacris Scripturis, quæ paſſim aſſumtâ metaphorâ ex illis pœnis, quas ſentiunt homines, maximis, longè majores inferni pœnas adumbrare ſolent. Dicamus itaque cum Damaſceno ignem inferni eſſe *qualem novit Deus*, quia ut utar Aug. verbis lib. 20. de Civit. Dei cap. 16. *Ignis inferni cujuſmodi, & in qua rerum vel mundi parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui Spiritus Divinus oſtendit.* Imò & ipſe Greg. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 4. ubi infernus ſit definire non audet, licèt nihil obſtare dicat, quominùs ſub terra eſſe credatur. Ingenioſiſſimus Th. Anglus probat ignem inferni non eſſe corporeum, ex eò quòd dæmones quocumque pergant, ſuum ſecum infernum circumferre

ferre dicantur. Verùm jam plerique videntur non ambigere ignem gehennæ corporeum esse, *in quo certum est corpora cruciari*, ut loquitur B. Greg. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 29. Facilè autem conciliaveris fortassis inter se dicta Sanctorum Patrum allata & similia, si adverteris ex Aug. in Psal. 57. quòd *futura* post mortem peccatorum *pœna duas species habet; aut inferorum est, ubi ardebat dives ille, qui volebat sibi stillam aquæ stillari in linguam de digito pauperis, quem ante januam suam contemserat, quando ait, Quoniam crucior in hac flamma; & altera est illa in fine, de qua audituri sunt, qui ad sinistram ponendi sunt, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Itaque S. Doctor sentit ignem infernum, qui animas separatas cruciat, esse incorporeum; ignem verò, quem appellat *ignem æternum*, quo cruciabuntur corpora damnatorum, esse corporeum. Quamvis etiam, ut idem S. Doctor ait lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. *miris, veris tamen modis*, etiam spiritus incorporei possint pœnâ corporalis ignis affligi, si quidem viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, & ex ejusdem corporis variis affectionibus cruciatur.

48. *Omnis enim*, &c. Præceptum Domini fuerat Levitici 2. v. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* Triplici præcepto, affirmativo, negativo, & universali obstringebat Deus Judæos ut quidquid offerrent, salirent. Perstat igitur Christus in eadem victimarum similitudine, q. d. Omnis enim, scilicet, qui in gehennam mittitur, instar victimæ, cuæ divinæ justitiæ immolatur, igne salietur, id est, ut crucietur semper, atque incorruptus maneat, igne, quasi sale, quod urendo, seu mordendo conservat, condietur, quemadmodum juxta Legem omne sacrificium sale condiri debet. Etiam in falsorum deorum sacrificiis solemne fuisse sale uti discimus ex Plinio lib. 31. cap. 7. ubi de salis laudibus agens ait: *Maximè autem in Sacris ejus commendatur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.*

Et omnis victima. Particula, &, non sumitur hic copulativè, sed comparativè pro, *sicut*. Quo sensu eadem particula usurpatur Proverb. 25. v. 3. 23. & 25.

49. *Bonum est sal*, q.d. Obsoniorum obsonium & condimentum est sal, ut loquitur Plutarchus Sympos. lib. 5. Problem. 10. Hinc non immeritò inter præcipua vitæ necessaria ponitur Eccli. 39. v. 31. Hinc & sal pro stipendio olim dabant Reges, ut testatur Plinius lib. 31. cap. 7. & patet ex textu Hebræo. 1. Esd. 4. v. 14. Unde & *Salarii* vocabulum manavit.

Quod

Quod si sal, &c. Idem hic intenditur atque Matth. 5. v. 13. Vide igitur quæ ibi diximus.

Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Et, hic sumitur exegeticè, pro, *id est*, Hebraismo Scripturæ familiari ut aliàs observavimus in Matth. Quòd autem Salvatór dicat *habete in vobis sal*, pro, *pacem colite*, seu *pacem habete inter vos*, inde est, quòd sal est unitivum, unde & in fœderibus, tanquam unionis tessera est Hebræis usitatum; unit enim, densat, & quasi coagulat. Hinc Num. 18. v. 19. dicitur, *Pactum salis est sempiternum coram Domino*. Quis autem miretur, pacis symbolum & vitæ, esse sal, quo etiam latrones ad societatem flectuntur, ut observat B. Isid. Pelusiota lib. Epist. 5. *Miror*, inquit, *admodum quo pacto qui nudos vibrant gladios latrones, quique etiam adversus eos, à quibus nullâ afficiuntur injuriâ, armantur, sale communicato latrones esse desinant.* Λίαν θαυμάζω, ὅπως οἱ μὲν λῃσταὶ οἱ ξίφη γυμνὰ ἐπισείοντες, καὶ κατὰ τῶν μηδὲν ἀδικούντων ὁπλιζόμενοι, ἁλῶν κοινωνήσαντες, οὐκ ἔτι εἰσὶ λῃσταί.

CA-

CAPUT X.

PLeraque, quæ habentur in præſenti capite, expoſuimus Matth. 19. & 20.

13. *ut illos tangeret.* Id eſt, ut juxta conſuetudinem etiamnum Judæis uſitatam manuum impoſitione illis benediceret, ſeu fauſta precaretur. Hunc eſſe hujus loci ſenſum, patet ex Matth. 19. v. 13.

14. *Talium eſt enim regnum Dei. Non,* inquit venerabilis Beda, *dicit Illorum, ſed Talium, mores deſignans, non ætatem.* Vide dicta Matth. 18. v. 3.

15. *Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus.* Id eſt, quiſquis non habuerit æmulam puerilis ſimpliciatis bonitatem, quâ diſponatur ad regni Dei intra ſe ſuſceptionem, non intrabit in illud, ſeu non erit de regno Dei.

21. *Dilexit eum.* Id eſt, ſigna dilectionis exhibuit ei, unde & ex textu Græco verti poſſet, *oſculatus eſt eum*; oſcula autem ſunt ſigna exteriora dilectionis interioris.

unum tibi deeſt. Supple, ad perfectionem.

Sequere me. In textu Græco, & Syro additur; *ferens crucem.*

29. *Reliquerit.* Scilicet, zelo Dei ſecundum ſcientiam, ut nempe mihi perfectiùs adhæreat, & expeditiùs Evangelica præcepta meditetur & exequatur.

Aut matrem. Græcè additur, *aut uxorem.*

30. *Nunc in tempore hoc.* Vide dicta Matth. 19.

32. *Præcedebat.* Alacriter properans ad Crucem diu deſideratam, & jam concupiſcenti animo præparatam; Chriſtus enim *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contemtâ.* Vide reliqua, quæ habentur à præſenti verſu uſque in finem capitis expoſita Matth. 20.

41. *Erit omnium ſervus.* Qui proximum, ſicut oportet, diligit, non recuſat ſervire ei ſubmiſſiùs quolibet ſervo: propterea Apoſtolus Gal. 5. v. 13. non præcipit ſimpliciter Galatis, ut diligant ſe invicem, ſed ut per charitatem ſerviant invicem, intenſam ſignificans amicitiam ἐπιτεταμένην δουλῶν φιλίαν, inquit in laudatum Gal. 5. locum B. Chryſoſtomus.

C A-

CAPUT XI.

Cum appropinquarent Jeroſolymæ, &c. Quæ ſequuntur expoſita ſunt Matth. 21.

4. *In Bivio.* B. Ambroſ. lib. 7. in Lucam legit, *in tranſitu.*

8. *Frondes cædebant de arboribus.* Vide quæ obſervavimus Matth. 21. v. 8, & 9. ad illuſtrandum morem præclarum obviàm eundi alicui honoris cauſâ, geſtando ramos palmarum, aut aliarum arborum. Sed & ad exequias cum ramis veteres prodire ſolitos videre eſt apud Ammonium Monachum De Patribus Sinaitis & Rhaithenſibus p. 106, 128, & 129. Et in Hiſtoria Lauſiaca cap. 39.

10. *Benedictum.* Id eſt, felix fauſtumque ſit.

Quod venit. Id eſt, quod reſtauratum eſt.

Hoſanna in excelſis. Adventus Domini, ejuſque incarnatio non ſolùm hominum ſalus fuit in terra, ſed etiam Angelorum in cœlo: quia dum homines in terra ſalvantur, Angelorum numerus, qui, diabolo cadente, minoratus fuerat, integratur in cœlo. Hoſanna ergo in excelſis tantumdem eſt tanquam ſi dicatur, Salva nos, quæ etiam ex ſalus in cœlis. D. Ambroſ. ſerm. 45. in Dom. in Ramis.

13. *Cumque vidiſſet*, &c. *Qui dicit Chriſtum propterea tantùm fecisſe miracula, ut non eſſent niſi miracula, poteſt illum etiam dicere neſciſſe quòd non eſſet tempus pomorum, quando ſicus quæſivit in arbore. Non enim erat illius pomi tempus, ſicut Evangeliſta teſtatur, & tamen eſuriens poma quæſivit in arbore. Chriſtus neſciebat quod ruſticus ſciebat? Quod noverat arboris cultor, non noverat arboris Creator? Cùm ergo eſuriens poma quæſivit in arbore, ſignificavit aliquid ſe eſurire, & aliquid aliud quærere, & arborem illam ſine fructu foliis plenam reperit, & maledixit, & aruit. Quid arbor fecerat fructum non aſſirendo? quæ culpa arboris infœcunditas? Sed ſunt qui fructum voluntate dare poſſunt. Illorum eſt culpa ſterilitas, quorum fœcunditas eſt voluntas. Erant ergo Judæi habentes verba Legis, & facta non habentes, pleni foliis, & fructus non ferentes. Hoc dixi ut perſuaderem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ideo miracula feciſſe, ut aliquid illis miraculis ſignificaret, ut excepto eo, quod mira & magna & divina erant, aliquid inde etiam diſceremus.* B. Aug. Serm. 44. de verbis Domini.

14. *Jam*

14. *Jam non amplius, &c. Ficulneam Dominus haud ſine cauſa execratione devinxit, verùm ut ingratis Judæis illud oſtenderet ſe eam vim habere, quæ inferendo quoque ſupplicio par eſſet; quoniam enim in omnibus miraculis nullam eum cuique moleſtiam intuliſſe perſpexerant, idcirco eum prodeſſe tantùm poſſe exiſtimabant, ac non item eam vim habere, quæ improbos malo afficere poſſet, quamobrem à ſubſtantia animæ experti populum ingratum admonet, ſe ulciſci quidem ipſius ſcelera poſſe, ſed pro ſua bonitate nolle. Exaruit igitur arbor, ut hominibus terrorem injiciat.* B. Iſid. Pel. lib. 1. Epiſt. 51.

15. *Cœpit ejicere, &c. Non fruſtrà per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit, nimirum ſignificans, quia per Magiſtros quidem vitam judicat plebium, ſed per ſemetipſum facta examinat Magiſtrorum.* B. Greg. lib. 25. Mor. cap. 21.

16. *Et non ſinebat, ut quiſquam transferret vas per Templum.* Id eſt, & prohibebat ne quiſquam nummulariorum, vel columbas vendentium ſua utenſilia transferens compendioſiorem per Templum viam captaret, ſicque cogebantur omnes omnia per exteriorem viam aſportare. Præclarè itaque Aug. in Regula. cap. 2. *In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit.*

17. *Domus mea.* Chriſtus apud tres Evangeliſtas hunc Eſaiæ locum allegat, dum de Templo materiali Judæorum ejicit ementes & vendentes. Et hîc diſertè etiam adjicit illud, *omnibus Gentibus*, cùm tamen Aug. ex his duabus potiſſimùm particulis concludat in Præfat. Pſal. 130. quòd hic locus non potuit de Templo materiali Judæorum intelligi, quia ad illud Templum jam olim deſtructum non poſſunt accurrere omnes Gentes orationis gratiâ; verùm ſecundum Prophetam, & interpretationem Chriſti etiam domus illa materialis prædicitur domus futura orationis omnibus Gentibus, quia poſt ejus reſtaurationem factam à reditu ex captivitate Babylonis futura erat ita glorioſa, ut paſſim etiam Gentes, ſicut & in oratione Salomonis prædictum fuerat, orationis cauſâ ad eam aſcenderent. Ceterùm quòd dicitur domus orationis, ſimul ſub oratione intelliguntur omnia, quæ ad externum Dei cultum pertinent, & in primis ſacrificium; unde illud mulieris Samaritanæ ad Chriſtum Joan. 4. *Vos dicitis quia Jeroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare*, id eſt, ſacrificare, nam orationes & preces extra Jeroſolymam quovis loco ad Deum fieri poterant, nec id negabant Judæi Samaritanorum adverſarii. Cùm autem Templum materiale Judæorum figuraret verum illud Dei Templum, quod eſt Eccleſia, mirum non eſt, quòd hæc

Eſaiæ

Esaïæ prophetia plenius fuerit impleta in ea, ad quam ex omnibus omninino Gentibus usque in hodiernum diem congregantur fideles.

22. *Habete fidem Dei.* Hebraismus, id est, fidem magnam seu plenissimam, quam alibi comparavit Christus grano sinapis.

23. *Quicumque dixerit.* Ponitur unum determinatum pro quovis opere facto difficili, spemque humanam superante.

Non hæsitaverit. Operis difficultate territus.

C A-

CAPUT XII.

1. *Vineam pastinavit*, &c. Vide Matth. 21. v. 33. & sequent.

6. *Quia reverebuntur filium meum. Hoc utiquè ideo arbitror positum ut quod de hominibus loquebatur, Pater humano locutus videatur affectu. Unde Luc. 20. v. 13. idem Pater omnipotens & omniscius dixisse inducitur, Forsitan cùm hunc viderint, verebuntur.* Ambros. lib. 5. de fide cap. 7.

13. *Mittunt ad eum*, &c. Vide Matth. 22. v. 15. & sequent.

15. *Sciens versutiam.* Græcè. *Hypocrisim.*

Denarium. Scilicet Romanum, sequitur enim denarium seu numisma illud, ut Matthæus loquitur, Cæsaris imagine & superscriptione percussum fuisse.

16. *Cæsaris. Non putemus Cæsarem Augustum, sed Tiberium significari privignum ejus, qui in locum successit ipsius, sub quo passus est Dominus; omnes autem Reges Romani à primo Caio Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt.* B. Hieron. lib. 3. in Matth. 22.

18. *Venerunt*, &c. Vide Matth. 22.

24. *Erratis non scientes Scripturas.* Id est, quia nescitis Scripturas.

30. *Ex toto*, &c. *Docemur*, inquit Theodoret. q. 3. in Deuteron. *dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & dilectionem auri, sed totam dilectionis vim Creatori tribuere.*

34. *Non es longè à regno Dei.* Non longè abes à vera fide Evangelica, qui noveris quid sit, *misericordiam volo, & non sacrificium*, hoc est, plusquam sacrificium, sed adhuc tibi deest, ut credas in me, qui unus sum Deus cum Patre Cælesti, qui licèt sim ex semine David secundum carnem, tamen ratione Divinitatis meæ sum ejus Dominus. In hunc ferè sensum hæc exponit B. Hilar. lib. 9. de Trinitate. Tacitè itaque Christus invitat Scribam ad agnitionem suæ Divinitatis.

36. *David dicit in Spiritu-sancto.* Est quædam in hoc loquendi genere efficacia potentissima; significatur enim non tam Davidem locutum fuisse, quàm spiritum-sanctum, qui per os Davidis tanquam per organum locutus fuerit.

38. *In doctrina sua.* Id est, inter docendum, cùm doctrinam suam traderet.

Cavete,

Cavete, &c. Fastum, & avaritiam Scribarum fugiendam docet. Vide Matth. 23. v. 5. &c.

Volunt in stolis ambulare. Id est, affectant superbæ ostentationis insignia. Erat autem stola vestis talaris, & elegans, quâ Scribæ ad pompam utebantur.

40. *Accipient prolixius judicium.* Id est, gravius, durius, & acerbius. Usus autem est hac voce Dominus, ut alluderet ad prolixas orationes hypocritarum, qui, ut nummum tollant pauperi, in prece pernoctant; *cùm tamen porrecta manus pauperi preces juvare soleat*, ut loquitur venerabilis Beda. Apud Lucam vertit Vulgatus interpres, *damnationem majorem*, apud Matthæum, *amplius judicium.*

41. *Contra Gazophylacium.* Id est, juxta seu prope Gazophylacium, seu è regione Gazophylacii. Vox Gazophylacium est Semiperfica, & passim sumitur pro sacro ærario, cujus Præfectus dicitur à Nonno Gazophylax.

42. *Minuta*; Græcè λεπτὰ. Juxta Suidam octo sunt minuta in chalco sive æreo. Chalci in obolo sex. Minuta seu minutia, ut vocat Seneca, in obolo quadraginta octo. Oboli in drachma sex. Minuta in drachma 288. Sicque donum viduæ erat centesima quadragesima quarta drachmæ unius pars. Juxta Cleopatram in chalco minuta 8. Chalci in obolo 8. Minuta in obolo 64. In drachma oboli 6. & minuta 384. Atque ita donum viduæ esset centesima nonagesima secunda pars drachmæ.

Quod est quadrans. Vide dicta. Matth. 5. v. 26.

43. *Plus omnibus misit. uberior est enim nummus è parvo, quàm thesaurus è maximo; quia non quantum detur, sed quantum reseidat expenditur: nemo plus tribuit, quàm qui sibi nihil relinquit.* B. Ambros. lib. de Viduis.

44. *Omnes* Hebraismus Scripturæ familiaris, id est, ceteri.

Ex eo, &c. q.d. Omnes ex superfluo partem exiguam contulerunt, cùm vidua ex eo quod parcissimè suppetebat illi ad victitandum, nihil prorsus sibi reservaverit, sed omnia, quæ habebat, obtulerit, ac si vitam propriam pro nihilo duceret.

CAPUT XIII.

1. *Cum egrederetur*, &c. Vide Matth. 24. ubi pleraque, quæ in præsenti capite habentur difficilia, sunt exposita.

3. *Contra Templum.* Id est, è regione Templi.

4. *Incipient consummari.* Græcè, sunt consummanda.

8. *Et fames.* Græcè additur, & turbationes.

9. *Et in Synagogis vapulabitis.* Supplè, conciliorum jussu.

18. *Hyeme non fiant.* Ad ambulandum quippe in hyeme corpor frigoris obsistit, & juxta præceptum Legis ambulare longiùs in Sabbato non licet. Quamvis enim præceptum illud in vitæ periculo cessaret, plerisque tamen Judæorum ea exceptio non probabatur; & pauci fuere inter Christianos à Judaismo conversos, qui se ab obligatione Sabbati liberos esse intelligerent ante excidium Jerosolymitanum. Cæterùm *observantia diei Dominicæ in nova Lege successit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti Legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani*, utait D. Th. 22. q. 122. a. 4. ad 4. Qua de re hæc habet Aug. serm. 151. de tempore, *Dominicum ergo diem Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosâ solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemtor noster à mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei huic honorem & reverentiam propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Iesus Christus & Salvator resurrexit à mortuis, ita & nos in novissimo die resurrecturos speramus. Apparet autem hunc etiam in Scripturis sacris esse solemnem, ipse enim est primus dies seculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cælis Spiritus-Sanctus super Apostolos descendit, manna in eodem in eremo primum de cælo datum est. His enim speciebus, ac talibus indiciis Dominica dies extat insignis. Ac ideo sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt omnem gloriam Iudaici Sabbatismi in illam transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate: quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in anima simul & corpore perfecta.* Hæc Aug.

Neque Angeli. Voluit Christus discipulos docere, ne humanam naturam transcendentia discere annitantur; nam dum dicit ab Angelis ignorari diem Judicii, admonentur discipuli, quòd

quòd discere attentant id, quod Angeli ignorant; dum verò addit & à Filio ignorari, prohibentur non solùm discere, sed & ulteriùs quærere. Ita Chrysostomus, & Theophylactus in cap. 24. Matthæi.

Neque Filius. Quoad humanam naturam in statu exinanitionis; nam quoad divinam naturam, & in statu exaltationis, cùm sit constitutus judex, utique novit judicii diem & horam. Sic autor homiliarum in Marcum sub nomine Chrysostomi Hom. 14. *Qui ante passionem nescit, post resurrectionem novit.* Quod probat ex eo quod Act. 1. post resurrectionem ab Apostolis interrogatus quando restituturus esset regnum Israel, non respondit se nescire, sed, Non est vestrûm scire, non vobis prodest scire diem judicii.

Nisi Pater. Hoc est, sed solus Pater habet scientiam illius diei & horæ, quâ mundus erit judicandus. Verùm omnia quæ habet Pater sunt Filii, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, ut loquitur Nazianz. Orat. 44. seu, ut Oecumenius in cap. 1. epist. ad Hebræos πλὴν τοῦ εἶναι πατήρ. Et omnia quæ habet Filius sunt Spiritûs Sancti, πλὴν τῆς γεννήσεως, inquit Nazianzenus loco citato. Vide commentarium nostrum in Mat 24. v. 36 Præclarè itaque pro more B. Cyrillus Alexandrinus Thesauri lib. 4. cap. 4. *Non oportet igitur propter hanc vocem* (Neque Filius) *ignorationem Dei Verbo inurere, sed potiùs misericordiam ejus admirari, quòd non recusaverit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam susciperet--- Filium etiam ignorare ait, de seipso ut homine loquens, nec sibi derogans ut Deo: scit enim ut Deus quod ut homo ignorat. Idcirco non addidit, quòd Spiritus-Sanctus etiam ignoraret, Spiritus enim omnia scit, ipsa etiam profunda Dei, ut scribitur* 1 Cor. 2. v. 10. *Quod si Spiritus-Sanctus non ignorat, qui à Filio accipit, Ille namque inquit* Joan. 16. v. 14. *de meo accipiet, quomodo Filius ignorabit, qui omnia scientis Spiritûs est largitor?---- Sed ignorat videlicet ut homo, quod ut Deus optimè novit--- Sicut ergo voluit tanquam homo fame ac siti, ceterisque hujusmodi laborare, sic etiam ut homo diem illum ignorat. Aliquando enim ut Deus, aliquando ut homo loquitur, ut & Deum & hominem verum se ostendat--- Diem illum & horam & ignorat & scit, alterum ut homo, alterum ut Deus--- Igitur diem & horam adventûs sui, in quantum Verbum & Sapientia Dei est, non ignorat: Sed ne dolorem teneris adhuc discipulis faceret, desiderantibus illud scire, verè se dixit ut hominem ignorare; infirmitates enim nostras omnes accepit, hac de causa ignorâsse se dixit--- Cùm verè ab eo dicatur, ut ab homine, fratribus enim in omnibus similis fuit, secundum Paulum* Heb. 2. v. 17.

Hæc Cyrillus ex versione Georgii Trapezuntii, textus Græcus non est mihi ad manum. *Ignorat igitur secundum habitum humanitatis, qui omnia scit secundum potentiam deitatis,* ἀγνοεῖ τοίνυν κατὰ τὸ σχῆμα τῆς ἀνθρωπότητος, ὁ γινώσκων κατὰ τὴν δύναμιν τῆς θεότητος, ut loquitur alicubi Chrysostomus.

33. *Nescitis enim quando tempus sit. ut pendulâ expectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem observans dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.* Tert. lib de anima cap. 33. *Vide autem*, inquit Theophylactus, *quomodo non dixerit, nescio enim quando tempus est, sed nescitis. Occultavit enim nostram ob utilitatem, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia Dies Domini deprehendat.* B. Ambros. de fide lib. 5. cap. 8.

34. *Sicut homo, &c.* Q. d. *Perinde se habet Filius hominis atque pater-familias, qui peregrè profectus, &c. Peregrè autem est profectus Redemtor noster, cùm in ea carne, quam assumserat, abiit in cœlum; carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemtorem nostrum in cœlo collocatur.* B. Greg. Hom. 9. in Evang.

Dedit servis suis potestatem cujusque operis. Græcè, *potestatem, & suum cuique opus.* Hoc est, quod Apost. dicit Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* Hinc discimus non solùm potestatem ipsam pastoralem, sed etiam distinctionem stationum, in quibus unicuique opus proprium incumbit de jure divino esse. Hinc catholica antiquitas multis conciliorum constitutionibus cavit, ne quisquam suas metas transgrederetur, & alienæ curæ se ingereret, Concil. Nicæn. Oecum. 1. Can. 16. Cp. 1. Qecum. 2. can. 2. Carthag. 1. can. 10. Carthag. 2. can. 11. Carthag. 3. can. 20, 21, & 46. Sardic. can. 15. Arelat. 2. can. 13.

Janitori. Cui nimirum totius domûs cura mandata est, id est, Episcopo præcepit ut vigilet. Simile est præceptum Pauli Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, &c.*

35. *An galli cantu.* Vide quæ diximus Matth. 26. v. 34.

36. *Dormientes.* Id est, præsentium tantùm curam gerentes, & vitâ Gentium viventes.

37. *Omnibus dico, vigilate.* Aug. Ep. 80. ad Hesychium: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo judicabitur--- Cur itaque omnibus dicit, Vigilate, nisi quia eo modo pertinet ad omnes, quomodo dixi? Tunc enim unicuique veniet dies illa, cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus. Impa-*

paratum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit hujus vitæ ultimus dies.

CAPUT XIV.

1. *Erat autem*, &c. Vide Matth. 26. ubi pleraque, quæ in præsenti capite habentur, sunt exposita.

Azyma, id est, azymorum festum. Pluralis est numeri. *Quærebant, &c. Feriâ quartâ Concilium convenit, & propterea jejunamus etiam nos quartis feriis.* Theophylact.

3. *Fracto Alabastro effudit.* Ut uberior sequeretur effusio, præcessit Alabastri fractio.

Prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Q.d. O Juda, ne mihi ritus sepulchrales invideas, licèt vitâ spoliaveris; nam mulier hoc sepulchrali ritu mortem, cujus tu mihi autor, prævertit. Honorem puta sepulturæ meæ hoc esse, & si cædem apparas, tumulum saltem concede. Unguenti funebris mentio est in lib. 2 Paralip. cap. 16. v. 14. *posuerúntque eum*, Asa regem Juda, *super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis*, id est, odoriferis, *quæ erant arte Pigmentariorum confecta, & combusserunt super eum*, id est, bustum ei fecerunt, *ambitione nimiâ*. Extat & in Evangelio Joannis cap. 19. v. 39. hujus consuetudinis mentio in Christi Domini sepultura, & infrà c. 16. v. 1. aromata coëmta leginus, quibus ungerent Jesum, tertiâ die à sepultura.

9. *In universo mundo.* Prophetat Christus & Evangelium, & mulieris factum in toto terrarum orbe prædicatum iri.

10. *Unus de duodecim.* Electioribus scilicet. Christi discipulis, quos & Apostolos vocavit.

12. *immolabant.* Scilicet, Judæi.

14. *Refectio.* Id est, refectionis locus, Græcè κατάλυμα, id est, diversorium, ut vertit ipse Vulgatus interpres Luc. 22. v. 7.

23. *Biberunt ex illo.* Hysterologia; præmisit enim Christus consecrationis formulam, *Hic est sanguis.*

Omnes. Scilicet, qui aderant, quibus dixerat Christus, *Bibite ex illo omnes*, ut habetur Matth. 26.

24. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti.* Sensus est, id, quod hoc poculo continetur, est Symbolum Sanguinis mei cujus effusione sancitur novum testamentum. Vocatur autem novum Testamentum ea promissio, quâ Deus spiritualia bona homini per novum Adam rehovato se daturum pr omisit: quomodo vetus Testamentum dicitur pactum, quod priori tempore inierat Deus cum Israelitis, ut si Legem à se per Moysem datam servarent, temporalium bonorum abundanti am eis retribueret. Vide Aug. de Spiritu & Litera cap. 19. & sequent.

27. *Percutiam Paſtorem.* Zachar. 13. v. 7. *Percute Paſtorem.* Evangeliſtæ Deum videntur inducere loquentem, quaſi ipſe ſit Filium ſuum Paſtorem oves proprio cruore ſaginantem Percuſſurus; Zacharias verò indicare videtur à Deo tantùm permitti ut percutiatur, ex quo ſit ut gregis diſpergantur oves. Idem omnino colligitur ſenſus, ſive *percute*, ſive *percutiam*, dicatur: Deus enim erat, qui Paſtorem pro ovibus percuti jubebat, atque adeo quod per alios fieri permittebat, per ſe facere meritò dicebatur. Sic apud Eſaïam ejuſdem verbi & ſententiæ habemus exemplum: nam cùm dominicæ paſſionis acerbitatem expendiſſet, & cauſas in noſtris ſceleribus abluendis & pœnis ſublevandis ſitas eſſe oſtendiſſet, hæc ſubdit: *Et nos putavimus eum quaſi leproſum, percuſſum à Deo*, vel *percuſſum Deum*, ut legunt nonnulli, *& humiliatum*: ut indicet Deum Optimum Maximum eum, qui in Filio ſuo vindictam ſumat de peccatis noſtris, & Deum ipſum Filium Patris hominem factum à Deo Patre ſuo percuſſum eſſe.

28. *Et cum iniquis reputatus eſt.* Sic ipſe Chriſtus de ſe explicat hanc Eſaïæ Prophetiam Luc. 22. v. 37. Quamvis autem Marcus hac Prophetiâ dicat deſignatam Chriſti medii inter duos latrones crucifixionem, altiùs tamen obſervat Hier. in Eſa. 53. v. 12. intelligi poſſe hoc Eſaïæ vaticinium, nempe inter iniquos Chriſtum velut iniquum reputatum, ut à peccato redimeret iniquos juxa illud Pſal. 87. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter mortuos liber.*

36. *Pater.* Græcè, ὁ πατὴρ, Nominativus pro Vocativo, quod ſæpe occurrit in utroque Teſtamento. Si verò ſenſus eſſet, *abba*, quod eſt, ſi interpreteris, *Pater*, ut inſinuat Hier. dicens: *Hebraicè & Græcè loquitur, quia non eſt diſtinctio Judæi & Græci*: Evangeliſta dixiſſet, ἀββᾶ ὁ ὅτι πατὴρ; nunquam enim cùm voces peregrinæ in N. T. Græcis vocibus explicantur, ſimpliciter dicitur, ὁ, abſque voce ὅτι, ut obſervat Capellus vir longè doctiſſimus. *Tranſfer calicem hunc à me.* Calix menſuram ſignificat poculentorum, ſicut pars ſeu portio denotat menſuram eſculentorum, quam ſcilicet Architriclinus in convivio ſingulis partitur. Utroque nomine ſignificatur quidquid apponi ſolet convivis edendum, vel bibendum, atq; adeo per tranſlationem quidquid ad ſingulos homines quoquo jure pertinet, ut Pſ. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis (Heb. portionis) meæ, & calicis mei*, id eſt, ipſe eſt mihi pro cibo, & omnia ad vitam neceſſaria in eo uno habeo. Aliquando verò ſignificat afflictionem, flagellum, ſeu ultionem neceſſariò tolerandam, deſumtâ metaphorâ à vino damnatorum, ut Amos loquitur cap. 2. v. 8. id eſt, à vino generoſo, delicato, & pretio-

so,

so, quod apud Hebræos propinari solebat damnatis à familiaribus, & amicis, quò minùs dolerent. Villalpandus existimat hujusmodi locutiones, *bibere calicem, accipere calicem de manu Domini*, &c. desumtas esse à bibendi certaminibus, ubi convivæ cogunstur ebibere certas mensuras usque ad fundum calicis, non sine fastidio, & agone, læsioneque corporis virium, & animi; quia ejusmodi potus initio suaves sunt, sed in fine acerbi. Nam quod appetebat sitis, respuit satietas, naturáque ipsa perhorrescit, quod videt sibi esse noxium, sed exhauriendus omnino calix offertur ipsius compotatoris manu, ebibendúsque est usque ad fæces. Talis est potus, & concertatio peccatorum cum divina providentia. Nam peccatores dulce vinum voluptatum bibere volunt, fundum calicis, hoc est, pœnarum acerbitatem exhaurire recusant, sed ebibant necesse est. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, seu ut textus Hebræus sonat, *turbidâ fæce; & inclinavit ex hoc in hoc*, id est, ab ore alterius detractum alteri porrigit: *verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*, id est, necesse est, ut omnes peccatores terræ fæces voluptatum ebibant, id est, pœnarum acerbitatem, voluptatum appendicem experiantur. De hoc calice dicit Christus ad Patrem, *Transfer calicem hunc à me*, nam Christo fidejussori nostro propinatur fæx calicis voluptatum, quas nos bibimus cum Babylone meretrice compotantes, & cum Deo quasi concertantes.

38. *Vigilate, & orate. Si de vigilando tantùm, non etiam de orando discipulos admoneret, solas videretur liberi arbitrii vires hortatus, sed cùm addidit, Et orate, satis docuit superni futurum muneris, ut etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.* Leo. M. 2. de vocat. Gent. cap. 9.

51. *Adolescens.* Græcè, A doleſcentulus, non Joannes, aut Jacobus Minor, ut nonnulli sunt arbritati, cùm mox dixerit Marcus, *Tunc discipuli ejus relinquentes eum fugerunt omnes*; verisimiliùs igitur conjectat Cajetanus in Jentaculis fuisse quemdam è villa proxima Gethsemani, qui rumore, & strepitu transeuntium satellitum Christum capientium excitatus, è lecto prosiliens occurrerit, ut videret quid ageretur. Hoc autem observat Evangelista, ut innotescat non nisi ope divinâ salvos fugisse Apostolos, cùm Judæis constitutum fuerit, non Jesum tantùm prehendere, sed et ejus discipulos.

Tenuerunt eum. Id est, apprehensâ sindone tenere eum conati sunt satellites, qui Græcè dicuntur hîc adolescentuli, quod mirum non est, cùm sæpe Græcis ita dicti sunt milites.

56. *Conveniẽtia.* Id eſt, ad mortem ſufficientia. Eodem ſenſu v. 59. dicitur, *Et non erat conveniens illorum teſtimonium*

57. *Falſum teſtimonium ferebant.* Falſus teſtis eſt, qui non eodem ſenſu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de Templo corporis ſui, *Ego diſſolvam,&c. Quando enim mortuo Chriſto anima deſeruit carnem, tunc ſolutum eſt illud Templum, quod fuit ex animâ carnéque conſtructum, & cùm anima reverteretur ad carnem, tunc eſt illud Templum die tertiâ ſuſcitatum, & tamen propter unam Chriſti Dei hominiſque perſonam, idem mortuus eſt in corpore ſuo, qui ſuſcitavit Templum corporis ſui.* B. Fulgent. lib. 3. ad Thraſymundum.

68. *Ante atrium.* Græcè, in veſtibulum atrii.

C A.

CAPUT XV.

1. ET *conſeſtim*, &c. Vide Matth. 27. ubi ferè omnia, quæ in præſenti capite ſunt difficilia, expoſuimus.

47. *Emiſſâ voce magnâ expiravit.* Qui morti dominatur, & præcipit ſicut Dominus, poteſtativè expirat; qualis autem hæc vox fuerit, Lucas declarat, *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Et velum Templi ſciſſum eſt. In Evangelio, quod Hebraicis literis ſcriptum eſt, legimus: non velum Templi ſciſſum, ſed ſuperliminare Templi magnitudinis magnæ corruiſſe. Teſtatur autem Joſeph. lib. 7. belli Judaici cap. 12. non ſupremum limen tantùm, ſed & imum uno perpetuo lapide fuiſſe extructum.

39. *Quia ſic clamans expiraſſet.* Grandis energia eſt in his vocibus, *ſic clamans*; nam ut præclarè Bernard. Serm. 28. in Cant. *Ex voce agnovit filium Dei, & non ex facie. Erat enim fortaſſe ex ovibus ejus, quæ vocem ejus audiunt, auditus invenit, quod non viſus; oculum ſpecies fefellit, auri veritas ſe infudit, oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus morte turpiſſimâ condemnatum; auri Dei filius, auri formoſus innotuit.*

40. *Salome.* Quidam hanc etiam vocant Mariam, ſed hoc nuſquam legitur; qui id putant ex eo decepti videntur, quod putarent *Salome*, eſſe Genitivi caſûs, & ita dici Mariam Salome ſicut Mariam Cleophæ, aut Jacobi, aut Alphæi. Unde nomen Maria, quod præcedit, ad hoc etiam vocabulum referunt, ſed malè; cùm ex Græco ſatis appareat, non eſſe Genitivum, ſed Nominativum, nec à priore voce dependere. Non enim dicitur ibi τῆ σαλώμη, ſicut τῦ Ιακώβυ, ſed nudè σαλώμη: ſicut nudè quod præcedit Μαρία. Omnino enim illud τῆ adjungendum erat, ſi Genitivus eſſet, maximè cum interceſſiſſet illud μήτηρ, quod ad *Salome* non poteſt referri. Et hoc modo omnes Græci interpretati ſunt. Quare miror in Martyrol. Rom. pridie Kal. Novemb. ſic legi: *Hieroſolymis Sanctæ Mariæ Salomæ, quæ in Evangelio legitur circa ſepulturam Domini ſollicita.* Omnino enim puto hanc Salomen fuiſſe matrem filiorum Zebedæi. Sic enim apparet ex collatione Marci cum Matthæo, qui cap. 27. hanc eandem mulierem vocat matrem filiorum Zebedæi. Baronius in apparatu ad Annales, non Mariam, ſed ſimpliciter Salomen vocavit; oſtendens eandem eſſe cum Matre filiorum Zebedæi.

43. *Di*

43. *Decurio.* Græcè *Senator*, scilicet, urbis Jerusalem, non verò de Synedrio Magno, qui vocabantur Principes, ut Nicodemus Ioan. 3. v. 1.

CAPUT XVI.

1. *Emerunt.* Id est, emerant, ut patet ex Luc. 23. v. 56. Sensus itaque est, & Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerant aromata, ut cùm transisset Sabbatum venientes ungerent Jesum.

2. *Orto jam sole.* Vide dicta Matth. 28. v. 1.

3. *Quis revolvet*, &c. Nihil igitur de custodia & sigillatione sepulchri mulieribus innotuerat.

4. *Revolutum lapidem.* Scilicet qui specum claudebat. Unde Matth. 28. v. 2. in textu Græco diserte dicitur, quòd Angelus revolvit lapidem ab ostio.

5. *introëuntes in monumentum*, &c. Id est, postquam introierint in monumentum, & non viderint corpus domini Jesu ibi, Luc. 24. v. 3. & Magdelene cucurrerit ad Apostolos, adductisque secum Petro & Joanne ad monumentum reversa sit, & abierint iterum ad semetipsos discipuli, ut narrat Joan. cap. 20. mulieres mente consternatæ & prospicientes in monumentum viderunt duos Angelos in albis, unum ad caput, alterum ad pedes sepulchri, ut narrat Joan. loco citato, qui post ceteros Evangelistas scribens videtur pressiùs ordinem temporis secutus.

Viderunt juvenem. Qui ex quo revolverat lapidem ab ostio monumenti, ipsis mulieribus erat huc usque inconspicuus, licèt super revolutum lapidem sederet. Unius autem duntaxat Angeli meminere Marcus, & Matthæus, cùm duos viderint mulieres Angelos, ut Lucas, & Joannes testantur, quia & mulieribus propior, & pro duobus verba fecit. Sedentes Angelos Lucas dicit stetisse Hebraismo Scripturæ familiari, quo stare sumitur pro verbo substantivo esse, seu adesse, ut nullum certum situm indicet. Sic Luc. 7. v. 37. mulier peccatrix dicitur stans retrò secus pedes Jesu eos rigasse lachrymis, tersisse capillis, esse osculata, & unguento unxisse, quæ omnia non nisi in genua procumbendo peragere potuisse videtur.

6. *Qui dicit illis.* Id est, mulieribus reliquis, postquam Maria Magdalene, redditâ Angelis ploratûs sui ratione, conversa esset retrorsùm, ut dicitur Joan. 20. id est, paululùm recessisset

à

à monumento, atque adeò Christus eo ipso momento se Magdalenæ conspiciendum dedit, ipsâque ad Apostolos ivit nunciatura se Dominum vidisse, quo Angeli nuncio relquas mulieres gaudio magno replevit, ut dicitur Matth. 28. v. 8. eísque verba Christi in memoriam revocavit, ut dicitur Luc. 24. v. 7. & 8.

7. *Et Petro. Si hunc Angelus non nominatim exprimeret, qui Magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet: vocatur ergò ex nomine, ne desperaret ex negatione.* B. Greg. Hom 21. in Evang. *Ideo autem Christus post resurrectionem primò mulieribus apparuit, ut fieret resurrectionis nuncia, quæ fuit mortis interpres, & quæ viro porrexerat interitus tanti nuncium, viro ipsa porrigeret magnæ salutis auditum, ut compensaret fidei nuncio, quod perfidiæ ademit.* B. Petrus Chrysologus Serm. 76.

8. *illæ exeuntes fugerunt de monumento.* Scilicet currentes nunciare Apostolis dicta ab angelis, & inter currendum Christum habuere obvium, ut narratur Matth. 28. v. 8. 9. & 10. hæcque fuit secunda Christi post resurrectionem apparitio, quam tacent Lucas, Marcus, & Joannes.

Nemini quidquam dixerunt. Scilicet obvio; dixerunt enim Apostolis, ut dicitur Luc. 24. v. 9. ubi Lucas simul comprehendit, ut patet ibidem v. 10. quidquid à mulieribus fuit Apostolis nunciatum non semel. Nam primò Magdalena eis nunciavit corpus Christi fuisse sublatum, quo audito statim Petrus cucurrit ad monumentum, ut refert Lucas cap. 24. v. 12. Deinde se vidisse Dominum, tum demum ceteræ mulieres iisdem nunciavere sibi dicta ab Angelis, & factam sibi Christi apparitionem.

9. *Surgens autem.* Græcè, *cùm autem surrexisset.* nunc igitur incipit Sanctus Evangelista tres ex quinque apparitionibus ipsâ die resurrectionis factas ordine commemorare.

Mane. Tempus Dominicæ resurrectionis notatur; unde Aug. apud Prosp. Sent. 203. *Vigor fidei Christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, mane, & meridie, vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione, unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextra consedentis.*

Sabbati. Id est, hebdomadis, vide Mat. 28. v. 1.

Apparuit primò. Sub hortulani specie, ut narratur Joan. 20.

Mariæ Magdalenæ. Soli, cùm paululùm recessisset à monumento, & à ceteris mulieribus, quæ ad sepulchrum remanserant. *Rectè*, inquit Beda in hunc locum, *mulier, quæ lætitiam Dominicæ resurrectionis prima nunciavit, à septem dæmonibus curata esse memoratur, ne quisquam dignè pœnitens de peccatorum venia desperaret, & ubi abundavit peccatum, superabundasse gratia demonstraretur.*

10. *Illa*

10. *Illa vadens.* Supple, citò; hoc enim juxta ſenſum literalem ſignificari videtur his Chriſti verbis Joan. 20. v. 17. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum. Vade autem,* &c. q.d. Noli tempus amplexibus inſumere, erit alius amplexandi locus; nam per quadraginta dies apparebo, néque vivum præbebo in multis argumentis antequam aſcendam ad Patrem meum, nunc autem vade citò, & nuncia diſcipulis meam reſurrectionem.

12. *Poſt hæc autem.* Id eſt, deinde, ut dicitur Luc. 24. v. 13. eâdem ipſâ die reſurrectionis, quâ primò apparuit Magdalenæ, ſecundò ceteris mulieribus, tertiò B. Petro. ut patet ex præſentis capitis v. 9. Matth. 28. v. 9. & Luc. 24. v. 34. ſimul collatis.

Duobus. Quorum unus erat Cleophas, ut dicitur Luc. 24. qui creditur fuiſſe maritus vel pater Mariæ quæ dicitur Cleophæ.

In alia effigie. Id eſt, in effigie, quæ ipſis alia videbatur; *oculi enim eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Quando,* inquit Aug. lib. 2. quæſt. Evang. q. 15. *illud fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium, cum autem fictio noſtra refertur in aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis: ſicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſint mendacio ad aliquam rem ſignificandam. Oſtenſus itaque eſt Chriſtus in alia effigie his, qui videbantur circa fidem tepeſcere; unde dicebant: Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redemturus Iſraël.* Hinc Greg. Hom. 23. in Evang. *Talem,* inquit, *Chriſtus ſe exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente.*

Euntibus in villam. Diſtantem à Jeroſolymis ſeptem milliariis cum dimidio, erátque villæ nomen Emmaüs, ut dicitur Luc. 24. v. 13. & fuiſſe Cleophæ tradit Hieron. in Epitaphio Paulæ Epiſt. 27. hæc autem quarta apparitio longè plenius narratur Luc. 24.

Nec illis crediderunt. Supple, omnes diſcipuli; nam quoſdam credidiſſe apertum eſt ex Luc. 24. v. 34. & 35. id etiam obſervat B. Aug. lib. 3. de conſenſu Evang. cap. 25.

14. *Noviſſimè.* ὕστερον, tandem, poſteà; non enim hîc abſolutè ultima Chriſti apparitio commemoratur, ſed quinta quæ eſt noviſſima earum, quæ contigere ipſâ reſurrectionis die, ſeu primâ Sabbati, ut loquitur Evangeliſta ſupra v. 9. Eſt autem hæc eadem apparitio cum ea, quam narrant Luc. 24. à v. 36. ad 44. & Joan. 20. à v. 19. ad 25.

Recumbentibus. Id eſt, menſæ accumbentibus, dum inter ſe fabularentur, Luc. 24. v. 36.

Undecim. Hoc tum numero Apoſtolica ſocietas nuncupabatur, inquit Aug. lib. 3. de conſ. Evang. cap. 25. *quamvis abeſſet Thomas*

mas: imò 1 Cor. 15. v. 5. dicitur Christus apparuisse duodecim, etsi Juda tum mortuo, necdum electo Matthia.

15. *Et dixit eis.* Non præcisè in hac quinta apparitione, sed toto illo tempore, quo cum eis conversatus est per quadraginta dies post resurrectionem.

Omni creaturæ. Id est, omni genti; quod enim Marcus dicit his verbis, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, hoc Matthæus dixit, *Docete omnes gentes. Omni creaturæ Evangelium prædicare præcepit, quia omnia genera hominum duci ad fidem voluit; unde scriptum est, Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; omnes quippe homines vult salvos fieri, quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit.* S. Greg. Mag. lib. 5. in 1 Reg. cap. 13. in illud: *Quocunque se vertebat, superabat.* Restringitur autem ab Evangelista creaturæ nomen ad homines, quomodo viventis vocabulum restringitur, dum Eva dicitur *mater viventium*, & vox carnis dum profitemur in symbolo *carnis resurrectionem*, & passim in Scripturis.

Qui crediderit. Id est, qui in vera fide perseveraverit. *Vera etenim fides est*, ait B. Greg. Hom. 29. in Evang. *quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit, Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Joan. ait, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.*

Et baptizatus fuerit. Id est, postquam baptizatus fuerit, seu renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto, ut Christus alibi loquitur. Non rarò autem in sanctis Scripturis particula conjunctiva (*&*) idem est ac *cùm*, vel *postquam*; sic Exod. 14. v. 21. *Vertit mare in siccum, divisáque est aqua*: id est, postquam divisa est aqua. Esaiæ 64. v. 5. *Iratus es, & peccavimus*, id est, cùm peccavimus. Atque adeo commendare specialiter intendit Christus, non necessitatem baptismi aliàs à se commendatam, sed necessitatem operibus complendi, quod in baptismo verbis promittimus, ut veraciter fideles simus, sicque salvi esse possimus.

Qui vero non crediderit. Id est, qui non tenuerit corde, & opere promissionis Deo à se in baptismo factæ fidem, atque adeo fidelis est in nomine aliud demonstrans in opere. *Vide etiam ne fortè ob hoc Salvator, cùm diceret, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; cautè & vigilanter non repetitrit, Qui verò baptizatus non fuerit, sed tantùm, Qui vero non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* B. Bernardus Ep. 77. ad Hugonem de sancto Victore.

Condemnabitur. Id est, æternis suppliciis inferorum addicetur.

17. *Signa autem, &c.* Q. d. Hoc erit quasi sigillum integerrimam

&c

& pleniſſimam habentium fidem, quòd nullum prorſus miraculum erit eis impoſſibile, cùm ſcilicet res ſecundum divinæ ſapientiæ regulas id poſtulaverit.

18. *Serpentes tollent*, &c. Hæc promiſſa fuiſſe ad literam impleta patet ex Paulo. Is enim viperam, quæ manum ejus invaſerat, illæſus in ignem excuſſit. Act. 28. v. 5. Id ipſum omninò à Chriſto Luc. 10. v. 19. promittitur verbis nonnihil diverſis, quæ palàm alludunt ad verba Regii Vatis, Pſal. 90. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, &c. ut agnoſcunt B. Baſilius Hom. 9. Hexaëm. & Tert. lib. 4. contra Marcionem cap. 24. Nec fruſtrà eſt, quòd ibi apud Luc. ſerpentes, & ſcorpiones, & hujuſmodi, ſi quæ alia ſunt, Chriſtus vocat *vim inimici*, id eſt diaboli, mortis enim imperium cùm diabolo tribuatur Heb. 12. v. 14. videntur lethalia omnia ipſi aliquo modo ſubſervire, quòmodo carnifici inſtrumenta, quibus reos torquere ſolet.

19. *Poſtquam locutus eſt eis.* Quæcumque ſcilicet eis dicta voluit, & oportuit poſt reſurrectionem: non enim dicit poſtpoſtquam *hæc* locutus eſt eis, ſed generaliter, ut intelligatur de omnibus, quæ poſt reſurrectionem apparens eis locutus eſt de regno Dei, ut obſervat B. Aug. lib. 3. de conſ. Evang. cap. 25.

Aſſumtus eſt. Secundum naturam humanam divinâ ſuâ virtute uſque ad tempora reſtitutionis omnium, ut dicitur Act. 3. v. 21. id eſt, uſque ad mundi finem, cùm rediérit judicaturus vivos & mortuos. De Chriſti aſcenſione ex ſummitate montis Oliveti in cœlum hoc conſtat, quòd eò uſque aſcenderit, ut nubes inter ipſum & ſpectantium oculos intervenirent. Epheſ. 4. v. 10. aſcendiſſe dicitur Chriſtus ſuper omnes cælos, ut impleret omnia, in quem locum ſic ſcribit Magiſter Eccleſiarum Hieronymus: *Nunquid corporaliter omnis cœlos, & univerſas ſublimitates, & cœlorum circulos, quos Philoſophi ſphæras vocant, tranſiens, atque tranſcendens ſtetit in ſummo cœli fornice, &, ut ipſo verbo utar, aſpidæ, an omnia temporalia contemnens atque deſpiciens, & æterna contemplans ſuper cœlos, id eſt, ſuper inviſibilia ſtetiſſe credendus eſt? Quod ego malim puto.* Hæc Hieronymus.

Sedet à dextris Dei. Id eſt, pari cum Deo potentia regnat. Vide dicta Matth. 22. v. 44.

Profecti. Scilicet poſt Spiritûs-Sancti miſſionem.

Co-

Cooperante Domino. Id eſt, Domino intrinſecùs aperiente hominum corda, ut intenderent his, quæ ab Apoſtolis dicebantur; nam cathedram habet in cælo, qui corda docet.

Confirmante. Scilicet extrinſecùs.

Sequentibus. Nempe prædicationem Apoſtolicam.

Signis. Invictiſſimè veritatem doctrinæ Apoſtolicæ demonſtrantibus, ut patet ex Actis Apoſtolorum.

FINIS.

CHRISTO JESU
AUTORI, ET CONSUMMATORI FIDEI
SACRUM,
ECCLESIÆ ANGLICANÆ
ET
CUJUSVIS ORTHODOXÆ
JUDICIO,
HOC QUICQUID EST OPERIS
AUTHOR
EX ANIMO SUBJICIT.

Semper agam grates Chriſto, dabo ſemper honores,
Laus Domini ſemper vivet in ore meo.